



M. Bruen.



M. Bruen.









FIDES SCUTUM









HERMANNI VENEMA
INSTITUTIONES
HISTORIAE ECCLESIAE
VETERIS ET NOVI TESTAMENTI
TOMUS VII.

SEU

NOVI TESTAMENTI, AUT ECCLESIAE CHRISTIANAE

QUINTUS.

SEU


HISTORIA REFORMATIONIS
CUM OMNIUM TOMORUM COPIOSO INDICE,

A PL. REVERENDO

LAURENTIO MEIJER,

ECCLESIAE PASTORE IN TWYSEL ETC.
DIGNISSIMO CONFECTO.


LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM et JOHANNEM LUCHTMANS,
LEOVARDIÆ,
Apud GERARDUM TRESLING.
MDCCLXXXIII.



HISTORIA REFORMATIONIS,

ET FAMILIARUM, SEU SECTARUM, INDE ORTARUM, SEC. XVI.

REFORMATIO GERMANIAE.

§. I. Rimus, et praecipuus, Ecclesiarum, a Catholico-Romana separatarum, in Germania, autor cum fuerit *Martinus Lutherus*, de eo ante quaedam sunt dicenda, quam reformationis tradam historiam, ex Seckendorfio et Sculteto inprimis petitam, Cl. enim Gerdesii historia, quam inscripsit *Euangelii renovati*, docte profecto et fusius exarata, his dudum scriptis ad manus meas pervenit; meretur vero cum nostra omnino conferri. Parentes habuit Johannem Luderum, ut rustica exprimit pronunciatio, alias Lutherum, et Margaretam Lindemanam, honestos quidem, sed pauperiores, qui prope Isenacum degerunt, dein Islebiae. Erat vero pater operarius metallicus, qui postea, Mansfeldam translato domicilio, propter fodinas Mansfeldenses, tunc celebriores, fodinarum aliquarum dominus est factus, etiam Magistratum gessit. Noster Islebiae natus a. 1483. et die sequente nativitatis baptizatus est, qui Martino erat dicatus, indeque Martinus adpellatus. Studia, quibus destinatus fuit, praecipue confecit Erfordiae, tanto cum successu, ut viginti annos natus

magister artium fuerit renunciatus, et sodales longo post se reliquerit intervallo. Sed, vitae genere brevi mutato, monasticam vitam, inprobante, vel invito, patre, amplexus, sese in monasterium Augustinianorum Erfordiae abdidit, a. 1505., singulari casu permotus; quippe, cum subita socii cujusdem sui morte, tum fulmine et tonitru, tanto correptus est pavore, ut ad monasticam sese contulerit vitam: quam etiam in principio egit moestus et tristis, multisque terrificis cogitationibus vexatus. Quo in statu per musicam, in qua arte bene versatus erat, sese non tantum recreare solebat, sed et melancholica sua indole, cujus fuit, testibus historicis, temperamenti, compulsus est ad veritates consolatorias Scripturae S., ut quae de remissione peccatorum, et justificatione gratuita, agunt. Cum lethali laboraret morbo, suosque terrores seni alicui monacho significaret, is ipsi articulum de remissione peccatorum inculcavit, et gratuitam justificationem exposuit, eaque ratione ipsum mirifice est consolatus. Inbiberat itaque doctrinam de peccato originali, et justificatione ex fide, sine operibus, jam antequam sese indulgentiis opposuit: ut ex epistola ejus ad Spalatinum a. 1516., in qua de Erasmi methodo Scripturam interpretandi judicium fert, et aliunde, ut ex concione Dresdae habita, apud Seckendorf. hist. Lutheranismi l. I., elucescit. Notabilia alibi etiam sunt hanc in rem verba Lutheri, in Comm. ad Genesin.

§. II. Totus in monasterio incubuit studiis, in primis Scripturae S. et Augustino, doctrinae vero Scholasticae studium non neglexit quidem, attamen minus ursit, et tanquam parergon tractavit. Sacerdos creatus est a. 1507., et Romam a. 1510. ablegatus, ut Ordinis sui causam ibi ageret, hanc, ipso teste, inde utilitatem tantum retulit, quod superstitionem, qua et ipse adhuc infectus erat, et inpietatem, ibi regnantem, propius inspexerit, et cognoverit. Dein Doctoris titulo publice sumto, ut Ordinis Generali Staupitio obediret, sumtus praebente Frederico, Saxoniae Duce, et Electo-

Electore, Wittenbergae ab a. 1512. summo cum applausu docuit. Quo tempore litteris Hebraicis et Graecis operam dedit, Erasmi Philologiam magni fecit, et Capnionis, de quo supra suo loco, partes tuitus est, ab Aristotelis vero Philosophia alienior factus, ut ex epistola ejus ad Johannem Langum a. 1516., et aliunde, patet. Operam praecipue dedit Scripturae S. et Augustino, unde doctrinam de justificatione ex sola fide sine operibus hausit, Epistolam vero Pauli ad Romanos, et Psalmos, et hic enarravit, magna cum laude, et ad multorum consolationem. Maximi etiam fecit Johannis Tauleri, de quo supra egi, sermones et tractatus, de quo viro dicere solebat, teste epistola ejus XXIII. ad Spalatinum, se *neque in Latina, neque in Graeca lingua, vidisse Theologiam salubriorem, et cum Euangelio consonantiorem.*

§. III. Hoc in statu cum res Lutheri essent, indulgentiae Leonis X. per Tetzelium sunt in Germania promulgatae et in Saxonia, uti in vita Leonis narravi, et maximos dederunt motus: quorum occasionem et causam enarrat Seckendorf, ex apologia Lutheri contra Henricum Ducem Brunsvicensem, et ex Myconii MSS. Ipse vero Lutherus in praefat. Oper. Latin. tom. I., et in commentario ad Johannem, tradit, se casu, et non voluntate, ac studio, in turbas incidisse. Regnum Germanicum licet multis modis jam esset a Curia Romana exhaustum, multi etiam querelas effunderent, hoc tempore per nundinationem Indulgentiarum adeo commotum est, ut omnium animi fuerint concitati; et Lutherus, eam non amplius ferendam ratus, sese primus iis opposuerit. Erat utique nundinatio ab omni parte turpissima; de quo legi debent acta Myconii cum Tetzelio apud Seckendorf. 1. Ipse Tetzelius, qui eam faciebat, erat Dominicanus non tantum, sed indoctus, et inpudens, qui propter adulterium erat capitis damnatus, sed Frederici Electoris intercessione absolutus: tantum in hac arte nundinatoria probe exercitatus, quam et antea exercuerat in Misnia summa cum inpudentia, ut ex Chronico Fribergensi, et

Zuiccaviensi, docuit Seckendorf. 2. Modus, quo indulgentiae exigebantur, erat detestandus: de quo consuli meretur Chemnicius exam. Concili Trident, p. IV. Adseruit autem Tetzelius, inter alia abominanda *a.* nullum tam enorme esse peccatum, quod per indulgentias non tollatur, etiamsi esset adulterium cum Maria Virgine *b.* se plures salvasse animas per indulgentias, quam Petrum concionando. *c.* gratiam indulgentiarum eandem esse, ac qua homo cum Deo reconciliatur, nec poenitentia, ac contritione, opus esse. *d.* Veniam quoque pro futuris dari peccatis: cujus lepidum hoc in Tetzelio refert exemplum Seckendorf. ex MSS. Arnoldi de vita Mauritii Electoris. Nobilis quidam eum, cum Lipsiae nundinaretur, rogans, num peccati, quod in animo habebat, absolutionem dare posset, responsum accepit favorabile, et data pecunia largissimam indulgentiam. Quo facto, ipsum Lipsia discedentem, et ingente pecuniae summa onustum, hic ipse Nobilis invadit, spoliat, et fuste probe dedolatum dimittit, dicens, hoc fuisse peccatum, quod animo volverat. *e.* Indulgentias sese etiam ad animas in purgatorio extendere, imo eas mox inde exsilire, quando nummus tinniret. *f.* De Papa, ejusque autoritate ac potestate, loquebatur grandia, et mira, ex. gr. crucem rubram cum insignibus Pontificis suspensam in Templis ejusdem esse efficaciae, ac Christi crucem. Testatur Myconius, eum adeo extulisse Pontificis potestatem, *quasi Christus sese omni regimine Ecclesiae ad extremum judicii diem abdicasset, et omnia absoluto Pontificum arbitrio commisisset.* De quo theses Tetzelii, Luthero oppositae, etiam testantur. Sunt enim inter eas, quae habent, potestatem Papae in Ecclesia esse supremam, a solo Deo ortam, superiorem universali Ecclesia et Concilio, Papam solum definire quae sunt fidei, et Scripturam S. autoritative solum interpretari, nec errare etc. Accessit ad haec omnia, exactores Indulgentiarum splendide vixisse et luxuriose, et collectas pecunias pessime inpendisse. Albertum, Moguntinum Archiepiscopum, qui indulgentias in

Germania

Germania maxime urſit, id feciſſe palam conſtabat, ut faſtum et luxum tueri, et pecuniam, pro pallio inpendendam, corradere, poſſet. De Tetzelio ipſe Miltitius id teſtatus eſt in litteris a. 1519. ſcriptis, apud Seckendorf.

§. IV. Accidit praeterea, ut Monachi, crimina coram Luthero a. 1517. confeſſi, recuſaverint injunctas poenitentias, dicentes, ſe indulgentiarum diplomatibus eſſe munitos, praeterea Lutherum, qui abſolutionem negavit, accuſaverint, et de eo conqueſti ſint, apud Tetzelium: qui vehementer propterea in contemtores Indulgentiarum declamare coepit, minatus quoque gravia: erat enim haereticae pravitatis quoque Inquiſitor. Ab hoc vero tempore Lutherus indulgentiis pro concione publice contradixit, variaſque ad Epiſcopos dedit litteras hanc in rem, non quidem adfirmans, ſed problematice tractans, et cum ſubmiſſione Papae et Eccleſiae judicio. Qua ratione diſputavit, indulgentias eſſe ignavorum Chriſtianorum, qui a benefaciendo, et pietatis exercitiis, ac poenitentia, cupiunt abſolvi, cum tamen ea ſint verorum Chriſtianorum opera, per omnem vitam, praeterea, indulgentias eſſe nullius utilitatis, et pecunias rectius in uſum pauperum inpendi. Quem eundem tenuit tenorem in nonaginta novem theſibus, portis Eccleſiae Wittebergenſis publice adfixis a. 1517. et ad diſputandum propoſitis, quae in omnibus operum Lutheri editionibus proſtant: quippe quas nondum eo animo propoſuit, ut quid certi illis de materiis adſereret, ſed ut de iis diſputaretur, et veritas erueretur, addita ſolenni ſubmiſſione Papae et Eccleſiae. Quibus Lutheri theſibus alias centum et ſex oppoſuit Tetzelius, Francofurti ad Oderam, licet non ab ipſo, ſed Conrado Wimpina, ſcholaſtico ibi Doctore, concinnatas, et mox alias quinquaginta addidit, ad crimen haereſios Luthero inpingendum. Quo nondum contentus, Lutheri theſes, pro inquiſitoria ſua poteſtate publice curavit comburi. Quod tamen inpune non eſt factum; cum Lutheri diſcipuli, vicem ipſi rependentes, theſes Tetzelianas

beo, vivifica occide, voca revoca, adproba reproba, ut placuerit: vocem tuam vocem Christi, in te praesidentis et loquentis, agnoscam, si mortem merui mortem non recusabo. Notanda insuper est epistola ejus ad Staupitium, Ordinis sui Vicarium, cui tractatum illum quoque obtulit, quippe qua distincte explicat, quid se ad oppositiones, indulgentiis factas, moverit; narrat scilicet, se dictum aliquod ejus alta mente repostum tenuisse, *poenitentiam veram non esse, nisi quae ab amore justitiae et Dei incipit,* se autem illud cum Scriptura S. contulisse, et verum deprehendisse; et hinc factum esse, ut non potuerit non commoveri, cum audiret, neglecta vera poenitentiae doctrina, vilissimam tantum ejus partem, seu *satisfactionem*, et vilissimae hujus partis remissionem, seu *indulgentias*, tam magnifice praedicari; adeoque secum statuisse, eorum furori occurrere, et dogmata eorum in dubium vocare. Ex quo, praeter alia, confirmatur, fictas esse rationes, quae Lutherum movissent, a Pontificiis in medium adductas. Ceterum, licet in his *resolutionibus* mentem de vera poenitentia semper durante, de satisfactionibus et indulgentiis, de potestate Papae, aliisque capitibus, dilucide magis exponat, disputantis tamen personam retinet, nec Papae se opponit, laudat potius et excusat Leonem, nec etiam Papalem, aut sacerdotalem, respuit remissionem, quin eam pro declaratione remissionis Divinae habet. Interea 1. negat, opera poenitentiae per indulgentias posse remitti, cum sint juris Divini, contra quod nihil possit Papa. 2. de gravissimis oneribus Ecclesiae inpositis, et indulgentiarum profusione, conqueritur 3. Christianos per fidem et poenitentiam fieri gratiae Christi participes, absque ut indulgentiis opus sit, disputat. 4. Oppugnat in primis abundantiam meritorum in sanctis, et thesaurum, sic dictum, Ecclesiae. 5. Scholasticorum et Aristotelis auctoritatem repudiat, 6. Gladium quoque secularem, seu potestatem cogendi et puniendi, eripit Papis, solo verbi gladio iis relicto. Denique 7. se a schismate profitetur alienum, et protestatur, damnans quoque Bohemos, quod ob vitia deseruerint Ecclesiam. §. VII.

§. VII. Egerat hucusque timidius, et modestius, Lutherus, nec Papae, aut Ecclesiae, infregerat autoritatem; eam limitasse contentus: sed mox duplex ipsi oblata est occasio acrius et apertius in Ecclesiae Pontificiae, et autoritatis Papalis abusus insurgendi; quam non neglexit adripere. *Priorem* dedit Sylvester Prierias, in epitome responsionum contra Lutherum, in qua Papam supra concilia, canones, ipsamque Scripturam, adeo extollit, ut nullum tenuerit modum, fidem, et mores et Scripturam a Papae arbitrio suspendens. Quo, adeo fuit indignatus Lutherus, ut et talem Papam diserte dixerit Antichristum, et de illo libro censuerit, *optimam illius esse confutationem, si nudus vulgetur;* imo eo proruperit, ut tales pestes a potestatibus secularibus dixerit exstirpandas esse. *Alteram* praebuerunt acta Papae cum Luthero. Leo X., aliis inplicitus negotiis, disputationes illas spreverat in initio, dein, continuis accusationibus contra Lutherum motus, eum citavit, ut intra sexaginta dies Romae compareat, judicibus ipsi datis, inter quos ipse ille erat Sylvester, de quo propterea dixit Lutherus, *idem homo suavissimus mihi simul adversarius et judex est.* Sed mox, mutato animo, compendiosiorem esse viam ratus, causam Lutheri commisit Cardinali legato judicandam in ipsa Germania. Missus itaque est Legatus Tomas de Vio, Cardinalis Cajetanus, cum Lutheri causa, tum etiam, quod Lutherus fuit subodoratus, ad decimas in Germania colligendas, addunt alii, ad Principes contra Turcas armandos. Pedibus iter suscipiens Augustam, ubi comitia erant habenda, et ipse coram Cardinali sisteretur, divertit ad Carmelitas, nec comparere voluit, nisi salvo-conductu munitus ab Inperatore, amicorum consilio motus; absque quo fuisset, carcerem non effugisset; cum, quod nesciebat, Romae jam esset damnatus, et fulmina quoque contra ejus fautores, excepto Inperatore, jam parata. Inpetrato salvo-conductu, nequicquam renitente Cardinali, sese coram eo stitit. Quam animosus fuerit, et fiducia plenus, cum Augustam tenderet, et ibi versaretur, nonnullae ejus

epistolae, quas Scultetus in Annalibus quoque recensuit, luculenter edocent.

§. VIII. Ursit legatus in colloquio, ut aliquem ejusdem intellectum, in principio retractationem errorum, a Luthero faciendam, omni seposita disputatione; cum vero eam declinaret Lutherus, quippe errorum sibi non conscius, et peteret, ut eorum ex Scriptura S. convinceretur, Cardinalis duos protulit, unum quod indulgentias, et bullam Clementis VI., inpugnaverit, alterum circa fidem Sacramentorum, in eo situm, quod qui ad Sacramentum accedit, credere debeat, se gratiam ejus consecuturum esse. De posteriore parcius, sed de priore multum, est actum. Incurrit autem offensam, quod Scripturam S. praeferret bullae Clementinae, et ex bulla nihil contenderet probari posse, quod opinionem Tomae tantum recitet, et Scripturae adversetur. Noluit vero ex Scriptura cum Luthero disputare, imo ipsum ad Scripturas provocantem irrisit, et Doctorum opiniones ipsi tantum objecit, erat enim tunc adhuc Scripturae ignarus Cajetanus, cui postea demum, forte hoc ipso colloquio motus, operam dedit. Denique, cum nec minis nec promissis quid apud Lutherum valeret, eum abire jussit, et a Staupitio requisivit, ut eum revocaret, et ex Scriptura convinceret. Posterius excusavit Staupitius, quippe ad id ineptus, prius in se suscepit, eoque adduxit Lutherum, ut mollissimas ad Cardinalem scripserit litteras, quibus humanitatem ejus laudat, irreverentiam erga Pontificem excusat, seque paratum declarat silere de Indulgentiis, si idem faciant adversarii, sed revocationem doctrinae suae recusat. Ad quas litteras cum nihil responderet Cardinalis alias scripsit, quibus adpellationem suam, a Papa male informato ad melius informandum significat, et discessum suum excusat. Quo facto se subito subduxit Lutherus, et ejus Notarius *adpellationem* in foro adfixit; in qua questus est, quod, cum de indulgentiis, et non de fide, aut praecepto Dei, vel Ecclesiae, tantum disputaverit, seseque judicio Ecclesiae et Papae submiserit, pro haere-

haeretico traducatur, dein deprecatur comparitionem Romae, quod judices ſibi dati ſint Scripturae ignari, et ſui adverſarii, quodque nec corporis inbecillitas, aut paupertas iter permittat, denique illud ſit intutum, cum Romae olim juſtitia, nunc homicidae, habitent. Tandem ſe adpellare indicat, et ſubjectionem ſuam, ut antea, repetit, non acſi de veritate doctrinae ſuae dubitaret, ſaepe enim declaravit, ſibi nihil ex Scriptura opponi poſſe ſolidi, ſed quod, Papam putaverit veritati manus eſſe praebiturum, adeoque reverentiam, ei debitam, ut ipſe ſcribit, ſervaret.

§. IX. Quam vana fuerit haec ſpes, brevi adparuit, et ipſe in reditu ſuo intellexit, cum *breve* Papale ad Cajetanum, quod nondum viderat, ad ipſum eſt delatum, quo *haereticus* eſt declaratus. Quod ipſum adeo irritavit, ut diabolicum illud diploma non a Papa, ſed a nebulone quodam, dixerit profectum eſſe, ſed acceſſit mox novum diploma pro indulgentiis, de quo ſtatim, quo exacerbatio ejus crevit, ſimul ipſe animoſior contra Papam factus eſt. Quo haud parum contulit, quod Fredericus, Saxoniae Elector, Princeps ſapiens, et potens, licet circa reliquias adhuc ſuperſtitioſus, ut multis probat Seckendorf, patrocinium ejus ab hoc tempore ſuſceperit, multum eo tribuente Georgio Spalatino, Secretario Principis. Sed Principem in primis movit inportuna Cardinalis ad eum epiſtola, qua, additis minis, poſtulavit, ut Lutherum, manifeſtum haereticum, deſerat, nec non Lutheri epiſtola, qua ipſi acta cum Cardinale expoſuit, et patrocinium petit; denique ipſius Academiae Wittenbergenſis interceſſio. Reſcripſit itaque Elector ad Cardinalem, ſe inprobare, quod ſola autoritate et praecepto fuerit in colloquio cum Luthero actum, et ab ipſo requiſita retractatio theſium, quarum falſitas non erat demonſtrata: addit, ſe Academiam viro tam docto privare non poſſe. Hac ratione animatus Lutherus acta cum Cajetano mox in publicam emiſit lucem, cum libero additamento, quo vim fieri Scripturae S. in Paparum decretalibus, et Pa-

pam esse fallibilem, diserte adfirmat. Cum vero de sua damnatione Romae certior esset factus, ut judicium Papae, mox publicandum, eluderet, ad Generale concilium adpellavit. Post hanc protestationem in publicum missa est *bulla* Leonis pro indulgentiis, qua illa doctrina sine ullo temperamento explicatur, et sub poena excommunicationis jubetur praedicari. Quod tamen effectu optato caruit, per Frederici autoritatem, Maximiliani I. Inperatoris morte amplificatam; erat enim Fredericus, tempore Interregni, Vicarius Inperii. Lutherus porro, qui hucusque timidius egerat, saepe etiam usus submissionibus, quarum postea ipsum poenituit, ut ex praefatione Operum ejus a. 1545., et aliunde, patet, animosius ab hoc tempore coepit instituere, ut sequens historia docebit. Ceterum, licet ad hoc tempus usque nihil fuerit in doctrina aut cultu inmutatum, duo jacta sunt reformationis fundamenta praeparatoria: *unum*, doctrinam Christianam non ab hominum, aut Paparum, decretis, et autoritate, sed a sola Scriptura S., pendere, *alterum*, ad verum Dei cultum, et salutem, non requiri externas illas et innumeras observationes, ab hominibus praescriptas, earumque exercitium, et opus operatum, sed praevenientis gratiae auxilium, ejusque piam, et internam, admissionem, seu fidem. Quae ex scriptis Lutheri, quaquaversum sparsis, jam in multorum animos illapsa, radices agere inceperunt.

ANNUS 1519.

§. X. Initio hujus anni, agam enim nunc per annales, missus est a Papa ad Fredericum Miltitius, Eques Saxonicus, Papae cubicularius secretus, ac familiaris, qui ipsi *rosam auream*, pro dono pretioso haberi solitam, obtulit nomine Papae, quam ante quatuor annos valde ambiisset, nunc vix adspectu dignatus recepit, praeterea Electorem ad Lutherum missum faciendum incitavit, sed in vanum. Dein adiit Lutherum, a quo hoc tantum inpetravit, ut de Indulgentiis sileat,

fileat, adversariis etiam quiescentibus, et litteras ad Papam daret, quibus obsequium profiteretur, denique causae cognitio Electori Trevirensi committeretur: quod postremum effectu caruit. Litteras dedit Lutherus ad Papam, et Miltitius nihil non egit, ad Friderici gratiam aucupandam, ac Lutherum promissis demulcendum: quo etiam facit, quod Tetzelium reprehenderit, ipsiusque gesta inprobaverit, qui Papae indignatione prostratus prae moerore mortuus est. In litteris vero ad Papam, quas recenset Seckendorf, 1. profitetur Lutherus Ecclesiae Romanae potestatem super omnia, neque ei quicquam in coelo aut terra praeferendum, praeter unum Dominum Jesum Christum. 2. promittit de indulgentiis silentium, si illud teneant adversarii. 3. excusat oppositiones indulgentiis factas, eo, quod eas honori ipsius Ecclesiae Romanae debuerit, in cujus summum dedecus illae cedebant. 4. Revocationem errorum suorum declarat a se fieri non posse, nec ut fiat utile esse Ecclesiae Romanae. Unde patescit, Lutherum, etsi paulo animosiorem, nondum omnem exuisse metum, nec opinioni de Ecclesiae Romanae autoritate renunciasse, etsi Christum ei praeferat, et, ut ex aliis hujus temporis scriptis ejus patet, inter Ecclesiam, et Curiam Romanam, distinxerit.

§. XI. Qualem quantumque progressum jam hoc tempore fecerit causa Lutheri, multa docent testimonia, multa evincunt indicia, quorum aliqua proferam. Ipse Miltitius, teste Luthero in praef. ad opera Latina, fassus est, se animos hominum in itinere explorasse, et deprehendisse, *ubi unus esset pro Papa, tres stare pro Luthero.* Tetzelius quoque in litteris ad Miltitium, ut iter suum Altenburgum, ubi cum Luthero egit, quo eum etiam evocaverat Miltitius, adferit, *iter esse sibi intutum, quia Lutherus totam pene Germaniam, Poloniam, et Hungariam, in se concitaverat, ut nuspiam secure vivere liceat.* Quo etiam facit, quod Johannes Frobenius, Basileensis typographus, hoc tempore per litteras Luthero significaverit, legi, et probari scripta ejus Lutetiae, etiam a

Sorbonicis, et exemplaria esse in Italia, Hispania, et alibi, omnium doctorum judiciis adprobata. Denique Erasmus, in epist. responsoria ad eam Lutheri, qua ejus animum sibi cupiebat conciliare Lutherus, nec non ad Electorem, ejus commentarios ad Psalmos laudat, tantum admonet, de temperandis adfectibus, et stilo, et ne in Papam, sed in eos, qui Papis abutuntur, detonet. Dicit quoque esse in Anglia et eos maximos, qui de libris Lutheri bene sentiant, esse etiam alibi, ut Lovanii, Antverpiae, etc. Testatur denique, vitam Lutheri a nemine non probari; rogat quoque Electorem, in epist. ad ipsum ne quisquam innocens praetextu pietatis, aliorum inpietati, se justitiae Praeside, dedatur, nec facile haereseos suspicione onerandum, qui vitam Christo dignam agit.

§. XII Habuit praeterea in Academia Wittebergensi illustres adseclas, qui ipsius partes jam nunc publice sunt tuiti, quorum praecipui fuerunt Melanchton et Carolostadius. De quibus pauca sunt dicenda, antequam ad colloquium Lipsiense, quod hunc annum in primis nobilitavit, veniam. *Philippus Melanchton*, alias *Schwartzert*, quod fuit Germanicum familiae nomen, Latino redditum a Capnione, natus fuit Brittae, in Palatinatu inferiore, studia absolvit Heidelbergae et Tubingae, et in posteriore loco oratoriam per quatuor annos docuit, quando annos viginti duo natus Wittebergam est vocatus, commendante Capnione, cujus hac de re epistola ad Electorem superest, ad professionem linguae Graecae a. 1518. Erat autem in Philologicis, et Philosophicis, maxime versatus, et propterea, nec non ob animam mitem, laudatus Erasmo et aliis. Lutheri indoles, virtus, et sapientia cum ipsi valde placeret, Luthero vero ejus eruditio, brevi arcta inter eos est contracta amicitia. Nugatur vero Varillas, ubi eum tradit fuisse Lutheri secretarium, cujus domo, mensa, ipso lecto, per septem annos fuisset usus usque ad conjugium Lutheri. Degit enim eo adhuc tempore Lutherus in coenobio Augustiniano, et Melanchton

lanchton Catharinam Crappiam duxit uxorem a. 1520. Rectius Collega, et in nounullis magister, Lutheri adpellatur. Plura de ipso postea. *Andreas Rudolphus Bodenstein*, alias Carolostadius gente fuit Francus, munere Templi arcis seu Ecclesiae collegiatae omnium Sanctorum Wittenbergae Canonicus et Archidiaconus, nec non Wittenbergae Professor senior, qui Lutherum ipsum creavit *Doctorem*, quare hic illum praeceptorem et majorem in Christo nuncupat. Ceterum de se confessus est Carolostadius, se jam doctorem Theologiae nondum legisse S. Scripturam; Luthero autem inter primos praebuit adsensum, ejusque sectatus est studia, ipsi etiam acceptissimus, usque ad triste illud discidium, postea inter ipsos ortum. De quo suo loco.

§. XIII. *Colloquii Lipsiensis*, cujus notitiam strictim tradam, occasionem quidem praebuerunt theses Carolostadii contra Eccium ad Lutheri defensionem, sed causa movens fuit ipse Eccius, qui sese jam antea Augustae, ubi cum Luthero egit, ad disputandum cum Carolostadio obtulerat, attamen eo scopo, ut, gloriae captandae ergo, cum ipso Luthero congrederetur, simul ut curiae Romanae se insinuaret, et ei adularetur. Quare et Georgium Saxoniae Ducem ut Academiam Lipsiensem concederet, permovit, et Lutherum, qui Lipsiam tantum ut spectator venerat, ad disputationem, salvo conductu ipsi a Principe procurato, incitavit. Obstitit quidem disputationi Adolphus, Episcopus Merseburgensis, in cujus dioecesi erat Lipsia, qui eam religioni minus esse utilem, quin dubitandi ansam praebere posse multis, censuit: sed Principis praevaluit autoritas, qui Episcopum quoque et Academiam ad permittendam disputationem, scriptis litteris apud Seckendorfium, permovit. Collocutores fuerunt initio Eccius et Carolostadius, dein ille et Lutherus. Adfuit quidem Melanchton, sed otiosus spectator, licet tradant, eum subinde succurrisse Carolostadio, et propterea ab Eccio increpitum dicente, *tace, tu Philippe! ac tua studia cura, nec me perturba.* Acta disputationis extant,

stant, et seorsim edita, et oper. Lutheri Latin. tom. I., ubi etiam epistola Melanchtonis ad Oecolampadium de ea reperitur, sicut Petri Mosellani ad Belialdum Pirkamerum in Annalibus Sculteti. Commissi sunt primo Carolostadius et Eccius, quorum *ille* modestum, et veri studiosum, animum, omnibus comprobavit modis, *hic*, vero *clamore*, *vultu militari*, *ac truci*, *histrionico*, *et incessu inpetuoso*, *feroculum* et *Gorgiam* demonstravit, ut habet Mosellanus, qui addit, *eum levissime adserere*, *quae falsa sunt*, et *inpudentissime negare*, *quae pro certo vera*, idque cum sui jactatione.

§. XIV. Disputatum inter eos fuit de *libero arbitrio*, num scilicet bonum opus proficiscatur a divina gratia, an vero non nihil de suo quoque conferat humani arbitrii actio? uti quaestionem proponit Mosellanus, prius tenuit Carolostadius, posterius Eccius. Sed quaestionem, et disputationis formam, fusius et uberius exhibet Seckendorf. Disputatum itaque fuit de causa principali bonitatis in actionibus humanis; bonitatem vero intellexit Carolostadius, non quamcunque physicam aut civilem, sed quae requiritur, ut opus Deo placeat, ex fide salvifica. Carolostadius gratiam Dei statuit esse causam principalem independentem, vi propria agentem, et totalem omnis boni in homine, ejusque conversionis, a cujus causae consortio homo totus et totaliter excludi debeat. Sed admisit nihilominus hominis vires tanquam instrumenta, et post acceptam gratiam, ut causam subordinatam, et ideo operantem, ita tamen ut hanc cooperandi vim a sola gratia habeat: esse itaque voluntatem hominis in operatione Dei passivam, sed ita, ut capacitate sit praedita, non recipiendi tantum operationem Dei, sed et quae sentiat opus operantis, quaeque resistere possit, et denique accepta gratia et efficacia divina postea etiam cooperetur. In quo differt homo a lapide et trunco, et omni instrumento inanimato. Negatur itaque *ἱκανότης aptitudo activa* in homine post lapsum, seu facultas ἐνεργητική, qua ex se potest adprehendere oblatam in verbo praedicato gratiam

conver-

conversionis, adeoque omnis praeparatio naturalis, omne meritum de congruo. Quid ad haec Eccius? ut sophismate se extricaret, usus est distinctione Scholastica inter *totum* et *totaliter*, statuens, Deum producere totum quidem bonum opus, sed non *totaliter*, seu solitarie, cooperante quippe libero arbitrio. Post prolixam disputationem, in qua Eccius voce et gestu, soliditate vero praevaluit Carolstadius, tandem ille omnia concessit, quae hic arguebat, et ille oppugnaverat, glorificans simul, se in suam sententiam protraxisse Carolstadium: ut Lutherus in epist. ad Spalatinum scribit. Hoc colloquio finito, se mutuo variis scriptis tractatibus vexarunt super scholastica inter totum et totaliter distinctione.

§. XV. Inter Eccium autem et Lutherum disceptatum est de indulgentiis, de purgatorio, non num daretur. sed quomodo erga Deum adficerentur animae, in illo supplicio versatae, denique, et praecipue, de *Primatu Papae*, num sit juris divini, quod negavit Lutherus, et ursit Eccius, an humani, quod concessit Lutherus? Unde lepidum ortum est Georgii Ducis dictum in convivio, quo, manu Eccii et Lutheri prehensa, dixit, *sive hoc sit jure divino sive humano, Romanus Pontifex est, et manet, summus Pontifex.* Ex qua disputatione nihil aliud profectum est, ac quod Eccius votorum factus fuerit compos, e Lutheri ore talia eliciens, quae ipsum Papae reddiderunt odiosiorem, qualia sunt, quod Constantiensis Synodi decreta contra quosdam Hussi articulos in dubium vocaverit, et primatum Papae jure divino negaverit. Tantum Lutherus, ut in epist. ad Spalatinum fassus est, illud inde carpsit utilitatis, quod meritorum et virium hominis vanitatem clarius et certius hinc perspexerit: sed odium Georgii Ducis factum est in Lutherum pertinacius. Inter scripta varia eristica, ab utraque parte ex hac disputatione orta, quae mitto, notari merentur *resolutiones*, seu declarationes propositionum suarum, Lipsiae disputatarum: quas Lutherus hoc tempore publicavit, quia in illis justificatio-

 nem

nem ex ſola fide, ſine operibus, tanto defendit fervore, ut, quaſi extra ſe raptus, autoritatem Epiſtolae Jacobi Apoſtoli in dubium vocaverit. Interea in erroribus Eccleſiae Pontificiae detegendis magis magiſque profecit Lutherus. Utique, notante Seckendorfio, dubitare jam hoc tempore coepit de numero ſacramentorum ſeptenario, de confeſſione peccatorum, de communione ſub una ſpecie, et de officio ſacerdotum.

ANN. 1520.

§. XVI. Praeterquam quod in principio anni Lutherus litteras ad Carolum V. ſcripſerit, eo nomine notandas, quod heroicum ſpirent animum, et cauſae fiduciam, inter *centum* clarorum virorum epiſtolas, a Brand editas, *declarationem* quoque *ſermonis*, in fine anni ſuperioris habiti, et quaquaverſum miſſi, quo ſibi probari dicit, ſimul deſiderari, ut communio ſub utraque ſpecie populo per univerſale Concilium concederetur, unde initio hujus anni motus ſunt orti, et haereſis Bohemorum Luthero inpacta eſt, in publicum miſerit, et in epiſtola ad Spalatinum ſummam cauſae ſuae fiduciam explicuerit; librum omni animadverſione dignum conſcripſit de *libertate Chriſtiana*, et Papae miſit, additis litteris, quibus ipſum ſerio ad Eccleſiae reformationem adhortatur, ſimul exaſperatae cauſae culpam a Leone magna arte in Cajetanum, et Eccium, devolvit. Spes enim ipſum adhuc alebat aliqua, licet ab aliis magis quam ab ipſo profecta, correctionem, ſalva Pontificis praerogativa, obtineri poſſe, licet in epiſt. ad Spalatinum ſignificaverit, ſe vix amplius dubitare, quin Papa ſit Antichriſtus. In libro autem, modo laudato, duo tractat axiomata, in ſpeciem contraria, Chriſtianum hominem omnium Dominum eſſe liberrimum, nulli ſubjectum, eundemque rurſus eſſe omnium ſervum officioſiſſimum, omnibus ſubjectum. Stabilivit iſto in libro juſtificationem ex ſola fide, et ex ea ſponte ſua prodire adſerit bona opera, adeoque

adeoque per eam Christianos omnes esse Sacerdotes et Pontifices, sine ullo tamen detrimento ordinis et potestatis Ecclesiasticae, aut ceremoniarum, cum Christianus se ex illa fide omnium faciat servum, et ex eo principio, non ut salutem inde quaerat, se constitutionibus subjiciat. In fine autem subjungit, fieri non posse, quin, si, tacita fide, constitutiones hominum solae doceantur, sicut hactenus est factum, per *pestilentas*, *impias*, *animicidas*, *Pontificum traditiones*, *et Theologistarum opiniones*, *Antichristum agnoscas.*

§. XVII. Inter multa scripta, quae hoc tempore contra Lutherum prodierunt, ab ipso, vel adseclis, mascule refutata, notari meretur Tomae Rhadini, Ordinis Praedicatorum, oratio ad Principes et populos Germaniae contra Lutherum, ad quam digne respondit Melanchton in Oratione pro Luthero, quae, ut legatur et relegatur, meretur, in oper. Melanchtonis tom. II. Cum autem fama *bullae* Leonis, propediem proditurae, aulam Saxonicam nonnihil terreret, Lutherus quoque fugam meditaretur ad Bohemos, nonnulli in Germania Equites ipsi asylum in ditionibus suis, et patrocinium, obtulerunt, uti Sylvester de Schauenberg, nobilis Francus, Huldericus ab Hutten, itidem nobilis Francus, et in primis Franciscus a Sickingen, magni nominis in tractu Rhenano Eques. Interea Lutherus, conscientiae stimulis, et virtute luminis, indies crescentis, quasi coactus, animosius et apertius coepit contra Papales, et Ecclesiae Pontificiae, abusus insurgere, duobus scriptis libris, antequam *bulla* Papae ad eum fuerit delata, quibus quasi classicum belli cecinit. Alter est Germanice scriptus ad Caesarem, et Nobilitatem Inperii, de *reformanda Ecclesia*, in quo actoritatem Papae maxime taxat, et dogmatum, ac cultus, multiplices abusus summa cum libertate vivis depingit coloribus; absque tamen, ut Papatum bonis legibus ordinatum rejiciat, aut collegium Cardinalium, quod intra duodenarium piorum, et peritorum, virorum restringendum vult. Quem librum se scripsisse dicit in epist. ad Langum, Au-

gustinianorum Vicarium, quod persuasissimus sit, Papatum veram et germanam esse *Antichristi sedem*. Alter vero liber est de *captivitate Babylonica Ecclesiae*, in quo praecipue de natura, usu, et numero sacramentorum agit, docetque, primam captivitatem *sacramenti altaris* esse subtractionem calicis, secundam, transubstantionem firmiter credendam, tertiam, ex missa factum sacrificium, septenario vero numero sacramentorum repudiato, tria tantum agnoscit, baptismum, poenitentiam, et eucharistiam. Denique, quod notari meretur, optare se dicit, ut, omnibus libris de Indulgentiis exustis, haec substituatur thesis, *indulgentiae sunt adulatorum Romanorum nequitiae:* exustis quoque, quae de jure humano Papatus in medium adtulit, haec thesis, *Papatus est robusta venatio Romani Episcopi*.

§. XVIII. Tandem confecta est famosa Leonis X. *Bulla*, postquam Legati Papae, in primis Eccius, Romam rediissent, et Papam ad illud incitassent; qua propositiones e Lutheri libris excerptae, partim ut manifeste haereticae, partim ut scandalosae, et temerariae, condemnantur, Luthero ipsi dies dicitur, quo retractationem vel mittat, vel ipse adferat, Romam. Quo neglecto declaratur excommunicatus cum omnibus adseclis et patronis, quibus etiam intimatur, privationes et amissiones non solum Ecclesiasticorum munerum, sed et regnorum, ditionum, et omnium bonorum. Data est haec tota tumida, fastidiosa, et arrogantiae plena, bulla Eccio in Germaniam deferenda, cum munere et titulo Nuncii Papae, ut eam publicare curaret, quod tamen nec ubique, nec facile, effectum est. Primus ad publicationem festinavit Episcopus Misnensis, Luthero infensissimus, quod idem, sed post aliquam dilationem, fecit Mersburgensis; sed Bambergensis recusavit. Lipsiae est a studiosis irrisa, et contemtui habita, Episcopus Brandenburgicus publicare quidem voluit, sed non est ausus. Erfurtensis vero Academia in ipsum Eccium insurrexit, juvenes armati eum obsident, bullam dilacerant, et in aquam conjiciunt. Ulricus autem Huttenus, cujus supra

memini,

memini, eam in publicum dedit, cum notis interlinearibus, et marginalibus, in contumeliam Papae. Elector denique Saxoniae, tunc absens, ad coronationem quippe Caesaris profectus, sese huic negotio non videtur inmiscuisse. Sed quid Lutherus? testatur in epist. ad Spalatinum, se per hanc bullam multo liberiorem esse factum, quippe jam certum, Papam esse Antichristum, ibique sedem habere Satanam, adseritque, se in eam, tanquam effictam et ementitam bullam, presso nomine Papae, acturum, licet Papam ejus esse autorem non dubitet. Dein ad concilium mox adpellavit, et Papam, ob editam bullam, palam declaravit *Tyrannum, haereticum, et apostatam*, ac Antichristum; Caesarem porro, et omnes Inperii Ordines excitat, ut huic tyrannidi obsistant, et bullae publicationem inpediant, donec legitime auditus et convictus sit. Denique, duos ipse evulgavit libros, in quorum altero carpit in genere, et refutat, bullam, imo exsecratur, suosque articulos, in ea damnatos, commendat adsumendos, sub aeternae damnationis poena, in altero per singulos it articulos, eosque defendit. Egregia praeterea hic profert de autoritate Scripturae, ejusque interpretatione, simul, quod notandum, inprobat saevitiam in haereticos, eorumque supplicia. Nec intra hos limites se continuit ferventioris ingenii vir, sed justae suae indignationi fraena eousque laxavit, ut, audito, libros suos Romae esse combustos, et ipse ingente rogo extra muros Wittebergenses constructo, in corona Doctorum, civium, et studiosorum magno numero, in ignem conjecerit, praeter *Decretum Gratiani, Decretales Pontificum Clementinas et Extravagantes*, ipsam *bullam* Leonis, his additis verbis: *quia turbasti sanctum Domini, aeterno igne comburaris*. Quae ad hoc facinus excusandum faciunt, in medium adduxit oper. ejus Latin. tom. II., ubi ex juris Pontificii libris profert triginta sententias, *ob quas combustionem meruerant*.

§. XIX. Missi hoc ipso tempore sunt in Germaniam duo Nuncii a Papa, Marinus Caracciolus Neapolitanus, et Hieronymus

[illegible] Aleander, ex Carnia oriundus, qui Caesaris Borgiae fuerat secretarius, et pessimae, secundum Lutherum oper. tom. I., indolis ac vitae, uterque Cardinalis. Coloniam appulsi, ubi tunc Caesar erat, recens coronatus, et Electorem Fredericus, hunc primum sunt adgressi, multisque per[illegible] conati, ut libros Lutheri comburendos traderet, [illegible] Lutherum supplicio adficeret, saltem capi juberet, sed neutrum inpetrarunt, contendente Electore, ante [illegible] consultare debere, libros esse flammis dignos, et Lutherum in errore versari. Quo haud parum tribuit Erasmus, [illegible] praesens, qui, ab Electore consultus de Luthero, respondit, ipsum in duobus peccasse, *quod tetigit coronam Pontificis, et ventres Monachorum*, additque, se in Luthero nil nisi leni[illegible] et moderationem desiderare, doctrinam vero ejus pro[illegible]. Sed de Erasmi mente hac parte rectius ex ejus epist. ad [illegible] Peutingerum judicatur, unde patescit, nec [illegible], nec ejus adversarios, ipsi placuisse. Quod vero ab [illegible] non potuerunt, a Caesare inpetrarunt Nuncii, [illegible] potius fecerint, ut, publicata bulla, libri ejus [illegible] fuerint: sicut in civitatibus Electorum et [illegible]rum Moguntini et Coloniensis factum est. De [illegible] Lutherus in epist. ad Staupitium dixit, *mea ter usse[illegible] Lovanii, Coloniae, et Moguntiae, sed Moguntiae cum con[illegible] periculo comburentium.* Cerimoniam combustionis [illegible] descripsit oper. Lat. tom. I. Edictum tamen [illegible] ad extirpandam haeresin, quod etiam petierunt, [illegible] nondum potuerunt.

§ [illegible]. Subjungenda quaedam restant de statu Lutheri, [illegible] hoc tempore. Unicus adhuc ejus patro[illegible] [illegible] Fredericus, licet ad Papae renunciandum, [illegible] vi defendendum, nondum potuerit induci. [illegible] Ludovicus ei nondum aperte favit, quamvis [illegible] doctrinae concionatores toleraret. Academia [illegible] causae Papae et nunc, et aliquandiu post, [illegible] praebuit quidem, sed et ibi privatim puriorem doctrinam

doctrinam instillarunt Johannes Brentius, et Theobaldus Billicanus, quorum ille Halam discessit a. 1522., hic vero mansit, sed multum vexatus. Sparsa quoque sunt per Palatinatum Bipontinum reformationis semina, sed Principis autoritas non nisi a. 1523. accessit. Vid. Alting in *hist. Palatinatus.* Princeps enim hujus partis Palatinatus, ab Electorali secretae, Ludovicus, Ducis Wolfgangi Pater, inter primos Inperii Proceres reformationem publice fuit amplexus, missificis eliminatis a. 1523., usus opera *Johannis Schwebelii*, Pfortzensis, qui a. 1514. Argentorati Sacerdos factus, eo Ordine postea abdicato, ad Sickingium, patria profugus, se contulit, et a. 1521. uxorem duxit, dein a. 1524. ab Electore vocatus est Heidelbergam. Praeter Schwebelium fuerunt et alii insignes viri, qui, Lutheri libris excitati, ad Scripturae lectionem sese adplicuerunt, et reformatae doctrinae propagandae incumbere coeperunt in Germania. Inter quos eminuit *Martinus Bucerus*, qui postea saepe in scenam prodibit, Selestadiensis, Dominicanus, Electori Palatino a sacris concionibus, qui, notante Melchiore Adamo in ejus vita, ex Erasmi scriptis purioris doctrinae semina percepit; et, quod Lutheri conamina aliquatenus probaret, a Monachis vexatus, se recepit ad Sickingium: dein Argentoratum venit, a. 1523., et reformationem introducere coepit, cum collegis Caspare Hedione, et aliis. De quo postea. Praeter hos viros faverunt Luthero Equites et Nobiles, haud exiguo numero. Inter quos eminent Haltmanus Cronebergius, potens in tractu Rhenano Eques, et in primis Franciscus a Sickingen, Eques quoque Rhenanus potentissimus, qui profugos novos euangelistas benigne recepit, et protexit. Apud quem etiam asylum nactus est fervidus Lutheri adsecla Ulricus Huttenus, Eques Francus, qui, studiis humanioribus Francofurti ad Viadrum confectis, magistri gradum meruit, dein militavit sub Maximiliano I., et equestri torque ab eo donatus est, ut et corona et laurea poetica, quam artem maxime excoluit. Erat quidem

parvo, et, ut videbatur, debili, corpore, ſed animo et robore magno, ita ut ſeptem Gallos, ipſum inpetentes, profligaverit ſolus, quod heroicum facinus ipſe celebravit carmine. Inde in aulam Alberti Moguntini receptus, doctrina Lutheri hauſta, incidit in odia zelotarum, ac confugere coactus eſt ad Sickingium: quo mortuo, in aliqua latitavit inſula, omnium rerum egenus, et mortuus a. 1523. Uſus autem eſt nimia in Lutheraniſmo propagando violentia, quam manu aliquando exercuit, quare Luthero minus eſt probatus, teſte Epiſtola ejus ad Spalatinum a. 1521. Ceterum ſcripſit Germanica lingua librum *de perpetua Paparum inobedientia* erga Inperatores. Praeterea invaluerat jam cauſa purioris Chriſtianiſmi apud plebem, dominationum et exactionum Papalium pertaeſam, et apud Litteratos, ubique magna copia exortos, nec tamen apud majorem Clerum, quem dignitatum et opum amor retinuit. Primus Epiſcoporum, qui huic cauſae faverunt, memoratur Johannes Thurſo, Epiſcopus Uratiſlavienſis, teſtibus Lutheri et Melanctonis ad eum epiſtolis, apud Scultetum in Annal. Obiit ille a. 1520.

ANN. 1521.

§. XXI. Celeberrimum cum hunc annum fecerint Comitia *Wormatienſia*, prima, quae a Carolo V. celebrata ſunt, in quibus, praeter alia, quae noſtri non ſunt fori, res religionis etiam tractata eſt; eorum paulo adcuratior danda eſt notitia. Praeceſſit *bulla* Pontificis, quo, tempore, in priore definito, elapſo, Lutherus, ſine ulla conditione, excommunicatus eſt, omnes adſeclae et fautores anathemate ſunt perculſi, omnibuſque dignitatibus ac bonis privati, denique omnibus locis, ubi haereſis illa fuerit deprehenſa, interdictum ſacrum eſt inpoſitum: ſed quae bulla exiguum habuit effectum, nec in Saxonia, quantum conſtat, publicata eſt. Inſtituta quoque ante Comitia eſt deliberatio, cum Inperator, Elector

Elector Saxo, multique Principes, jam essent praesentes, sub finem anni superioris, et initio hujus, de Luthero in judicio sistendo, quod Nuncii Papae nolebant, ejus praesentiam quoque veriti, Elector Saxo, et alii, urgebant; et ad quod Lutherus, modo Salvo-conductu munitus, erat paratissimus, teste epistola ejus ad Electorem: sub finem anni praecedentis, res illa est conclusa. Citatus itaque est Lutherus jussu Caesaris, et litterae, fidem publicam pollicitae, ipsi concessae sunt, mens. Mart. Multi quidem ipsi hoc iter dissuaserunt, eumque exemplis Hussi ac Hieronymi deterrere conati sunt, sed aures non praebuit magni animi vir, dicens, *se iturum Wormatiam, etiamsi sciat tot sibi diabolos esse oppositos, quot sint in omnibus urbis tectis tegulae.* Peculiarem meretur animadversionem Oratio Aleandri, nuncii Papae, in comitiis contra Lutherum habita, quam ex ingenio exhibet Pallavicinus in hist. concilii Tridentini, sed verius, et candidius, ex Archivis Seckendorfius. Inputat enim Orator Luthero errores, qui, ut ait, merentur, *ut centum haereticorum millia ob illos comburantur*, inter quos locum tenent, Christianos non obligari legibus Magistratus, ex libro Lutheri de *libertate Christiana*, purgatorium non dari, et ita eum contra inferos peccare, contra coelites autem, quod scripserit, se non crediturum, etsi Angelus de coelo quid doceat, contra Clerum quoque, quod omnes Christianos dixerit sacerdotes, contra sanctos, quod eorum libros spernat, contra Ordines Monasticos, quod eos rejiciat, contra mundum, quia supplicio aliquem adfici nolit, qui peccatum non commiserit mortale, contra concilia, in specie Constantiense, quod sentinam Diaboli vocaverit, contra Pontificem Romanum etc. Obiter tantum articulos, de libero arbitrio et Indulgentiis, tangit. Praeterea Lutherum negat excusandum esse, quod pro viro probo habeatur, cum haec sit haereticorum larva; urget denique librorum ejus combustionem, et negat, Salvum-conductum ipsi dandum. Qua vehemente Oratione, mens. Febr. habita, non obstante, Lutherus licet a

Papa jam damnatus, ejusque bullam, et alios libros combussisset, honorifice, ac plena cum securitate, vocatus est ad comitia et admissus: quod Caesaris magnanimitatem, et Electoris autoritatem, ac constantiam indicat, simul in contemtum Papae cedit: quae etiam ratio erat, quare Aleander ejus praesentiam inpedire conatus fuit. Papali enim cum autoritate consistere non poterat, virum, a Papa proscriptum, denuo coram Caesare et Ordinibus, utpote laicis, et Papa inferioribus, audiri.

§. XXII. Tetendit itaque Lutherus Wormatiam, comitibus nonnullis stipatus, inter quos erant Jodocus, vel Justus, Jonas, collegiatae Ecclesiae Wittebergensis Praepositus, Nicolaus Ambsdorfius ejusdem canonicus, et Hieronymus Schurfius, Juris Doctor, et brevem habuit, ac extemporaneam Erfurti orationem, contra fiduciam operum bonorum, et vitia Cleri. In itinere multa ipsi occurrerunt inpedimenta, quae ipsum ab aditu Wormatiam deterrere apta nata erant, inter quae erat, quod, ipsum a Caesare jam esse damnatum, nunciaretur, quodque Oppenheimii fuerit amicorum litteris admonitus, ne progrederetur, sed animus ejus non tantum non est fractus, verum corroboratus potius, et intrepidior factus, ita ut, cujus modo memini, responderit, se iturum Wormatiam, si *vel ibi tot diaboli essent, quod latericiae tegulae.* Intravit itaque urbem die 16 April., ingente cum populi concursu. In consessum publicum die sequente ductus, praeeunte Papenheimio Mareschallo, et feciali Sturmio, duo ipsi sunt, jussu Inperatoris, per officialem Trevirensem, proposita quaesita, num autor esset librorum, quae ejus nomen praeferunt, titulis eorum praelectis, numque, quae in iis damnata erant erronea, retractare vellet? Prius agnovit, excepto, si aliquid iis esset additum, ad posterius cum respondisset, se tempus ad id petere, concessum est ad diem sequentem. Narrat quidem Pallavicinus, ipsum in primo hoc aditu nihil praetulisse modestiae, aut erga Caesarem reverentiae. Caesarem propterea dixisse, *hic certe nunquam*

quam efficeret, ut haereticus fierem: sed de eo nihil Cochlaeus, aut alii, habent. Altero die iterum admissus, praemissa excusatione, si forte per ignorantiam cuique non dederit dignos titulos, aut in mores aulicos, iis non adsuetus, peccaverit, per duas peroravit horas, modeste et intrepide, respondit que, se per conscientiam non posse doctrinam suam revocare, nisi e Scriptura convincatur, cum alium in terra ignoret judicem, concludens his verbis, *hic sto, non possum aliter, Deus me adjuvet. Amen.* Dimidiam consessus partem ipsi peroranti adplausisse, reliquis indignantibus, Hispanis quoque ipsum discedentem sibilis prosecutis, tradit Varillas. Postea semel et iterum, coram Archiepiscopo Trevirensi, aliisque Principibus, comparuit, qui ipsum a proposito multis rationibus dimovere conati sunt; sed sine ullo effectu. Cum ipsi objiceretur Concilii Constantiensis repudiatio, illud in Symbolum Apostolicum inpegisse respondit, Hussi de Ecclesia doctrinam repudiando, seque pro unica norma Scripturam S. habere. Trevirensi roganti, *quale causae huic remedium inveniri posset?* regessit, citato dicto Gamalielis Act. V., *intra biennium, vel triennium, sponte periturum esse propositum suum, si non esset ex Deo, sed si est, a nemine opprimi posse.* Philippus, Hassiae Landgravius, ipsum adiisse, et, cum aliquid de doctrina esset locutus, porrecta manu, his verbis discessisse narratur, *si jure utaris, Deus tibi adsistat.* Notabiliora sunt verba, quibus Georgius Frundsbergius, celebris Eques, ipsum, in consessum euntem, etc., humerum ejus manu feriens, adlocutus fertur: *o fratercule! tu gradum nunc facis, qualem ego, multique belli Duces, in periculosissima acie vix fecimus: si tamen recte sentis, et tuae causae certus es, pergas in nomine Domini, et confidas, non deseret te Deus.*

§. XXIII. Discessit quidem Lutherus salvus, Caesare fidem datam fideliter servante, licet non defuerint, qui cum eo, ut antea cum Husso, agendum esse, suaserint; sed post abitum ejus severissimum illud edictum Wormatiense,

 ab

ab Aleandro compositum, nomine Caesaris et Principum promulgatum est, die 26to Maji, quamvis ad *octavum* Maji retractus sit dies, narrante Pallavicino, ut omnium Principum suffragiis censeretur adprobatum; plurimi enim ante 26tum diem ex Electoribus, inter quos Saxo, et Principes, jam abierant, unde, illud decretum paucis fuisse probatum, constat. Ceterum, Lutherus illo edicto, tanquam manifestus haereticus, ab Inperio proscriptus est, omnibusque interdictum, illum recipere, protegere, aut libros ejus legere, imo potestas datur omnibus, ipsum, ejusque complices, ac protectores, invadendi, eorumque bona capiendi. Quibus peractis, Aleander traditur dixisse Caracciolo; *eja, mi Caracciole? si nihil adeo praeclari his comitiis effecimus, tamen certum est, nos magnam hoc edicto in Germania lanienam concitare, qua Alemanni ipsi, in viscera sua saevientes, propediem in proprio sanguine suffocabuntur.*

§. XXIV. Lutherus vero, Wormatia discedens, venit Friedbergam, oppidum Inperiale Wetteraviae, unde litteras ad Caesarem et Ordines Inperii scripsit, quibus gratias pro salvo-conductu agit, secum acta recenset, et, dogmata sua ex Scriptura non esse examinata, conquestus, quod ut fiat, petit. Feciali, qui ipsum ducebat, cum his litteris dimisso, ivit in Cattorum provinciam, et Grunbergae, quae Philippi Landgravii urbs erat, pernoctavit. Unde cum Isennaco non recta linea in Saxoniam tenderet, sed ad amicos, quos in tractu Salzungensi habebat, deflecteret, captus est prope arcem Hundiorum Altenstein, et vicum Schweina, ad radices sylvae Thuringiacae, in ditione Electorali, ductusque in arcem Wartburg, vel Wartenburgum, quasi dicas *castellum speculae*, supra Isennacum, in altissimo montium vertice constructam, vetustam Landgraviorum Thuringiae sedem: in qua, tanquam honesta captivitate, detentus, et honorifice ac benigne tractatus est. Quae omnia Frederici Electoris providae dispositioni sunt accepta ferenda, quippe qui, nihil amplius remedii superesse videns,

illud

illud a tempore sumsit, ut et Lutherus in tuto esset, et causa ejus ad tempus quiesceret. Forte nec ignarus hujus consilii fuit, aut ab eo alienus, ipse Caesar, ut, quod Seckendorfius conjicit, et velificaretur Papae, Lutherum proscribendo, et, si Papa fidem falleret, media, commodis suis prospiciendi, ad manus essent. Utique edicti exsecutionem non ursit Caesar non solum, quod, motibus Hispanicis implicitus, et dein bello Gallico, absens esset, sed et quod politicas habuerit ita agendi rationes. Cum autem Lutherus tam cito evanuisset, varia, ut fieri adsolet, de ipso sparsa est fama. Disseminatum quoque est, ipsum, a Pontificiis esse neci datum: quod, facile creditum, in seditionem fere concitasset Wormatienses, et Aleandro, ibi valde odioso, necem adtulisset.

§. XXV. Degit hoc in asylo, seu exilio, quod *Patmon, insulam suam*, ipse adpellavit Lutherus, tutus quidem, sed invitus, cum non nisi aegre in Electoris consilium consenserit vir animi heroici, qui aperto marte cum Pontificiis agere, illisque caput suum objicere voluit, cessit nihilominus cautelis aulicis, cum Elector necdum volebat, nec audebat, Lutheri patrocinium publice suscipere. Degit autem hic per aliquot menses, sub nomine *Georgii Nobilis*, (Juncher George) adeoque latuit, ut ne Ipsi certo sciverint Principes, ubi esset, nec Lutherus, cujus sumtibus aleretur. Enarremus nunc fata et labores ejus in hac arce. Ad fata pertinet, quod aliquoties fuerit territus, et, ut putabat, a Satana tentatus; ut ex epistolis ejus, et historia vitae ejus, patet. Inter tentationes singularis fuit, ab ipso a. 1533., evulgata, qua Satanas ipsi idololatriae exercitium per missam, per annos quindecim factum, imputavit, tanquam gravissimum crimen, ut eum ad desperationem adigeret: sed quam tentationem superavit per fidem in gratiam Christi, quae omnibus peccatis redimendis sufficit, ad exemplum Pauli 2. Cor. XII. Unde ansam arripuerunt Pontificii, ipsum traducendi, acsi doctrinam de missa, *non sacrificio*, a Sata-

na didicisset. Quam calumniam late refutat Seckendorfius, ex eo praecipue, quod ante hoc tempus missam, qua sacrificium, jam refutaverit. Singulis Dominicis, ut labores ejus et scripta recenseam, in arce est concionatus, coram Praefecto arcis, et aliis multis. Varias scripsit in hac captivitate Epistolas, libros varios: profecit et ipse hic in erroribus detegendis, et doctrinam suam confirmavit. Confessionem privatam, qualem urgent, et exercent, Pontificii, refutavit, tanquam Scriptura S. non comprehensam, conscientiarum carnificinam, et peccatorum adferentem licentiam, cum populum vana inbueret opinione, crimina per eam, et satisfactiones a sacerdote inpositas, expiari, licet millies et palam repeterentur. Nec tamen omnem confessionem privatam, nec absolutionis utilitatem, negavit, existimans, confessionem esse ad submissionem, et mortificationem, utilem, adferre quoque absolutionem Ecclesiasticam aliquid solatii vi promissi Christi, et potestatis clavium; sed confessiones voluit esse spontaneas, nec, ut omnia proferantur peccata, necesse esse, cum memoria hominis id non ferat.

§. XXVI. Augustinianos Wittebergenses cum audivisset abrogasse missas solitarias, illudque a Synodo Ordinis provinciali esse adprobatum, ipse, tanquam bene factum, licet se inscio, laudavit, librumque de *abroganda missa* exaravit; in quo, Clericos esse jure divino solos sacerdotes, quoque negat, cum Laicis iste titulus aeque competat, illique sacrificia spiritualia, quae nunc sola obtinent, offerre, ipsum etiam verbum Dei adnunciare possint, licet ordinis ergo certi viri recte constituantur ad verbi praedicationem, et sacramentorum administrationem. Praeterea, cum Bartholomaeus Bernhardi, primus sacerdotum in Saxonia uxorem duxisset, illudque Melanchtonis, aliorumque, calculo fuisset adprobatum, consensit quoque in Clericorum conjugia Lutherus, absque ut Monachorum, propter vota facta, admittere in initio potuerit, sed postea rectiora edoctus, talia vota non constringere, et Monachis licere conjugium contra-

here,

here, luculenter docuit, et demonstravit in libro de *votis Monasticis*, hoc etiam tempore composito: absque tamen, ut aut collegia hominum in casto caelibatu libere viventium inprobaverit, cum ad utilitatem Ecclesiae, et studia excolenda, illud fiat, aut Virginum Monasteria, eadem cum libertate instituta. Scripsit quoque hoc in loco refutationem Jacobi Latomi, Theologi Lovaniensis, et duas suas defendit propositiones, Dei praecepta inpleri inpossibile esse, nisi gratiae accedat auxilium, et omne bonum opus esse peccatum, nisi Dei misericordia illud agnoscat. Notabilis denique ejus liber est contra Ambrosium Catharinum, Senensem Dominicanum, postea Episcopum, quo, Papam esse Antichristum, sibi sumsit probandum, et in Curiae Romanae abusus libere invehitur. Alia mitto. Praestitit itaque sese in hac custodia virum fortem, laboriosum, et Ecclesiae utilissimum, sed et praedixit bellum rusticum, mortem Frederici Electoris, ante illa mala auferendi, et Caroli V. infelix inperium; ut refert Seckendorfius.

§. XXVII. Prodiit quoque hoc tempore Henrici VIII., regis Angliae, saltem ejus nomine, singularis liber pro *septem sacramentorum* defensione, contra Lutheri librum de *Captivitate Babylonica*; quo Rex a Papa consecutus est *defensoris Ecclesiae* superbum titulum, quem ab eo tempore retinuerunt, non obstante reformatione, Angliae Reges; qui antea quidem aliquem titulum, ad exemplum Regum Hispaniae, qui *Catholici*, et Galliae, qui *Christianissimi*, audiunt, ambierant, sed non inpetraverant. Julius II., qui regum Galliae, quibus infensus erat, titulum iis destinaverat, efficere, rerum facie mutata, non est ausus. Materiam disputationis non praebuerunt capita verae doctrinae Christianae, ut Lutherus in responsione sua conqueritur, sed de Papatu, conciliorum decretis, doctoribus, Indulgentiis, Purgatorio, Missa, Academiis, votis monasticis, Episcopis, traditionibus, cultu sanctorum, novis sacramentis: quae omnia, tanquam fidei et religionis summam defendit Rex, stilo quoque usus acerbissi-

 mo.

r.o. Quo etiam haud minus aspero, nulla Majestatis habita ratione, respondit Lutherus, cum jam Wittebergam rediisset; sed tractat praecipue articulum de S. coena, et Transubstantiationem diserte et solide refutat, judicium quoque de veritate dogmatum non ad Papam, sed ad populum, et singulos, pertinere, praeclare demonstrat. Luci etiam hoc tempore expositum est *Parisiensis Academiae decretum*, ad cujus judicium in disputatione Lipsiensi provocaverat Lutherus, meliora de Academia sperans, quam nunc deprehendit. Tractatur enim ista in censura indignissime, ut omnium haereticorum pessimus, igne et flammis potius, quam rationibus, coercendus. Statuitur quoque in doctrina de libero arbitrio sequi Manichaeos, de contritione Hussitas, de confessione Wiclefitas, de praeceptis Picardos, de punitione haereticorum Catharos, de observatione legalium Ebionitas etc. Cui censurae Melanchton opposuit apologiam, hoc titulo, *adversus furiosum Parisiensium Theologastrorum decretum* etc. in qua, a solita discedens modestia, acerbissime in illud invehitur.

§. XXVIII. Inter opera Lutheri cum haud infimum tenuit locum, si publicae utilitatis habeatur ratio, *versio Bibliorum* utriusque testamenti, ex originali textu, cui se adplicuit in Patmo sua, postquam ibi per totam aestatem a. 1521. linguis Hebraeae et Graecae severius incubuisset: [illegible] de eo opere hic videntur dicenda. Exstabant qui[illegible] versiones Germanicae, Norimbergae a. 1477—83—90, [illegible] Augustae a. 1518. typis expressae, sed populo prohibi[illegible] [illegible] stili ac typorum horriditatem fere inutiles. In[illegible] [illegible] Lutherus opus suum hoc tempore, sed postea [illegible] [illegible] in consilium, et subsidium, viris peritis, [illegible] Justo Jona, Melanchtone, Matthaeo Aurogal[illegible] [illegible] initio Euangelium Matthaei, dein Mar[illegible] [illegible] ad Romanos, postea reliquos Novi Test. [illegible] a. 1522. absoluto. Quando Veteris Test. [illegible], non nisi a. 1530. ad finem perduxit: integrum

integrum vero volumen lucem vidit a. 1534., et cum emendationibus a. 1541. Quod ejus opus, licet naevis non careat, nec a notitia Linguae Hebraeae, ipso alibi fatente, satis instructus fuerit, pro eo tamen tempore satis laudabile, et stili respectu commendabile, cum sudes esset in oculis Pontificiorum, omnem moverunt lapidem, ut illud manibus hominum extorquerent. Nonnulli Principes severis illud edictis prohibuerunt, etiam comburi mandarunt, inter quos sunt Ferdinandus Archidux, Georgius Saxoniae Dux, et Joachimus, Elector Brandenhurgicus, qui alias tamen versiones plebi permisit. Sed insidam et perniciosam esse versionem demonstrare adgressus est Hieronymus Emserus, inpudentia et mordacitate nobilis, et Lutheri vehemens adversarius, multis contra eum scriptis famosus, Doctor Lipsiensis, et Georgii Ducis consiliarius; sed non nisi minutias sectatur, et Vulgatae versioni innititur. Opposuit quoque ei novam versionem Germanicam a. 1527. absolutam, ipsius Lutheri vestigia maxime premens. Denique, quod silentio non erat praetereundum, egregium scripsit Lutherus libellum de *seculari potestate*, occasione edictorum Principum, quo, inter alia, contra leges politicas de religione disputat, omnemque vim, et coactionem, e religione esse tollendam, luculenter demonstrat.

§. XXIX. Interea, dum hic versabatur, minime otiosus, stupendum prorsus incrementum fecit purior doctrina; adeo ut Matthias Zellius, Argentorati eam docens, adserere non fuerit veritus, in apologia a. 1523., *non obstante edicto Wormatiensi in Germania nullam urbem, nullum oppidum, nullum monasterium, Academiam, Capitulum, imo nullam familiam, aut domum, esse in qua non sunt, qui Lutheri, quam vocant, sectam profitentur.* In Saxonia Electorali fidem reformatam, plebe ad eam maxime inclinata, pro concione docuerunt, et inculcarunt. *Zuicavia*, alias Cygnea, in qua Fredericus Myconius occultus docuerat, accepit hoc anno pastorem Nicolaum Hausmannum, de quo dicere solebat Lutherus,

Friberga, ubi inperabat,
ac Lutheri doctrinam plane in-
ejus uxor, Catharina Mec-
fratris, ulterius, post edic-
fuit progredi. In Frisia vero
illa publice jam erat recep-
vires, praesertim Emdae, ubi,
Georgius Aportanus, publice
Frisiae Orient. legendi
l. 53. Beninga in Chron. et
Orient. Goslariae, quae urbs
primus reformatam fidem docere
dein, eo per Senatum ad silen-
Smedeken, sub dio ingente ho-
qui, a Senatu captus, carce-
cedens palinodiam cecinit a.
rursus a civibus productus Klep-
1524.
Treptovae, quae sacerdotum col-
erat celebris, tanto cum succes-
Bugenhagius, et Andreas Cnophius,
remotis, ingente numero eo
Bugenhagius, e patre Senatore natus
Pomerania, cum animum quovis
publice coepit Trepto-
Sacras litteras cum legeret,
Monachorum perstringunt histrio-
ad unius Dei cultum ad-
scriptum enarravit eo scopo in
ad Timotheum et Psalmos, ad-
pietatem instillaret auditoribus.
a. 1520. delato, de Captivitate
paginis lectis, in haec verba
erupisse: *multos a passo Christo*
sed nullum ejus libri autore
pesti-

pestilentiorem exstitisse: sed post aliquot dies, omnibus adtentius lectis, ad sodales reversus, longe aliud his verbis pronunciavit judicium: *quid ego vobis multa dicam? universus mundus coecutit, et in Cimmeriis versatur tenebris; hic vir unus et solus verum vidit.* Collegis itaque in eandem tractis sententiam, omnes ab eo tempore, junctis manibus, auditores a fiducia missae, et operum humanorum, ad solius Christi meritum, a superstitionibus, et traditionum abusibus, ad dogmata, et praecepta veri cultus, transferre laborarunt. Cum vero aliqui juvenes petulantius in sacrificulos aliquando insurgerent, persecutione in purioris doctrinae doctores et confessores mota, alii in vincula sunt conjecti, alii dispersi. Qua occasione doctores, per plures gentes et civitates diffusi, fidem suam secum disseminarunt. Bugenhagius vero Wittenbergam, dum Lutherus adhuc in custodia sua versabatur, venit, et Psalterium privatim explicando innotuit, adeo ut, reverso Luthero, munus acceperit Pastoris. Denique, ne alia loca memorem, *Erfurti* purior illa lux hoc etiam anno exorta est. Semina a Luthero, ibi, dum Wormatiam tendebat, concionante, sparsa, ingens mox ceperunt incrementum per Johannem Langum, Georgium Forchemium, et alios, primos euangelii purgati ibi praecones. Sed praeluserant bonarum litterarum Professores, Eobanus Hessus, qui Latinas litteras et poesin professus est, tanto cum successu, ut quingentos saepe habuerit auditores, et Joachimus Camerarius, qui Graeca docuit. Sed nec hic placide sese gesserunt euangelii pacis confessores, plebe, et juventute Academica, tumultuose in Clerum irruente. Quod tamen Lutherus in aliquo fragmento epistolae serio improbavit.

§. XXXI. Huc usque sese in arce sua tranquillum tenuerat Lutherus, nisi quod clandestinam aliquam excursionem ad Wittenbergenses fecerat, in hospitio Amsdorfii clam Electore latitans, et cum amicis aliquot dies jucunde transigens, ut ipse in epist. ad Spalatinum refert. Verum, de-

quum jam mensibus ibi exactis, amplius retineri non potuit, et has potissimum rationes, quas paucis adtingam. 1. Primum praebuerunt motus novorum Prophetarum, qui Anabaptismum, et Enthusiasmum, ubique introducebant, quales erant praecipui Nicolaus Storck, Marcus Stuberus, Matthias Cellarius, postea Borrhaus dictus, et Tomas Munzerus; qui Zuiccaviae hoc tempore prodierant, et Wittenbergam etiam venerant, Carolostadium non tantum, sed et Melanchthonem, in aliquam conjecerant dubitationem. De quo postea. 2. Secundam dederunt severissima contra Lutheri doctrinam edicta Principum. Emanavit enim Norinbergae ex regimine Caesareo, ibi, absente Caesare, stabilito, Praeside Electore Palatino, mandatum ad Principes, Initio a. 1522, de coercendis profanatoribus S. coenae, communionem sub utraque specie exercentibus, et uxoratis Clericis. Quod mandatum publicari jussit Philippus, Frisingensis et Naumbergensis Episcopus: praeterea, Monachos et Presbyteros, Luthero adhaerentes, in provincia sua, incarcerari et puniri jussit Georgius, Saxoniae Dux. Accesserunt 3. quae Lutheri praesentiam Wittebergae videbantur requirere, Carolostadii molimina et gesta. Missae nam tantum privatae per Augustinianos, probantibus Doctoribus Wittebergensibus, erant ibi abolitae, sed imagines quoque a Carolostadio ejectae Templis, confessioque auricularis sublata, liber quoque de conjugio sacerdotum, et contra vota Monastica, editus erat, ipseque uxorem duxerat, denique, in Foro statuerat non ex jure humano, sed legibus Mosaicis esse judicandum, scholas abolendas, cum litterarum cultu, omnesque ad labores manuum redigendos. Quibus rerum circumstantiis motus, arce sua deserta, rediit, inscio Principe suo, Wittebergam a. 1522. Mens. Mart., scripsitque ad Electorem litteris reditum suum excusavit. Quae litterae apud Scultetum in Annalibus, et alibi obviae, fiduciae et invicti zeli plenissimae, animum spirantes intrepidum, solius Dei auxilio, omnibus spretis Principibus, innixum,

nixum, dignissimae sunt, quae legantur, et animis inprimantur. Elector vero ea conditione in ejus reditum consensit, ut, litteris sponte sua ad eum scriptis, fateretur, se injussu Principis rediisse, simul promittat, se nemini futurum molestum.

§. XXXII. Statim ac rediit, varias contra illos excessus habuit conciones, quibus reformationem illam Wittebergicam declaravit intempestivam, nec ordine factam; ritus illos existimans non vi aboleri, sed populum ante ita instrui debere, ut sponte sua eo veniat, imagines quidem adorandas non esse, attamen tolerandas, et retinendas, tanquam ad plebis instructionem utiles. Quod idem de confessione Sacerdotali judicavit. Ceterum in eo culpatur Lutherus, quod 1. communionem sub utraque specie, quam antea urserat, et, cum missis privatis abolitis, introductam Wittebergae laudaverat, ritibus adnumeret, imo rem nihili adpellet in epist. ad Guttelium, Priorem Augustinianorum Islebiensem apud Scultetum. 2. rei jam factae, et quidem ex consilio Academiae, sese opposuerit; eaque ratione occasionem dederit dissensionum et litium inter ipsos Reformatores; sicut tunc inter ipsum et Carolostadium, et postea cum Helvetiis, contigit, cum res in bellum sacramentarium erupit. 3. Denique spiritum Magistralem patefecerit Lutherus. Utique Carolostadius ipsum accusavit, quod *omnes alios suae autoritati mancipatos velit, neque illis permittere, ut aliquid vel scribant, vel faciant, se non praeeunte.* Ipse quoque Lutherus carpit Carolostadium, *quod subito fieri cupiverit novus Magister, et suas ordinationes in populo erigere, pressa*, inquit, *autoritate mea.* Attamen negari forte nequit, rectius de ordine reformandi judicasse Lutherum, et Carolostadium intempestivius processisse, imo in extremum se praecipitasse, quatenus minoris momenti res non distinxerit, ut quod panem voluerit a sacerdote recipere communicantes, non ore, sed manu: maxime, quod litterarum studia voluerit abolita, *doctoris* quoque titulum, aut aliud honoris vocabulum, ferre non potuerit etc.

§. XXXIII. Concionibus hisce extemporaneis non contentus Lutherus, mentem, mox edito libro, de *communione sub utraque, et innovationibus Carolostadii*, clarius explicuit, et cum publico communicavit. Quo in libro contendit, communionem sub una specie nondum violenter abrogandam, sed publice retinendam, seu tolerandam, donec homines rectius instruantur, absque tamen ut repellendi sint, qui sub utraque velint, modo sine aliorum scandalo id fieri possit. Missam quoque constituit veteri ritu, et lingua Latina, adhuc celebrari, verum cum communione, et praevia libera confessione, participantium, omissis tamen formulis, ad sacrificium spectantibus, et, quem vocant, *canone*. Praeterea sacerdotes, qui solitariam missam recusant intermittere, tolerandos vult, non removendos, conjugia quoque Sacerdotum et Monachorum esse debere libera. Interea hac moderatione non est usus erga Pontificem, et Episcopos, qui verae doctrinae, ejusque fautoribus, non cessarent adversari, uti in libro *adversus falso nominatum statum Ecclesiasticum Papae, et Episcoporum*, demonstravit, in quo verum describit Episcopatum, et vitia Clericorum vivis depingit coloribus. Praeterea *bullam* quoque suam huic libro inseruit, Papali oppositam, qua dilectos Dei filios, et veros Christianos, eos adpellat solos, qui omnia sua in id inpendunt, ut Episcopatus devastetur, et Episcoporum regimen exstirpetur, non ferro tamen, vel vi, sed verbo Dei, vel saltem iis negetur obedientia. Acerbe praeterea in eos invehitur, quod Euangelii doctrinam damnent, et persequantur, addito etiam, inutilem, quin ipsis noxiam, eos navare operam. Quo libro vehementer admodum irritavit Episcopos, Abbates, Monachos, et totam illam Papae cohortem.

§. XXXIV. Enarranda restant Pontificiorum conamina contra Reformatos, una cum reformationis progressu in Germania: de qua sola nunc agimus. Ne ea repetam, quae de conventu Principum Norinbergae, aliisque, modo protuli, Ferdinandus, Austriae Princeps, Caroli V. frater, sae-

viit. in Auftria, et Wurtenbergico, quem tenebat, Ducatu, et edictis et poenis, in eos, qui Pontificiis legibus non obediebant. Sicut Ludovicus quoque Rex Hungariae et Bohemiae in Uratiflavienfes, Henricus quoque, praeter alios, Dux Brunfvicenfis in fuos cives. Epifcopus etiam Merfburgenfis, cum Lipfienfem vifitaret Academiam, graviffimis fub poenis prohibuit lectionem Novi Teftamenti Lutherani; ut et excurfum ad vicinam Electoris ditionem. Quo factum eft, ut multi ftudiofi, relicta Lipfia, concefferint Wittebergam. Quam gravis vero incubuerit Belgio perfecutio, poftea narrabo. Quae omnia Satanica et Antichriftiana molimina inpedire non potuerunt progreffum reformationis in Germania, qui plane fuit infignis. Fundatae enim jam funt Ecclefiae in Silefia, maxime *Uratiflaviae*, favente Georgio, Marchione Brandenburgico, aulae Ludovici Regis Magiftro, et multum promovente Ambrofio Morbano, doctore Uratiflav., viro docto et modefto, et Jacobo Zalzenfe Epifcopo, ab omni vi in re Religionis alieno. *Argentinae* puriorem doctrinam ingente fucceffu docuit Matthias Zellius, patrocinante Republica Argentinenfi, omnibus inpedimentis, quae haud pauca erant, fpretis. Quod idem *Auguftae Vindelicorum* egit inter primos Johannes Frofchius, Carmelita, *Norimbergae*, Andreas Ofiander, Gunzenhufae in Franconia natus, vir praecocis et fervidi ingenii: quo factum eft, ut Norimbergenfes primi in Franconia receperint reformationem. *Francofurti* vero ad Moenum in id incubuit Hartmannus Ibachius, ficut poftea, ab a. 1525., Fredericus Haurbachius Dillengerus, et Dionyfius Melander. Qui tres, quod notandum, Zuinglianae fententiae de euchariftia adhaeferunt. Vid. Hottingerus H. E. fec. XVI. part. II. Succeffum, et reformationis fata enarrat Seckendorfius. *Halae* Saxonum docuit Johannes Brentius, ex Suevia oriundus, et Halam ex Academia Heidelbergenfi evocatus. Retinuit quidem in initio Miffam, fpreta tantum pro defunctis, quae tamen poftea, cum invalefceret reformatio, abrogata eft a. 1523.

§. XXXV. *Weissenburgi* in Alsatia, sub tutela Domini a [illegible] concionatus est Martinus Bucerus, *Moguntiae* [illegible] Hedio, Capito, et alii. Tractus *Craichgoa*, in finibus [illegible] et Wurtenburgici agri, inter multos alios, con- [illegible] habuit Erardum Snepfium, et Franciscum Ire- [illegible] qui Germaniam descripsit. *Bremae* etiam admissa est [illegible] doctrina, docente Henrico Sutphaniensi, monacho [illegible] e carcere elapso. *Magdeburgae* idem effecit [illegible] Myricius, alias van der Heide, Augustinianus, [illegible] quum cives reformationem a Magistratu petie- [illegible] et impetrarunt. *Servesta*, Anhaitini principatus urbs, [illegible] Lutherum audivit concionantem, et ab eo tempore [illegible] dare reformationi. Quae in *Pomerania* quo- [illegible] acquisivit, uti in urbibus, Stetino per Nicolaum [illegible] et Paulum a Rheda, Wittenbergo arcessitos, Sun- [illegible] Christianum Ketelhut, ubi tumultuosius est actum, [illegible] frangente, et Monachos expellente, denique [illegible] ulteriore Pomerania, per Petrum Suavenium, ejus [illegible] Lutheri domesticum, qui Pauli epistolam ad [illegible] scholae magistris exposuit. Idem quoque fe- [illegible] civitates primariae, Riga, Revalia, et [illegible] ante Andrea Cnophio, sed non sine tu- [illegible] plebe concitata per ejus collegam vehemen- [illegible] Sylvestrum Tegetmeierum. *Ulmae* denique [illegible] per monachos Franciscanos, Johan- [illegible] a Lutheri primordiis, et Johannem [illegible] in hoc anno per Johannem Diepholt, [illegible] Denique omittendus non est Cas- [illegible] Augustinianorum, et Theologiae Doc- [illegible] Thuringia, rogatu civium, aliquot con- [illegible] De quo legendus est Seckendorfius.

ANN. 1523.

[illegible] in primis est hic annus per comi- tia

da *Norica*, absente Caesare, habita a Ferdinando Austriaco, et Principibus Germaniae. In quibus Legatus Hadriani Papae, Franciscus Cheregatus, conquestus non tantum est de progressu Lutheri, ejusque sectae, ursitque vehementer executionem bullae, Decessoris ejus, ac Wormatiensis edicti contra Lutherum, sed et corruptioni Ecclesiae in Capite et Membris, ac reformationis necessitati, praebuit luculentum testimonium. Decreta sunt, singulari Providentia rem ita dirigente, cum Luthero essent maximam partem infensissimi, 1. Lutherum, quamdiu manifesti Ecclesiae et Curiae Romanae abusus non essent e medio sublati, opprimi non posse. Quorum catalogus etiam est contextus, et Legato sub titulo *centum gravaminum* exhibitus. Quae non a Protestantibus, sed ab ipsis Comitiis universalibus profecta sunt, et adprobata. 2. Opus esse ad controversias religionis tollendas concilio Generali et libero. 3. Quod antequam fiat α. nullos esse novos edendos libros, β. euangelium pure, sed secundum probatas, et ab Ecclesia receptas, interpretationes, esse adnunciandum. γ. Idoneos ab Episcopis eligendos esse viros, qui exorbitantes concionatores leniter castigent. δ. Sacerdotes, qui uxores ducant, esse juxta leges Pontificias puniendos. Quae decreta legato valde displicuerunt, nec a Caesare sunt adprobata, sed a Luthero, benigna adhibita interpretatione, recepta, excepto decreto de Clericis conjugatis. Concessa utique per haec decreta est Luthero, ejusque causae, securitas contra anathemata, et proscriptionem Caesaris ac Papae, usque ad Concilium. Res quoque miranda est, potuisse haec in Comitiis ita dirigi unius Frederici, ejusque Legatorum, industria, contra summum Episcoporum et Nuncii Papae furorem.

§. XXXVII. Amisit quidem causa Lutheri insignem patronum in Francisco Sickingio, qui in bello cum Electore Trevirensi, non religionis causa moto, sed quod Elector duos cives, pro quibus fidejusserat Sickingius, tradere nollet, periit: nec tamen opus reformationis aliquid detrimen-

ti passum est, potius promotum, per doctos viros, Oecolampadium, Martinum Bucerum, Johannem Schwebelium, et Casparum Aquilam, qui, in aula Sickingiana latitantes, hac occasione dispersi sunt in varias regiones, et reformarunt varias Ecclesias. *Uratislaviae* quoque crevit reformatio per Johannem Hessum, Norinbergensem, qui Ædis Magdalenae pastor hoc anno est constitutus, adprobante non solum populo, sed et Episcopo, Jacobo a Salza. De quo Hadrianus Papa quidem per litteras expostulavit cum Senatu Uratislaviensi, sed et hic sese egregia apologia, apud Scultetum, defendit, lectu digna. In *Borussia Orientali* suscepta est reformatio, sub auspiciis Alberti, Marchionis Brandeburgici, per Johannem Brismannum, Lutheri discipulum, qui concionatus est in urbis Regiomontensis Ecclesia Cathedrali, Paulum Speratum, et Johannem Polyandrum, olim in disputatione Lipsiensi amanuensem Eccii, partim hoc anno, partim duobus sequentibus. Speratus autem sese celebrem quoque praebuit per canticum Germanicum, ab ipso compositum de *Justificatione*, in Ecclesiis Protestantium satis notum. *Halae* Suevorum Johannes Isemannus, a Senatu pastoris munere ornatus, purum non tantum cum Brentio docuit euangelium, sed Papisticas quoque cerimonias coepit abrogare, adstipulante Brentio: quam sortem Missa etiam subiit a. 1527., sicut in tota *Bremensium* ditione extra urbem a. 1540. Denique *Argentinae* hoc anno docere coeperunt Martinus Bucerus, Caspar Hedio, et Fabritius Capito, et Senatus decrevit, euangelium libere ac publice esse adnunciandum: sed a durioribus in alios dictis, quaeque scandalum praebere, aut seditionem movere, possunt, abstinendum esse. Coepit postremo etiam reformatio *Hamburgensis* hoc anno. Antea quidem, a. 1511. Otto Stiefelius, artium magister, et Pastor, puriorem fidem pro captu suo docuerat, et in corruptum Clerum, indulgentias, et fabulosas conciones, erat invectus, sed senio, et oppositione Cleri, fractus destiterat. Hoc autem anno opus re-

sumsit

sumsit Hamburgi Stephanus Kempe, Franciscanus, et, inter acerrimos cum sacerdotibus conflictus, illud per triennium peregit solus, donec adjutores fuerit consecutus duos Johannes, Zegenhagium et Fritzium, illum Magdeburgo, hunc Lubeca, vocatum.

§. XXXVIII. Missis primordiis reformationis per Daniam, Sueciam, et Galliam, de quo postea suo loco; silentio non est premendum, virginitatis et coelibatus vota fuisse hoc anno a nonnullis spreta, et abrogata. Ex coenobio Nimptschen, prope Grimmam, bidui ab urbe Wittenberga itinere, quod monialium Cistercienſium erat claustrum, exierunt, ope Senatoris Torgensis, Leonhardi Cloppen, aliorumque, novem Virgines, nobili genere natae omnes, inter quas fuit Catharina de Bora, quae biennio post nupsit Luthero, qui egressum calculo suo adprobavit, et adjuvit. Haud diu post sedecim aliae ex coenobio Widerstatensi, in comitatu Mansfeldensi, exemplum illud secutae sunt. Duxit quoque publice uxorem Antonius, Parochus S. Tomae Argentinae: quod Matthias Zellius pro concione laudavit. Praeterea, ut alia exempla praeteream, Wittebergae in celeberrima Ecclesia collegiata omnium Sanctorum abrogati sunt, ope Lutheri, scandalosi, et superstitiosi, ritus missatici, reliquis adhuc retentis: uti prolixe narrat Seckendorfius. Denique, notatu digna est legatio fratrum Bohemorum ad Lutherum, fidem eorum de praesentia Christi in S. coena ita explicans, ut haud male se de illis sentire declaraverit Lutherus in epist. ad Nicolaum Hausmannum; sed postea, libello fidei, ab ipsis edito, perlecto, mentem distinctius exposuit in tractatu de *adoratione sacramenti corporis Christi*, de eo quid probet, quid non, in fratrum fide. Inter alia dicit, se inprobare, quod praesentiam realem in ea negent, ut et fidem infantum in baptismo: praeterea, quod fidei justificanti in negotio justificationis adjungant charitatem, quodque septem admittant sacramenta, et Ecclesiae ministros a matrimonio arceant. Singulare autem in eo est, quod *ad-*

[illegible] indifferentibus adcen-

[illegible] sunt oppugnationes re-
[illegible] fuerunt Fredericum Elec-
[illegible] incitare. Bulla Hadriani
[illegible] Pontificis et Caesarei adnexas.
[illegible] Ludovicus, Hungariae et Bohe-
[illegible] Electorem dederunt, quibus Luthe-
[illegible] quam qui fidem Christi, et Ec-
[illegible] oppugnaret, Principes Christianos tra-
[illegible] Elector autem nihil aliud
[illegible] non fovere, sed Lutherum prius in
[illegible] quam damnandum, esse. Diplomate quo-
[illegible] Imperii, per Legatum in Comitiis
[illegible] inter alia inputatur, quod veteres
[illegible] mores ea ratione corrumpantur, bona
[illegible] continentiae rumpantur. Quid? quod
[illegible] damna Hungariae a Turca illata, ab
[illegible] Zelotarum more, deriventur.
[illegible] alii quoque Euangelii praecones
[illegible] sed et vexati ac occisi. In Mis-
[illegible] est, Georgio Duce, carcere,
[illegible] poenis capitalibus. Miltenber-
[illegible] ditionis Moguntinae, passa est om-
[illegible] et inpetum militarem, a Prae-
[illegible] in urbem hostiliter irruerunt, causa
[illegible] Carolostadii, de quo vid. Sec-
[illegible] cum fructu docebat. Ipse qui-
[illegible] sed Diaconus ejus captus est, et
[illegible] Bibliorum interdicitur populo,
[illegible] ad Papisticas coguntur cere-
[illegible] a Theologis Ingolstadiensibus
[illegible] metu ad palinodiam trahitur, sed
[illegible] reformationi, variis in locis, ope-
[illegible] attulit Scultetus. Johannes Mel-
[illegible] densis

densis Clericus, quod schedulam contra indulgentias valvis Templi adfixerat, et Papam in ea dixerat Antichristum, virgis est caesus, ejusque fronti inusta est nota. Primi vero in Germania gloriam meruerunt martyrii Henricus Voes, et Johannes Esch, Augustiniani Antverpienses, sub Inquisitoribus Nicolao Egmondano, Carmelita, et Jacobo Hogestrato, Dominicano, flammis combusti Bruxellis, ob Euangelii doctrinam, sed summa cum laetitia et fiducia. Quam tragoediam Doctus aliquis, qui adfuit, eleganter enarravit epistola apud Sculteturn. Exhibet quoque de hoc martyrio hymnum Lutheri, latine a se versum, Seckendorfius. Sed notari meretur, ab eo tempore, teste Erasmo apud eundem, Luthero coepisse eam civitatem favere.

ANN. 1524.

§. XL. Renovatis Comitiis Norimbergensibus hoc anno, in eo quidem totus fuit Campegius Cardinalis, et Legatus Papae, ut, blandis licet verbis, rem eo dirigeret, ut secundum Wormatiense decretum cum Luthero ageretur, concilii celebratio differretur, et abusuum, quos centum gravamina illa continebant, reformatio eluderetur: sed res ei per omnia non successit. Decretum enim Comitiale habet. 1. Decretum Wormatiense esse executioni mandandum, quantum fieri posset, adeoque salva veritate et justitia. 2. Liberi et generalis Concilii urgendam esse necessitatem. 3. Interea libros novorum Doctorum a peritis viris esse examinandos, et in compendium redigendos, eo scopo, ut proximo conventu Spirensi, quid retinendum, aut repudiandum, sit, decerneretur, usque ad Concilii decisionem. 4. Idem respectu gravaminum illorum esse faciendum. Denique 5. repetitur decretum de Euangelio pure et libere docendo, sed sine tumultu, et scandalo, secundum interpretationes Doctorum in Ecclesia adprobatorum. Observat vero Seckendorfius, qui historiam Comitiorum enarrat, om-

nia ibi esse turbulenter acta. Displicuerunt haec decreta Caesari et Papae, quod dogmata essent Spirae examinanda, Wormatiensi decreto obex poneretur, et concilium postularetur, etiam Luthero, quod Wormatiensi decreto inhaereretur, et libri sui ad examen revocarentur. Publicae itaque luci exposuit Lutherus acta Norimbergensia, una cum saevo illo edicto Wormatiensi, severissima addita censura, in qua, omnes modestiae et reverentiae limites transgressus, in Caesarem, Papam, et Principes, vehementer invehitur. Adpellat eos *bestias*, *furiosos*, *et stolidos*, qui, Wormatiense decretum exsecuturi, quasi Gigantes coelo conantur inferre bellum. Imo, contra Turcas arma sumi, et ad bellum conferri pecunias, negat e re esse, cum nihil a talibus Principibus praeclari possit exspectari.

§. XLI. Campegius vero, se spe sua in comitiis excidisse, videns, rem alia est adgressus via, quae melius successit. Effecit enim, ut separatus nonnullorum Principum et Praelatorum conventus fuerit Ratisbonae habitus, cui interfuerunt ex Politicis Ferdinandus Austriacus, et duo Bavariae Duces, ex Ecclesiasticis Archiepiscopus Salisburgensis, duo Episcopi, et novem aliorum Legati. Decretum ab illis, tam paucis, est, ut Caesaris edictum contra Lutherum exacte observaretur, nihil in ritibus receptis mutaretur, sacerdotes uxorati, et monachi apostatae, secundum rigorem canonum punirentur, et denique euangelium secundum sensum Patrum et Doctorum probatorum adnunciaretur. Additum est, subditos, qui Wittebergae studebant, sub gravi poena, ut domum redeant, esse compellendos; praeterea, si hujus foederis causa alicui vis fiat, eum ab omnibus reliquis esse omni ope adjuvandum. Ut autem querelis obviam in speciem iretur, edidit Campegius, consentientibus Principibus, constitutionem, quinquaginta trium articulorum, ad Cleri mores corrigendos, et exactiones quasdam vel tollendas, vel minuendas. Hic conventus pro schismatis initio, et quasi classico belli, recte habetur, cum reliqui Principes et

Civitates

Civitates Imperii non tantum haec aegerrime tulerint, sed et sese contra eos munire coeperint. Caesar vero Carolus V., missis litteris, indignationem ob acta Norimbergensia testatus est, edictum Wormatiense voluit exsecutioni mandatum, et conventum Spirae indictum vetuit.

§. XLII. Wormatiensis decreti exsecutio licet in maxima Germaniae parte non fuerit secuta, liberi tamen a vexationibus, et persecutionibus, non fuerunt purioris doctrinae studiosi. Viennae, permittente Ferdinando, capite truncatus est Caspar Tauberus, civis Viennensis; Dithmarsi miserabili morte adfectus est Henricus Sutphaniensis, qui Bremae docuit, et Meldorfium in Dithmarsia vocatus erat. Pragenses in Bohemia, et Budenses in Hungaria, sub Ludovico, Rege juvene, saevierunt, illi carceribus et exiliis, hi vero poena quoque capitali, combusto bibliopola aliquo una cum libris euangelicis. Metis Johannes Clericus, cum simulacra extra urbem fregisset, post vehementes cruciatus, manus enim dextra ei est amputata, nasus forcipibus avulsus, et duo brachia, cum utraque mamma, dilaniata sunt, igne tandem absumtus est. In media Saxonia, seu Misnia, grassatus est Georgius, Saxoniae Dux, mulctis, carceribus, et exiliis: imo in foro Lipsiensi capite publice est plexus Johannes Hergotius bibliopola. Denique, ne plura memorem, Johannes Castellanus Thornacensis, Doctor Theologus, jussu Cardinalis Lotharingi captus est, et ab urbis Vicensis Magistratu vivus crematus. Alias adhuc oppositiones enarrat Scultetus.

§. XLIII. Inter alius generis inpedimenta, quibus cursus reformationis interceptus est, ad quae pergo, cum locum tenere solet, licet levioris sit momenti, concertatio Erasmi et Lutheri, de *libero arbitrio*; ejus hic brevis danda videtur notitia. Edidit scilicet Erasmus Roterodamensis librum de *libero arbitrio* contra Lutherum, incitatus ab Henrico VIII., Angliae Rege, Tonstallo, Episcopo Londinensi, Wolsaeo, Archiepiscopo Eboracensi, et ipso Hadriano Pa-

ma, et se, licet reluctantem, adduci passus, ut, et amicis placeret, et ne sinistra fama, acsi Luthero faveret, ipsi noceret, ut ex epist. ejus ad Melanchtonem patet. Definit autem liberum arbitrium, quod sit *vis humanae voluntatis, qua se potest homo adplicare ad ea, quae perducunt ad aeternam salutem, aut ab iisdem avertere.* Quale arbitrium cum homini tribuit, gratiam tamen auxiliatricem internam vult esse salvam; diserte enim dicit, *sibi eos placere, qui nonnihil attribuunt libero arbitrio, gratiae plurimum.* Demonstrat thesin ex Scriptura et Patribus, multaque absurda sublati liberi arbitrii consequentia fuse profert, magnaque cum specie et eloquentia disputat. Lutherus, quem hic liber vehementer offendit, ad eum mox respondit, edito a. 1525. libro, sub titulo, *de servo arbitrio.* In quo, licet in prologo et epilogo de Erasmo, ejusque eruditione, et moderatione, honeste loquatur, acerrimum in ipsa tractatione, ac vehementem, se praestat adversarium: quo in iram conjectus Erasmus, ei mox opposuit *hyperaspisten* a. 1526. et 1527. Querulas etiam scripsit ad Johannem, Electorem Saxoniae, litteras, quibus famam suam, mendaciis laesam, vindicari petit: erat enim Atheismi aut Epicureismi reus a Luthero factus. Ceterum varia de libro Lutheri inter Lutheranos et Reformatos exstant judicia; quorum illi, Lutherum nimis prope voluisse ad Calvini accedere doctrinam, addunt etiam alii quorum, eum postea mutasse sententiam, in primis ex commentario ejus in Genesin; sed sine solido fundamento: Reformati student librum in coelum extollere, tanquam sibi plane consentaneum. Sed Sebast. Schmidius, libro Lutheri cum notis edito, demonstrare conatus est, eum Calvini dictatis non esse consentaneum. De quo quicquid sit, res enim tanti non est momenti, illud mihi constare videtur, Lutherum [illegible] voluntatis tantum in hoc libro sustulisse, eique imposuisse necessitatem, sive ad malum, sive per gratiam, quae [illegible] immutabilitate in homine operatur, ad bonum, ita ut non possit non velle et operari.

§. XLIV.

§. XLIV. Gravioris inpedimenti jacta sunt hoc anno fundamenta per semina *belli*, sic dicti, *sacramentarii*, in Lutheri ac Carolostadii dissensionibus. Carolostadius, Wittteberga relicta, Luthero ob inprobatam imaginum dejectionem, indeque variam ortam vexationem, indignatus, et Orlamundae in Thuringia pastoris munere fungens, cum et ibi novas turbas per eandem imaginum oppugnationem dare censeretur; Lutherus decreto Electoris primum Jenam, dein Orlamundam, missus, Jenae pro concione spiritum fanaticum Munzeri non tantum perstrinxit, sed et eodem agi addidit imaginum oppugnatores ac sacramentarios. Quo offensus Carolostadius, qui jam antea Wittebergae se a Lutheri opinione, de praesentia Christi in eucharistia, alienum demonstraverat, Lutherum adiit, et cum eo expostulavit, eo cum eventu, ut Lutherus, in iram concitatus, eum, dato in arrham nummo aureo, ad publice ea de materia contra se scribendum provocaverit. Deinde Orlamundam veniens, Carolostadium nequidem convenire dignatus est, imo, cum hic illi manum porrigeret, recusavit, dicens, *tu es meus hostis et inimicus, nam eo nomine tibi aureum nummum dedi*, tantum cum auditoribus ejus de imaginum oppugnatione disceptavit. Quo facto, Carolostadius, jussu Johannis Frederici, Ducis Saxoniae, a Luthero incitati, expulsus Thuringia, nec auditus nec convictus, secessit Basileam, ibique libellos suos de Coena Domini in publicum misit. Quod cum Senatus, praeter alios, aegre ferret, Zuinglius et Oecolampadius, qui jam antea tropum in verbis institutionis S. coenae admiserunt, ejus susceperunt patrocinium; licet in verbis illis explicandis ei per omnia non consenserint. Accesserunt mox alii, ut Leo Judae, et Theologi Argentinenses, Wolfgangus Fabritius, Capito, et Martinus Bucerus. Quo factum est, ut opinio ea fuerit late disseminata; uti Lutherus in epist. ad Amsdorfium conqueritur. Haec fuerunt funestissimae quaestionis, quae tot perniciosa habuit consequentia, primordia. Carolostadii vero opinio habet 1. tro-

punt esse in verbis institutionis, et pronomine τοῦτο *hoc* non cum *pane*, quippe masc. gen., sed cum *corpore* Christi, esse construendum, hoc sensu; *accipite*, *edite* panem hunc in *mei memoriam*, *hoc* enim, digito monstrato corpore, vel *hic sedet corpus*, *quod pro vobis frangitur*, 2. corpus Christi nec esse, nec comedi in eucharistia *oraliter*, sed corporis fracti et sanguinis fusi tantum celebrari memoriam. 3. Scopum S. coenae tantum esse adnunciari ibi mortem Christi, ejus memoriam celebrando. 4. Negat praeterea, sacramentum hoc conferre remissionem peccatorum, imo atrham esse et pignus redemtionis nostrae per Christum, cum haec sit Spiritus S. praerogativa, et homo se ante probare debeat: quod supervacaneum foret, si per eucharistiam certior fieri de remissione peccatorum debeat.

§. XLV. Interea, quod ultimo notandum est loco, reformatio per varia Germaniae loca magis magisque invaluit. *Regiomonti* in Borussia ipsae imagines in Templo Cathedrali, sed per pueros et senes dejectae sunt. In Ducatu *Megalopolitano* seu Mekelenburgico vires acquisivit ope Gubernatoris Henrici, qui Magni, Ducis Megalopolitani, erat filius. *Wismariae* in eo Ducatu abusus Pontificios retegere primus coepit Henricus Mollensius, Ecclesiastes Aulicus Alberti, Ducis Megalopolitani, filii Magni. *Magdeburgae* ipse Lutherus, a Consule Nicolao Sturm evocatus, docuit, dein Amsdorfius, qui eam Ecclesiam per octodecim annos rexit: *Brunsvigae* radices egit, non sine motibus, qui triennium durarunt. Comitatus *Hoyensis* Ecclesiae hoc anno etiam sunt reformatae, inchoante Jodoco Comite, et quatuor ejus filiis promoventibus. Jodocus vero semina ejus doctrinae ex Lutheri et Melanchtonis libris hauserat: usus autem est in reformandis Ecclesiis ope Adriani Boxschotii, Antverpiensis, qui, cucullo Antverpiae posito, Wittebergam concesserat. Per Misniam, ut *Annaebergae* et *Cygnaeae*, purius euangelium auditum est per Fredericum Myconium, qui, inde expulsus, venit Gotham, eo ad Ecclesias Thuringiacas

guber-

gubernandas vocatus, ubi annos viginti duos docuit. Denique *Noribergae* abrogati quoque sunt abusus Papistici. Vid. Scultetus in Annalibus.

ANN. 1525.

§. XLVI. Famosum hunc annum reddidit, simul reformationi ingentem creavit invidiam, bellum *rusticum*, maxime in Suevia, et *fanaticum* praecipue in Thuringia, incentore Toma Munzero, ejusque socio Pfeiffero. De quo Petri Gnodalii libri quinque exstant, a. 1569. scripti, e quibus sincera peti potest descriptio. Rusticorum tumultus anno superiore jam coeperat in Comitatu Lupfensi, et alibi, occasione durae servitutis, qua premebantur, et tributorum graviorum, quae res saepe antea rusticos per Germaniam in seditionem conjecerat, ut multis evincit Seckendorfius lib. II. Sed hoc anno Lupfensium recruduit tumultus, et eorum exemplum secuti sunt subditi Abbatis Campedonensis, ac Augustani Episcopi, in Alpensi Algoiae tractu, nec non in Brigantini lacus ora, ac in Hegovia: cum quibus ultimis transactum est, posteaquam articulos, quibus postulata eorum continebantur, exhibuissent, quorum unus tantum liberam Euangelii praedicationem continebat, sive, quod Lutherus censuit, dicis causa additus, sive, quod verius, intentus serio, cum in hac tanta hominum multitudine fuerint multi reformationis cupidi: reliqui vero articuli ad onerum, tributorum, et servitutis levationem spectant. Transactum vero hac ratione est cum Brigantinis et Hegoviensibus, posteaquam a Suevici foederis copiis, Duce Georgio Truchsesso, caesi essent rustici prope Ulmam, et dispersi Algoici. A quo eodem Duce dein partim occisi, partim dissipati sunt rustici, qui in Wurtenburgici Ducatus et Franconiae finibus grassati sunt, et inmania patrarunt facinora.

§. XLVII Ad horum exemplum tumultuatum quoque est in Thuringia, ut Erfurti, Isennaci, Arnstadii, Salae,

Sangershusae, Islebiae, inprimis Mulhusae, a fanaticis, qui Munzeri concionibus erant infatuati. Cum enim, quorundam e plebe opera, in urbem introductus, et Ecclesiastae munus consecutus esset, rem eo adduxit Munzerus, ut novus fuerit constitutus Magistratus, monasteria sint spoliata, bonorum aliqua communio introducta, et ipse supremus fieret Rector. Quo in rerum statu aliquot exactis mensibus, ipse, per Suevorum motus excitatus, et Peifferi in primis concionibus audacior factus, ad bellum spectavit, et, copiis undiquaque contractis, castra posuit curribus munita, prope Francohusam. Quo cum Philippus Hassiae Landgravius, Henricus Dux Brunsvicensis, Johannes Dux Saxoniae, et Georgius Saxo, ejus patruelis, accessissent, rustici fanatici ad quinque, vel septem, millia caesi sunt, Mulhusum deditum, et Pfeifferus, ab equite captus, Mulhusum ductus in castra, una cum Munzero, supplicio adfectus est. Rusticorum vero exercitus, octo tantum millium virorum, promissis Munzeri, quibus miraculosum Dei auxilium pollicitus erat, iridis etiam signo, quod in aere adparuerat, in bonum rapto omen, quia idem signum in rusticorum vexillis erat, animatus, de pace nihil audire volebat. Quibus peractis, reliqui seditiosi per totam regionem haud difficili negotio sunt repressi, et in ordinem redacti. Quae enarrare supersedeo. Singulare est, non tam in Electorali Saxonia, quam in Pontificiorum provinciis, et in Franconia, fuisse tumultuatum: ubi etiam omnium saevissime tractati sunt rustici, et multi cives supplicio adfecti, quod seditiosorum causa fuerit malitiose cum Reformatis censita connexa. Ceterum trecenta numerantur castella et monasteria a rusticis diruta et exusta.

§. XLVIII. Tomas vero Munzerus, ut ejus aliquam dem notitiam, Stolbergae ad Hercyniae Sylvae fines natus, postea quam Brunsvigae, dein Zuiccaviae, et Alstadii docuisset, indeque ob motus fanaticorum ejectus magnam Germaniae partem peragrasset, ad ipsam Helvetiam usque, tandem in

Saxo-

Saxoniam redux, Mulhusium adpulsus, et ibi, ut narravi, admissus est. Narrat quidem Maimburgius, eum ante supplicium religionem adoptasse Pontificiam; sed illud nullo alio nititur fundamento, ac quod una sub specie sumserit eucharistiam, pro more tunc adhuc satis recepto, et omnino fabulosum est; ut recte advertit Seckendorfius, qui etiam observat, eum, tam consternatae fuisse ante supplicium mentis, ut ne symbolum quidem fidei recitare potuerit. Aegre vero tulit Lutherus, quod de doctrina, et praetensis revelationibus, non fuerit adcuratius examinatus. Attamen refert Sleidanus lib. V. errorem et delictum suum fuisse ab eo agnitum, sed et Principes admonuisse, ut majore erga miseros homines utantur clementia in posterum.

§. XLIX. Quod vero ad hujus Sectae fanaticismum adtinet, de quo vid. Sleidanus l. cit., Seckendorfius l. I., et Camerarius, praeter alios, 1. Necesse esse statuit ad vitam aeternam consequendam, ut manifesta non tantum vitentur flagitia, sed et corpus castigetur, et maceretur per jejunia, vestitum simplicem, vultum ad austeritatem compositum, silentium, et prolixam barbam. Deinde secessum esse quaerendum, et a Deo expostulandam revelationem, ut de veritate et vera religione recte sentiat quis. Hominem enim non tam Scriptura, quam Spiritu instrui, et duci, Deum quoque sese per somnia et visiones inmediate revelare, et de futuris admonere. 2. Hinc processit sectae vanitas ad statum mundi inmutandum; eum enim a malis Rectoribus pessime et tyrannice administrari, in civitate aeque ac Ecclesia, adeoque istud pessimum hominum genus esse exstirpandum, et sanctam suscitandam sobolem, ut regnum Dei in mundo erigatur. 3. Opposuit sese propterea haec secta et Pontificiis ob tyrannidem religionis, ac duram servitutem, qua premebantur homines, et Luthero, ejusque instituto, ob litteralem et carnalem doctrinam. Cum reformationis itaque Studiosis nihil aliud commune habuit, quam quod religionis et fidei libertatem urserit: quare etiam a Luthe-

ro, licet de illis, qui coelestes revelationes crepuerint, in meliorem partem in principio judicaverit, severe sunt castigati et repressi. Ex quo manifestum est, seditiosos hosce motus non esse reformationi inputandos, ut cavillantur Pontificii, licet negari nequeat, prohibitionem doctrinae Euangelicae, et saevitiam erga concionatores, occasionem dedisse, quam plebs, ob onera tributorum et servitiorum exacerbata, avide adripuit.

§. L. Nec hoc tantum in reformatis offendit Pontificios, et ansam dedit calumniandi, verum etiam, quod hoc ipso anno, rusticorum bello, et Frederici Electoris morte, infausto, nuptias contraxerit Lutherus cum Virgine Moniali, etsi jam antea claustro monachali educta, Catharina a Bora, nobili genere nata: quod nonnulli ex ipsis reformatis aegre tulerunt, tanquam intempestivum, et reformatorum causae noxium. Defendit Lutherum non tantum Melanchton in epist. ad Camerarium, licet ipsi, timidioris animi viro, dolorem concitaverit, noxia quippe metuenti effecta, sed Lutherus ipse eo, quod nuptiae sint honestae, seque exemplo praeire sit utile, ringentibus Satana et adversariis. Erat autem Catharina, ut supra tetigi, e monasterio liberata per Leonardum Coppe, Senatorem Torgensem, a. 1523., et a Luthero destinata uxor Doctori Glacio, pastori Orlamundico: cui cum detractaret nubere, sesequae Luthero offerret, ipse eam, inproviso plane consilio et motu, amicis nil tale exspectantibus, duxit, sponsalibus in praesentia trium ex amicis, ad coenam invitatorum, celebratis. Fecit autem id Lutherus, cum ut Patri gratificaretur, tum ut hostibus reformationis aegre faceret, suoque exemplo promoveret conjugia

§. LI. Coepit praeterea hoc anno controversia *sacramentaria*, ut ejus historiam pertexam, quae anno superiore occasione Carolostadii erat mota, vehementius agitari in Saxonia, Helvetia, et Suevia. Librum edidit in Saxonia Lutherus contra Carolostadium, sub titulo, *adversus coelestes*

Prophe-

Prophetas, in cujus priore parte de ipso, ejusque moribus, et gestis, agit, ut et de imaginibus, et lege Mosis nos non obligante, nisi quatenus praeceptis naturae et euangelii convenit, denique de Missa, et inspiratione divina; in posteriore vero de praesentia Christi in S. coena tractat, et Carolostadianam sententiam refutat, magnaque vehementia in adversarium, tanquam inpium, irruit. Illustrat autem Lutherus, quod notari meretur, praesentiam Christi corporalem in pane, exemplo *ferri igniti*, adeo ut, sicut ignis est in ferro, ita corpus Christi sit in pane. Initium disputationum inter Lutherum, ejusque socios, et Zuinglium, ac Helvetios, non a Zuinglio, sed Luthero, esse repetendum, disputat Hospinianus in hist. sacrament., ut et, praecipuam controversiae originem praebuisse sinistras utriusque partis suspiciones. Helvetii enim putarunt, Lutherum prope a transsubstantiatione abesse, et localem corporis Christi inclusionem in pane admisisse; Lutherus vero existimavit, Helvetios nil praeter nudum et purum panem statuere, omni efficacia et praesentia Christi abolita. Ceterum, ut id obiter observem, Zuinglianam opinionem jam ante Zuinglium tenuit, et epistola scripta demonstravit a. 1511., eruditus et pius ICtus in Hollandia, Cornelius Honius, quam typis evulgavit Zuinglius a. 1525.

§. LII. Zuinglium pro adversario sumsit Joh. Bugenhagius, Pomeranus; qui, anno praecedente scripta epistola, Lat. et German., refutavit Zuinglianam opinionem, quae tropum statuit in verbo *est*, pro *significat*, quam Zuinglius in epist. ad Matthaeum Alberum, pastorem Reutlingensem, expresserat. Sed hoc anno, scripto libro *de vera et falsa religione*, demonstrat Zuinglius, eucharistiam esse gratiarum actionem, Joh. VI. non agi de sacramentali manducatione, et tropum recte et posse et debere admitti in verbo *est*. Quod ipsum dein uberius egit in tractatu, cui titulus est, *subsidium*, et alio tractatu, quo epistolae Bugenhagii respondit: ubi concludit, *non posse ex integro Antichristum profligari*,

niti et errore consubstantiationis profligato corruat. In publicum quoque prodiit Joh. Oecolampadius, Doctor Basileae, editus libro *de genuina verborum Domini*, hoc est corpus meum, expositione, in quo copiose, et erudite totum hoc negotium tractat, verbaque ea eodem tropo dici, quo, *Petra erat Christus*, probat, tropum quaerens in voce *corpus*, ut idem sit, ac hoc est *figura corporis*; re ipsa tamen cum Zuinglio sentiens, ut facile patet, et ipse Oecolampadius exponit. De hoc Oecolampadii libro testatus est Erasmus alibi, cum tam accurate *esse scriptum, tot machinis argumentorum, totque testimoniis, instructum, ut posset vel electos in errorem pertrahere.* Hunc librum cum praeconibus euangelii per Sueviam, ab ea opinione valde alienis, misisset Oecolampadius, illi, numero duodecim, in unum coacti Halae Suevorum, conscripserunt, sed stilo, ut putatur, Brentii, librum, dictum Syngramma; in quo contra tropum, et pro sensu litterali, et praesentia corporali, pugnant; mentem vero hunc in modum explicant: *verba coenae*, hoc est corpus meum, *adferre ad panem corpus, et ita in pane jam corpus realiter existere.* Interea corporalem Christi praesentiam in hoc libro magis everti, quam poni, Christum quoque statui in coelo manere, disputat Hospinianus. Praeterea notabilia sunt verba, quae p. 172. edit. Pfaffii, in eo libro occurrunt, digna quae hic legantur: *nam ut remissio peccatorum solius Christi est, sedentis ad dextram Patris, sed tamen verbo commendata est, ut in orbem per Apostolos vocali voce et externa spargeretur; ita corpus et sanguis solius Christi sunt, ad dextram Patris sedentis, sed interim verbo*, hoc est corpus meum, hic est *sanguis meus, commendata sunt, ut pane et vino, rebus externis, distribuerentur.* Opposuit huic libello suum *antisyngramma* Joh. Oecolampadius, sed Zuinglius in epist. ad Theobaldum Billicanum, severo admodum judicio, illud scriptum, non objurgatione, sed execratione, censuit dignum, propter vim Scripturae illatam, fastum, inmodestiam, et injuriam in Oecolampadium, Lutherus vero illud laudavit,

cumque

cumque Argentinenses, qui se in hac lite gerebant medios, misso Caselio, Hebraeae linguae Professore, Lutherum ad pacem et concordiam cum Helvetiis adhortarentur, responsum ab eo tulerunt, *tanti momenti esse eam rem, ut alterutrius sententiae propugnatores oporteat esse satanae ministros; consilio itaque medio locum non esse:* defendit quoque Lutherus dictum suum Papale, *rectum esse debet, quod ego scribo.* Vid. tom. II. epistolarum Lutheri. Quid? quod Theologi Argentinenses per hanc suam moderationem in suspicionem haeresios inciderint, et tanquam haeretici sint traducti, in primis Norimbergae: a qua labe se suosque purgavit Wolfgangus Capito in epist. ad Andream Osiandrum, apud Scultetum, quae legi meretur. Ceterum, Epistolam Zuinglii, et librum Oecolampadii, una cum syngrammate Suevico, aliaque nonnulla, ad hanc causam pertinentia, novissime edidit Pfaffius in libro: *acta et scripta publica Ecclesiae Wirtenbergicae.* Interea Carolostadius, propter bellum rusticum, odio et persecutioni expositus, cum Rotemburgi ad Tubarim aliquandiu consedisset, indeque, persecutionem ut evitaret, elapsus esset; libello, quo se purgat, scripto, a Luthero per litteras petiit, ut eum edat, suamque agat causam, addito mox altero libello, quo se non definiendi, sed disputandi, et veritatis eruendae, causa de S. coena scripsisse, profitetur; nec sine optato successu. Luthero enim ejus patrocinium suscipiente, accepit ab Electore potestatem in Saxoniam redeundi.

§. LIII. Ecclesias Silesiae, vix formatas, haud parum turbavit *Caspar Schwenckfeldius*, nobilissimi generis, in ducatu Silesiae Ligniense, unde a. 1527. ejectus, per superiorem Germaniam vagatus, multos in partes traxit, donec diem in Suevia obierit a. 1561. Initio, cum Papismi errores, et corruptum statum, advertit, se Luthero adjunxit: sed, cum inter Lutheranos haud melioris esse vitae Christianos observasset, nec ibi esse veram Ecclesiam existimavit: quare se nulli sectae adjunxit, sed in omnium incurrit odium, licet

ipse omnium, per omnes sectas, piorum esset amantissimus, erga hostes etiam suos benevolus, sibi, et Christo, vivere, ut dixit, contentus. Reprehendit praeterea in Pontificiis, quod operibus in negotio salutis nimium tribuant, in Lutheranis vero, quod Scripturae et Sacramentis nimiam adligaverint vim, sive inter fidem historicam, aut litteralem, et historicum Christum, et salvificam fidem, et Spiritualem Christum, non probe distinxerint, existimantes, fidem et Christi obedientiam sufficere nobis, licet in peccatis maneamus. Praecipuus autem ejus labor, et scopus fuit, Christianos ab externis mediis, quae tamen non sprevit, sed utilia dixit, ad Spiritum transferre, et religionem Spiritualem. Ex quo fuit ortum, ut de externo verbo, ejusque ministerio, de ritibus religionis, et sacramentorum efficacia, minus fortiter, saepe incongrue, fuerit locutus. Lutheranos in specie offendit per opinionem de praesentia Christi in eucharistia, et quod externos ministros, litterae nimis inhaerentes, minoris fecerit: Ecclesiam porro Christi universalem per omnes extenderit sectas, ipse etiam se nulli adsociaverit. Refutatus est ubique a Theologis in Helvetia et Germania, a Luthero a. 1545. plane rejectus. Libidini conviciandi eousque indulserunt nonnulli, ut ipsum diaboli filium, pessimum haereticum, anabaptistam, fanaticum, et blasphemum adpellarint, in nomine quoque pueriliter luserint, illud in *stinkveld* et *stankveld* mutando. Magnum tamen hominem fuisse concedit Marnixius in Epistolis Belg. cent. I. ep. 86. Virum fuisse vitae piae et probae, ipsi hostes fatentur. Vid. G. Arnold l. XVI., qui plura de eo habet. Varia reliquit opera, simul edita a. 1592. Libri ejus undique conquisiti, et saepe combusti, sunt.

§. LIV. Dogmata ejus, addita refutatione, recenset Johannes Wigandus in suo *Swenkfeldianismo*, sed quocum conferendus est Joh. Werneri *catechismus* ab ipso probatus, et G. Arnold. l. cit. Praecipua sunt 1. Scripturam esse litteram mortuam, in qua nec vita est, nec salus, dissentientes

esse

esse vocalistas, et litteralistas. Attamen verbum, ejusque ministerium flocci non fecit, sed, per se dixit inutile, et sine Spiritus gratia, Spiritum vero esse solam causam boni in homine. 2. Naturam Christi humanam non esse *creaturam*, cum quod originem a Deo trahat, tum post glorificationem sit *deificata*; esse vero adversarios suos *creaturistas*. Nec tamen eam voluit abolitam, tantum post exaltationem participare gloriam et potestatem, una cum verbo Dei. 3. Fidem justificantem esse ipsum Deum inhabitantem: quae postea fuit Osiandri opinio. 4. Verba institutionis S. coenae interpretatus est de ipso Christo cibo animae, et pane coelesti: sed a quo distinxit panem sacramentalem, unice in Christi memoriam institutum, utque esset festnm gratiarum actionis ac charitatis: totum vero Christum, secundum Divinam et humanam naturam, dixit verum esse cibum, et potum: verba, *hoc est corpus meum*, intellexit, acsi habentur, *tale est corpus meum*, scilicet *verus panis et cibus*, cujus externus panis est signum. 5. Denique totus fuit in commendatione novae vitae, et magnifica semper in ore habuit verba, illuminationis, revelationis, deificationis, hominis interioris, et spiritualis.

§. LV. Praeter haec inpedimenta fuerunt et alia, ab hostibus reformationis profecta, quippe qui a persequendis reformatis non abstinuerunt. Martyribus Germaniae, de quibus nunc tantum agimus, adnumerandus est Bernardus Carmelita, Mechliniae combustus. De quo, et aliis vid. Scultetus in Annal. In Bohemia progressui reformationis sese vehementer opposuit regni Gubernator Carolus, Dux Monsterbergensis, de fautore Lutheri ejus factus acerrimus adversarius. Conditi sunt in comitiis Pragensibus articuli ad sufflaminandam puriorem doctrinam, quos exhibet Scultetus. Perseveravit etiam in odio suo erga Lutherum Georgius, Dux Saxoniae, quem blandioribus litteris frustra conatus est Lutherus ad meliorem reducere mentem: nec meliorem ejus litterae, nimia etiam cum submissione scrip-

filia, quae Caesar et Gallus ad sectam Lutheranam exstirpandam initio anni ceperant, in vanum per novas lites inter eos ortas, indeque natum bellum Gallicum et Italicum, ceciderunt omnia: sequebatur enim Galli partes contra Caesarem Papa Clemens. Quibus motibus effectum est, ut halcyonia fuerint Protestantibus concessa. Deinde, cum Caesar nihil non ageret, ut decreta Wormatiensia vim suam exsererent, Principes quoque Catholici secum juncti opprimendis reformatis intenti essent: reformationis praecipui patroni, Elector Saxoniae, et Landgravius Hassiae, secum et cum aliis foedus defensivum, primum Torgaviae dein Magdeburgi, pepigerunt: quod anno undecimo post Smalcaldiae confirmatum est, indeque nomen tulit. Quibus peractis, et in hoc rerum statu habita sunt Comitia *Spirensia*, Mens. Jun. In quibus, quicquid cum Ferdinando, locum tenente Caesaris, reniterentur Catholici, decretum est, ut Concilium generale peteretur a Caesare et indiceretur; *interea ita se omnes gerant, in sua quisque provincia, quo sui facti probabilem rationem Deo, et Caesari quoque reddant.* Decretum porro est auxilium contra Turcam, quod Legati Regis Hungariae petierunt. Ceterum haec prima fuerunt Comitia, in quibus concionatores euangelici Electoris et Landgravii publicas in hospitiis Principum habuerunt conciones.

§. LVIII. Post haec Comitia animum ad reformationem *Hassiae* serio adplicuit Landgravius, eamque perfecit consulto Melanchtone, qui ei prudenter suasit, ut discrimen verae et necessariae doctrinae, et rituum, qui ferri poterant, recte observaret, et in primis curaret, ut populus non in fide tantum, sed et pietate ac virtute instrueretur. Synodo itaque Homburgi coacta, publicae sunt propositae theses, a Francisco Lamberto, Avenionense Gallo, qui Wittenbergam a. 1523. venerat, cujus opera praecipue fuit usus Landgravius, compositae; quae in Annal. Sculteti exstant, omnemque merentur adtentionem. Sunt autem Latine explicitae et defensae a Lamberto ipso, Germanice

vero

vero ab Adamo Cratone Fuldensi. Oppugnarunt quidem eas Nicolaus Farberus, a patria Herborn dictus, Guardianus Marpurgensis, et Johannes Sperberus. Sed confusi sunt, et Hassia relicta, alio concesserunt. Finita disputatione omnia jussu et opera Landgravii reformata sunt, imagines Templis ejectae, Ecclesiis praefecti pastores, summa earum inspectione commissa Adamo Cratoni, Monachos et Moniales egredi jussit coenobiis, reditus vero eorum ad quatuor nosocomia, et Academiam Marpurgensem, anno sequente fundatam, in qua Theologiam professus Lambertus, translati sunt. Vid., praeter Scultetum, Chytraeus in *Saxonia*. Introduci etiam coepit reformatio in Ducatum *Silesiae* Saganensem, sed a Georgio, Duce Saxoniae, cui parebat, oppressa, majore cum successu in Ducatum Jagerndorfensem, a Georgio Marchione Brandenburgico, qui eum tunc tenebat, plenissime reformatum, denique in ditiones *Franconicas*, Marchionibus Brandenburgicis, Georgio modo laudato, et Casimiro, fratribus subjectas. Fluctuavit quidem inter utramque religionem Casimirus, et conjunctam voluit, sed Georgius reformationis fuit acerrimus patronus, qui opus illud, fratre mox mortuo, ad finem perduxit.

§. LIX. Pontificiae sectae patroni etsi parum in opprimenda reformatione praestiterunt, ab omni tamen persecutione non abstinuerunt. Sigismundus enim, Rex Poloniae, concionatores expulit Dantisco, in Germania Johannes Huglinus, Lindaviensis, et Petrus Spenglerus, martyrio sunt adfecti, ille comcrematus, hic aquis suffocatus. In Bohemia Nicolaus Tornarius, et Clara, vidua sexagenaria, ob negatam corporalem Christi praesentiam in eucharistia, martyrii quoque acceperunt coronam. Imo multis aliis in locis fuisse in subditos, religionis causa saevitum, ex Lutheri scriptis eruit Seckendorfius. In lite *sacramentaria*, altero reformationis inpedimento, nihil actum est, nisi quod scripta quaedam eristica in vulgus emanarint, et animi utrinque facti sint vehementiores. Lutherus, praeter alia pau-

ca, Syngramma Suevicum, Germanice editum Wittenbergae, praefatione munivit, et sermonem de hoc sacramento publicavit, in quo haeresios notam inussit contrariae opinioni. Vehementiam Lutheri perstrinxit Johannes Landspergius, Theologus licet Suevicus, qui etiam orali manducationi, edito libello, se opposuit. Ulmae quoque Conradus Somius, et Augustae Michael Cellarius, Zuinglianam propugnarunt sententiam: sed Norimbergae Andraeas Althamerus, Nordlingae Theobaldus Billicanus, et Augustae Urbanus Rhegius, contra Zuinglium et Oecolampadium strinxerunt calamum. Helvetii in sua sententia tuenda etiam non quieverunt. Praeterquam, quod Oecolampadii scripta apologetica junctim sint edita, Zuinglius varia in lucem emisit scripta, inter quae est, *clara et brevis expositio verborum coenae.* Conquestus porro est, in epist. ad Esslingenses, apud Scultetum in Annal., patronos suae sententiae traduci tanquam haereticos, swermeros, nebulones, et Magistratum contra eos concitari: inprobat etiam, quod notari velim, libros prohiberi, vultque omnia dogmata publice examinari, ut bona retineantur. Denique fuerunt, qui intempestivas et noxias judicarunt has controversias, easque sopitas voluerunt, sed mediis usi, quae ab aliis sunt inprobata. Quorum moderatiorum praecipui fuerunt Bucerus, Leo Judae, et Pellicanus. Leo Judae, ex. gr. Tigurinus, ut realis manducationis defensores ad meliorem reduceret mentem, libellum edidit, sub titulo, *Doctissimi Erasmi, et M. Lutheri, opinio de coena Domini, per Ludovicum Leopoldum*, hoc scopo, ut, ante has lites motas, Erasmum et Lutherum demonstret Spiritualem Christi praesentiam et manducationem tenuisse; quo Lutherus et Erasmus valde irritati sunt. Quodque nova produxit scripta. Expostulavit quoque Erasmus cum Billicano, Hebr. ling. apud Tigurinos Professore, per litteras, typis evulgatas, quod Erasmum dixisset solam manducationem per fidem agnoscere.

ANN.

ANN. 1527.

§. LX. Caesare bello Italico, et Ferdinando, Rege Bohemiae electo, bello Hungarico cum aemulo ejus Johanne Zepusiensi, occupato, adeoque suprema in Inperio potestate fere deficiente, cum negotia, in primis religionis, Principum et Magistratuum arbitrio tractabantur: Reformatis occasio quidem data fuit, et potestas, rem religionis suae urgendi et confirmandi; sed ipsi in culpa fuerunt, per mutuas lites et dissensiones, quibus a se invicem disjuncti sunt, quo minus ea res feliciter successit. Viguerunt hoc tempore, praeter bellum Sacramentarium et Anabaptisticum, concertationes Islebii et Melanchtonis; sed quae brevi sunt sopitae, postea acrius resuscitatae. Philippo Melanchtoni, ut brevem hujus rei conspectum dem, qui hoc anno libellum *visitationis* Ecclesiarum Saxoniae composuerat, quo necessariam et utilem doctrinae formam explicuit, dicam inpegit Johannes Agricola Islebius, quod poenitentiam a timore Domini incipere, et terroribus conscientiae, docuisset, praetendens, Lutheri doctrinam habere, initium a fide in Deum fieri debere, quodque poenitentiam praedicari jusserit Christus in suo, non Mosis, nomine: volvebat enim jam tunc animo dogma, ut adpellatur, *antinomicum*, quod undecim annis post erupit: inter prandendum enim jam litigavit, non placere sibi, quod decalogum jussisset Melanchton in ea visitatione doceri, quia liberati sumus a lege, et praecepta Pauli potius sunt docenda. Quae lis tunc facile est per Lutheri commodam explicationem composita, Melanchtone, Islebio, et Luthero evocatis eum in finem Torgoviam, cum de verbis magis, quam de re ipsa, contentio illa fuerit visa, quatenus timor Dei et poenarum coehaereat. Sed alii in illa Melanchtonis *visitatione* reprehenderunt, quod in Pontificios non acriter satis fuerit invectus, multasque quaestiones alias praetermiserit. Quibus regessit satis prudenter, ci. apte 1. se sermonem ad omnium captum ad-

commodasse, et callidas, ac veteratorias, quaestiunculas evitasse, ut multarum controversiarum causae praeciderentur, 2. nihil ab hominibus profici indoctis, si nihil aliud agant, quam ut furant pro concione, et Monachos omni convitiorum genere lapident.

§. LXI. Anabaptistae, ne de Helvetia dicam, Wormatiae ad Rhenum, in Silesia, Bavaria, et Suevia, se ostentare coeperunt, quorum coryphaei erant Ludovicus Petzeus, et Johannes Denckius. Wormatiae vero Jacobus Cautius, praeco euangelii, ab iis inductus, hos septem articulos publice ad disputandum proposuit. 1. Externum verbum non esse vivum, et aeternum, Dei verbum, sed signum tantum ac testimonium interni. 2. nec externum verbum, nec sacramentum, posse hominem consolari, ac confirmare. 3. Paedobaptismum Deo, et doctrinae Christi, adversari 4. in coena Domini non esse essentiale corpus et sanguinem Christi. 5. Quicquid in Adamo cecidit, illud in Christo reviviscere, sed ordine justo. 6. Christum nulla alia de ratione pro nobis esse passum, nisi vestigiis ejus insistamus, et praecepta observemus. 7. Sicut externus esus non nocuisset Adamo, nisi interna animi cupiditas accessisset, ita sine interna obedientia, et voluntati Dei satisfaciendi desiderio, corporalem Christi passionem non esse veram satisfactionem. Quibus articulis contrarios opposuerunt ejus collegae, eosque etiam refutarunt Argentinenses Theologi. In Suevia vero molesti fuerunt Anabaptistae Ulmensibus, et Augustanis; et Augustae supra centum utriusque sexus retenti sunt captivi, ac vario vexati, et puniti.

§. LXII. In quaestione *sacramentaria* versati sunt magnis animorum motibus, ab utraque parte, et varie divisi, adeo etiam, ut adversariis sese ludibrio et odio exposuerint reformati. Lutherus publicato libro demonstrare conatus est, verba Christi, *hoc est corpus meum*, stare firma et inconcussa contra fanaticos Sacramentariorum spiritus: in quo, praeter paradoxa alia, *ubiquitatem* corporis Christi adstruit ex Joh.

Joh. III. *nemo adscendit in coelum — — — filius hominis, qui est in coelo;* in eucharistia substantia panis maneat nec ne; parum dicit referre. Vid. Scultetus in Annalibus. Cui Zuinglius et Oecolampadius varia opposuerunt scripta. Nata etiam hinc nova est controversia de *Ubiquitate* corporis Christi; quam Lutherus, ut argumentum ex Christi exaltatione eluderet, primus censetur docuisse in Germania libro modo memorato, ita ut etiam ante adscensionem in coelum corpus Christi simul in coelo et terra sit, imo ubique locorum. Repetit quidem Hospinianus a Gersone, sed is non *πανταχουσίαν ubiquitatem*, sed *πολυτοπίαν* statuit, ubi scilicet panis et vinum tantum mutantur. Opposuit sese huic opinioni Zuinglius, in sua *responsione orthodoxa et Christiana*, ad Johannem Saxoniae Ducem.

§. LXIII. Sicut vero Principes reformatores in suis ditionibus satis libere agebant, ita et Catholici in reformatione oppugnanda, et persecutionibus perseverarunt. Prodiit hoc anno severissimum Ferdinandi, Regis Hungariae et Bohemiae, edictum Budae, adversos Reformatos, et omnes haereticos, quo poena capitis in eos est statuta. Numerum martyrum auxerunt, praeter alios, Leonardus Caesar, Georgius Carpentarius, Johannes Reichel, et Georgius Winckler. De quibus vid. Scultetus. Leonardus vivicomburium est passus in Bavaria, frustra pro eo intercedente ipso Electore Saxoniae apud Ernestum Bavarum, Episcopum Passaviensem; in quo hoc accidit notabile, quod sacrificulus facinorosus, una cum ipso adfectus supplicio, has identidem ingeminaverit voces, *ego ne quidem dignus sum, qui tibi in hac poena adsocier, justo injustus.* Georgius Carpentarius flammis est absumtus Monachii Bavarorum, Johannes Reichel, euangelista Strigensis, de arbore suspensus, clandestinis Johannis Fabri consiliis, Georgius denique Winckler, concionator Halae Saxonum, ab Archiepiscopo Moguntino evocatus Aschaffenburgum, ut fidei redderet rationem, et dimissus, in itinere occisus est.

ANN. 1528.

§. LXIV. Crevit hoc anno reformatio, non obstantibus variis inpedimentis, partim ab ipsis Protestantibus, partim a Catholicis, injectis. Quorum praecipua ante adtingam, quam ad incrementum reformationis accedam. Landgravius et Elector Saxoniae, inito foedere, sese ad bellum vicinis Episcopis et Ducibus inferendum adcinxerunt, eo compulsi, quod foedus putarint fuisse inter Ferdinandum, Regem Bohemiae, Electores, et Episcopos, Catholicos pactum, de Landgravio et Electore Saxoniae oppugnandis, et ditionibus suis privandis, nisi reformationi renunciarent. Quae opinio originem suam debebat relationi Ottonis Paccii, consiliarii, et Cancellarii, Georgii, Ducis Saxoniae, qui Landgravio ejus notitiam non tantum dedit, sed et exemplar praebuit. Sed haec tempestas brevi est dissipata, cum quod Elector a bello paulo alienior esset, et inpetum Landgravii reprimeret, quo Lutheri et Melanchtonis dissuasiones etiam multum contulerunt, tum in primis, quod Principes Catholici, de causa belli certiores facti, ejusmodi pactum palam negarint, Paccium quoque falsae relationis convicerint. Nec tamen defuerunt, qui de tali pacto non dubitarunt: inter quos ipse fuit Lutherus, qui nonnullis in litteris illud non non tantum aperte significavit, sed et in epistola ad Wenceslaum Lincium, Ecclesiasten Norinbergensem, propterea vehementer in Georgium Ducem invectus est. Qui, epistolae exemplar nactus, in Lutherum exarsit adeo, ut quaestionem in eum postulaverit ab Electore, et invectivam contra eum evulgaverit, ad quam Lutherus anno sequente respondit in libello de *litteris furtivis*. In quo et ab Electore, et a Melanchtone, fuit reprehensus. Dixit quoque Melanchton in epist. ad Camerarium huc respiciens, *Deus corrigat* ejusmodi *σφαλματα nostra*. Similem invidiam causae reformationis creavit, quod Nicolaus a Minquetz in Marchia Brandenburgica diripuerit Furstenwaldum, oppidum Epis-

copi

copi Lebusiensis, eaque ratione pacem publicam violaverit.

§. LXV. Praeterea causae suae multum nocuerunt suis litibus ipsi Euangelici. Edidit hoc anno Lutherus *confessionem* de coena Domini, quae *Magna* adpellatur, in cujus prima parte Zuinglium, in secunda Oecolampadium, castigavit, in tertia vero confessionem fidei expectoravit, in qua vivere vult et mori. Innititur praecipue claris, ut putabat, institutionis Christi verbis, et sententiam de penetratione corporis Christi per dimensiones, ac de ubiquitate, stabilire adnititur. Statuit vero corpus ejus tres habere *essendi* modos, 1. corporalem et visibilem, cum locum occupat secundum suam magnitudinem, dum est in terra versatus. 2. incomprehensibilem et Spiritualem, quo locum non occupat, sed per omnes penetrat creaturas, sicut, licet pro crassiore habeat comparatione, visus per aerem, lucem, et aquam. Secundum quem modum per clausas transiit januas, et in pane est ac vino. 3. Divinum et coelestem, quo una cum Deo persona est, et ubi Deus est, ibi ejus corpus. Lutherus quatuor hic ponit fundamenta 1. hominem Christum, vi unionis, esse ubique, ubi divina est natura. 2. Dextram Dei esse ubique. 3. Verbum Dei esse verum, non mendacium. 4. Plures esse modos essendi. Ceterum corporis Christi praesentiam esse extra coenam, adeoque ubique, docuit quoque, isque inter Catholicos primus, a. 1524. Parisiis Jacobus Faber Stapulensis, sed simul est oppugnatus. Observat praeterea Hospinianus, Lutherum illud dogma post colloquium Marpurgense, de quo mox, fecisse missum. Huic libro se opposuerunt Zuinglius, Oecolampadius, et Bucerus, qui tropum in verbis Christi esse adfirmarunt, perversas ejus theses refutarunt, et τὴν ἀλλοίωσιν, qua voce de communione idiomatum, ut adpellatur, utebantur, a Luthero rejectam, demonstrarunt. Renovata praeterea est inter Lutherum et Carolostadium controversia in Saxonia. Redierat enim Carolostadius a. 1525., permissu Electoris,

Wittebergam; sed postea, cum sibi insidias strui animadverteret, migravit cum familia in Helvetiam, et primum Tiguri, dein Basileae docuit, mortuus a. 1543. In Silesia Fredericus, Dux Lignicensis et Brigensis, ut suspicionem, acsi sententiam Lutheri foveret, a se amoliretur, confessionem a Pastoribus, in unum convocatis, conscribi jussit, quae corporali praesentiae aperte contradicit. Sed Dux sententiam postea rursus mutavit. Johannes Brentius, Zuinglium et Oecolampadium refutaturus, in exegesi Joh. VI., mentem ita exposuit, ut a Zuingliana prope videatur abesse, unde excerpta exstant apud Hospinianum. Dicit enim, pane et vino distribui et donari fidei nostrae corpus et sanguinem Christi, et ea ratione esse vere corpus Christi. Sed filius ejus, etiam Johannes Brentius, Patrem ab hoc errore sacramentario vindicare adgressus est a. 1582. Denique fuerunt, qui hoc dissidium componi posse censuerunt, statuendo, sufficere, Christum fide accipi per verbum in coena, quod utrinque agnoscitur, de modo non esse animose contendendum. Qua ratione Jacobus Oetherus, praeco euangelii in oppido Steinaco ad Nierum, et Martinus Bucerus, instituerunt, licet posterior fluctuaverit, modo ad Helvetios, modo Lutheranos, propius accedens, in modo fidem explicandi, ut Scultetus observat.

§. LXVI. Alia obstacula sunt a Pontificiis injecta, qui in persecutionibus perseverarunt. Joachimi I., Electoris Brandenburgici, zelo acceptum ferendum est, quod non tantum uxor ejus, Elisabetha, propter eucharistiam sub utraque specie inmuranda, sibi fuga consuluerit ad Electorem Saxoniae, avunculum ejus, sed et quod ex oppido Juterbocensi in Saxonia, licet juris Magdeburgensis Archiepiscopi, concionatores fuerint dolo evocati, capti, et carceri inclusi. Nec a persecutione abstinuit Georgius, Dux Saxoniae, ut narrat Seckendorf. Martyrio quoque coronatus est Georgius Scharerus, Monachus Franciscanus, qui Radstadii in Bavaria purius docuit euangelium, quippe capite ibi

plexus.

plexus. In Bohemia denique duo artifices, alter quod rebaptizatus, alter quod Lutheranus, diceretur, uterque Picardorum nomine notatus, combusti sunt.

§. LXVII. Quibus omnibus inpedimentis non obstantibus, causa euangelica confirmata est in Germania, et promota. Ne memorem visitationem Ecclesiarum Saxoniae, anno praecedente inceptam, et hoc continuatam, et fere absolutam, publicato etiam libello visitationis, qui universam fidei et rituum formam complectitur, a Melanchtone conscripto, et a Luthero reviso, 1. *Hamburgi*, et in Republica *Brunsvicensi*, purius euangelium publica est receptum autoritate, et forma doctrinae, cultus, et regiminis, a Johanne Bugenhagio descripta, introducta est, cujus summam exhibet, loco alieno, Seckendorfius a. 1543. 2. *Bremae* est e monasterio Augustiniano erectum *gymnasium*, Rectore Johanne Oldendorpio, et reliqua coenobia sunt occlusa. 3. *Goslariae* publica est instituta reformatio, autoritate Senatus, ope Nicolai Amsdorfii, Magdeburgo acciti, primario Pastore facto Johanne Amando: qui postea in suspicionem Zuinglianismi incurrit: quemadmodum deinceps quoque Henricus Knignius, et Johannes Grabertus, pastores Goslarienses, propterea loco moti. Vid. Moshemius in Dissertationibus ad hist. Eccles. pertinentibus. 4. *Francofurti* ad Moenum profectus fecit doctrina Reformata sub Doctore Dionysio Melandro. 5. Comitatus *Diepholdianus* reformationem etiam suscepit, autoritate Frederici Comitis, qui continuo conjugis hortatu eo permotus est, et opera Patroculi Romelingii Susatensis, qui Osnabrugae magno cum fructu docebat. 6. In *Franconia* Georgius Marchio, post Casimiri fratris mortem, ut supra monui, inito cum Norimbergensibus consilio, Swobaci XXIII confecit articulos, eosque adprobatos sancivit: unde solennis Ecclesiarum visitatio est secuta in Marchionis et Norinbergensium ditionibus. Ceterum hi articuli non sunt confundendi cum septendecim ita dictis Swobacensibus a Luthero a 1529. conscriptis, qui Au-

gustanae confessionis, a Melanchtone compositae, materiam fecerunt, uti a Doctis jam est observatum. Denique 7. in Comitatu *Montisbelgardensi*, in finibus Burgundiae, sub Wurtenbergensi Principe, libera praevaluit euangelii adnunciatio, teste Joh. Piscatorio, concionatore Aulico Principis, in epist. ad Oecolampadium.

ANN. 1529.

§. LXVIII. Nihil celebrius hoc anno, si Pontificiorum caussae ratio habeatur, accidit *Comitiis Spirensibus*, indeque nato *Protestantium* titulo, reformationis studiosis dato. Indixit non tantum circa finem anni superioris, diplomate publicato, comitia Carolus V., sed Commissariis suis quoque odiosa admodum, et tyrannica, dedit mandata, quibus, inter alia, decretum Spirense a. 1526., pro libertate religionis, aboletur, decreti Wormatiensis exsecutio urgetur, et novationes circa sacra sub proscriptionis poena prohibentur. Unde factum est, ut Principes Catholici erexerint cornua, nonnulli quoque, reformationis antea fautores, inter quos Henricus Meckelburgensis, ejus facti sint adversarii. Decretum autem est in Comitiis, Mens. Mart. habitis, 1. Spirensi statuto abrogato, illud horribile Wormatiense exsecutioni esse mandandum in illis regionibus, in quibus hucusque receptum erat, adeoque religionis mutationem nemini ibi fore licitam. 2. Aliis vero in terris, ubi euangelica, sic dicta, religio exercebatur, eam licite obtinere posse, usque ad concilium, quod ut habeatur urgendum esse, ita tamen, si absque evidente periculo antiqua nequeat restitui religio. 3. Minime licere, aut abolere missam, aut Catholicae religionis inpedire exercitium, aut ad euangelicos accedere. 4. Doctrinam, et sectam, Sacramentariorum, seu Zuinglianam, nullibi recipiendam aut docendam esse. 5. Anabaptistas morte puniendos esse. Contra hoc decretum, solenniter sunt protestati sex Principes Euangelici, Johan-

nes

nes Elector Saxoniae, Georgius Marchio Brandeburgicus, Ernestus et Franciscus Duces Luneburgenses, Philippus Hassiae Landgravius, et Wolfgangus Princeps Anhaltinus: quibus sese quatuordecim civitates Inperii liberae adsociarunt, Argentoratum, Norimberga, Ulma, Constantia, Lindavia, Memminga, Campodunum, Nordlinga, Hailbrunna, Reutlinga, Isna, Sangallum, Weissenburgum (Noricum) et Windsheimium. Quam protestationem, rationibus munitam, quas exhibet Sleidanus lib. VI., scripto consignatam, tradiderunt, et, de legatione ad Caesarem mittenda, agendum esse decreverunt; typis autem evulgavit Elector Saxoniae, domum redux. Hinc natum est celebre illud *Protestantium* nomen, Reformatis commune. Inmerito illud, acsi perduelles in Pontificem aut Caesarem significaret, traduxit Pallavicinus, cum liberae tantum sit religionis conservatio, salva obedientia Caesari debita; quare Maimburgius rectius *honestiorem* adpellavit *titulum*.

§. LXIX. Declararunt vero in hac protestatione, se decreto, salva veritate euangelica, et conscientia, obtemperare non posse, et ad Inperatorem provocarunt ac Concilium liberum, vel, nationale, vel qualemcunque competentem judicem. Singulare est Lutheri judicium, quod, praeter instrumentum adpellationis, recenset Seckendorfius, quo, standum esse decreto censet contra sacramentarios et Anabaptistas. Longe sanius et moderatius Principes in sua protestatione declararunt, sibi illud inprobari, cum eos, inaudita causa, damnari sit nefas. Quibus peractis, legatio est ad Caesarem missa, ut protestatio Caesari insinuaretur, et, si pote, excusaretur. Executi illud sunt Legati, qui Caesarem Placentiae in Italia convenerunt, addita oblatione auxilii contra Turcas, qui tunc Viennam usque processerant, eamque obsidione, licet frustranea, tentarant. Detulerunt etiam ad Papam Hadrianum confessionem de necessitate reformationis, et centum illa nationis Germanicae gravamina, supra memorata, in comitiis Norimbergae a. 1522.

tradita. Caesar, qui in eo erat, ut pacem cum Papa faceret, adeoque ejus gratiam aucupabatur, duriter excepit ac tractavit Legatos, respomditque, sibi valde ingratam esse protestationem, et velle, ut Principes decreto Spirensi pareant ac Wormatiensi, additis minis, secus si fecerint, se, autoritatis et exempli gratia, severe in eos esse animadversurum. Cum vero Legati novam protestationem, seu potius adpellationem, ad Caesarem ipsum, Spirae a Principibus decretam, insinuarent Secretario ejus, Caesar se iis valde iratum praebuit. Vid. Sleidanus, lib. VI., unde legationis historia recte petitur. Animo Caesaris hac ratione explorato, et denudato, Principes de sui, et causae, seu libertatis religionis, defensione, armis facienda, instituerunt deliberare; sed nihil effectum est usque ad conventum Smalcaldicum, de quo postea. Lutherus enim et socii ejusmodi defensionem, tanquam euangelio adversam, inprobarunt; in specie societatem cum sacramentariis, quos excludi voluerunt.

§. LXX. Iniit vero Caesar ab eo tempore quoque consilia de reprimendis Protestantibus; in primis cum multa ad eos odiosos reddendos concurrerint, uti, ex. gr., quod ad Caesarem fuerit delatum, Principes in animo habere, alios Inperii Ordines ad religionem suam cogere, quodque unus Legatorum Caesari porrexerit libellum, capita doctrinae Christianae complexum, et cura Landgravii conscriptum: qui apud Caesarem traductus est, tanquam officium Magistratus reprehendens et refutans, licet nihil aliud in eo fuerit dictum, quam ministros Ecclesiae non debere principatum adfectare, Christo hoc ipsis prohibente. Huc etiam aliquid contulit libellus Erasmi *contra quosdam, qui se falso jactant euangelicos*; quem in gratiam Caesaris, ex Italia in Germaniam redeuntis, conscripsit, accusationum Euangelicorum plenissimum, sed a Theologis Argentinensibus refutatum. Sed consilia Caesaris, in initio violentiora, deinceps facta sunt paulo mitiora. Pace enim cum Gallo inita,

conventum

conventum quoque est de opprimendis Lutheranis. Vid. Sleidanus lib. VI. Sed posteà, colloquio Bononiensi cum Papa habito cum Papa non concilio, sed armis statuerit dirimendas esse controversias, seseque a Concilio ostenderet alienum, Caesar ab eo dissensit, et abusuum emendationem censuit necessariam, simul, antequam Synodus cogatur, utilem esse duxit Statuum Inperii universalem conventum, ad Lutheranos, si pote, cum Catholicis conciliandos.

§. LXXI. Praeter haec Catholicorum infesta molimina, adhibita etiam est persecutio per exilia et caedes. Rotevilla, ut unum alterumve proferam specimen, in Germania ultra Danubium, multi, utriusque sexus, ad usque trecentos et octoginta quinque, ejecti sunt, quod liberum religionis exercitium peterent. Coloniae Agrippinae Petrus Fliftidius, et Adolphus Clarebachus, de quo vid. Biblioth. Bremensis class. IV., viri litterati, posteaquam per sesquiannum et ultra essent in custodia detenti, ad rogos damnati et exusti sunt: quorum historiam scripsit Rabus. Culpam plerique adscripserunt concionatoribus, qui, pro more Zelotarum, horum suppliciis iram Dei esse placandam, clamarunt. Mechliniae in Brabantia eandem subiit sortem Wilhelmus Swollensis; cujus historiam dedit Johannes Bugenhagius. Denique, aliis missis, Gamundae in Suevia septem religionis causa interfecti sunt, ut ex Crusio refert Scultetus.

§. LXXII. Interea haud spernendos fecit reformatio progressus, sicut alibi, ita in Germania, de qua hic agimus. Ne utrumque Lutheri catechismum, majorem et minorem, hoc anno editum, ad reformationem promovendam licet utilissimum, memorem, quo capita catechetica scilicet decalogi, symboli Apostolici, Orationis Dominicae, nec non baptismi et S. coenae, succinctius et fusius pertractat, qui duo libelli ad hoc usque tempus inter libros Symbolicos Lutheranorum locum tenent: 1. *Ulmenses* in Suevia reformationi operam dederunt, evocato Heidelberga Martino

 Frech-

Frechto; sed ea non nisi a. 1531. consummata est. Vid. Seckendorf. l. III. 2. *Mindae* ad Visurgim posteaquam puriorem doctrinam, salvis ritibus externis, ibi aliquandiu sedate et prudenter docuerat Albertus Niseus, vir egregius, et moderatus, jam tum plusquam octoginta annos natus, qui ad 120 annos aetatem perduxit, vid. de ipso Cl. Buneman, Rector gymnasii Mindensis, triginta cives evocant, mortuo Episcopo, Nicolaum Cragium, qui, majore zelo abreptus, veteres abolevit ritus, et in Canonicos ac Monachos vehementer detonuit; ita ut aufugere fuerint coacti. Sed et ipse, omnia inmoderate agens, postea est a Senatu expulsus. *Argentinenses* quoque hoc anno, jussu Senatus, abrogarunt missam: ut Hospinianus hist. sacram. p. II. observat, et Sleidanus hist. l. VI. paucis enarrat.

§. LXXIII. Controversiae *Sacramentariae* respectu, ut ejus historiam pertexam, accidit hoc anno illud maxime memorabile; quod *colloquium Marpurgense* fuerit unionis Zuinglianorum et Lutheranorum causa habitum, mens. Octobr. tribus fere congressibus absolutum. De quo, praeter saepe citatos Scultetum et Seckendorfium, legi meretur Hospinianus hist. Sacrament., et Ruchat. reformat. Helvetiae l. VI., qui disputationis conspectum dedit. Epistolam quoque Brentii de eo dedit Pfaffius in *actis et scriptis publicis Eccles. Wurtenb.* Autor colloquii, ut ejus succinctam dem narrationem, fuit Philippus, Hassiae Landgravius, laudabili studio dissidiorum inter Protestantes finiendorum ductus, ut unitae vires fierent fortiores: licet Theologi utriusque partis, nihil praeclari de colloquio sperantes, ab eo fuerint paulo alieniores. Qui aliquas in eo habuerunt partes, fuerunt ab altera parte Zuinglius Tigurinus, Oecolampadius Basileensis Ecclesiastes, Bucerus et Hedio Argentoratenses, ab altera vero Lutherus, Melanchton, et Justus Jonas, Wittebergenses, Andreas Osiander Norimbergensis, Johannes Brentius Halensis; sed praecipui collocutores Lutherus et Zuinglius cum Oecolampadio. Argumentum fuit

quaestio

quaestio Sacramentaria. Lutherus quidem de aliis quoque capitibus, ut de Trinitate, peccato originali, efficacia Sacramentorum, et aliis, in quibus errare Helvetios fama ferebat, agi in initio voluit, sed repugnarunt Helvetii, se a reliquis Protestantibus, nisi in verbis forte et methodo, dissentire, ut mendax ferebat fama, negantes, nec propterea in unum venisse dictitantes. Ursit vero Lutherus in causa Sacramentaria unice clara Christi verba, nec alia ratiocinia, multo minus e ratione et Patribus, admitti, aut proferri, voluit; quae argumenta Helvetii maxime adhibuerunt, uti ex Joh. VI., exaltatione Christi, et natura corporis, quod localiter, et uno in loco, tantum potest esse praesens. Eventus colloquii fuit, in varios quidem articulos consensus, sed respectu sacramentalis praesentiae Christi durans dissensus, etiam quoad fraternitatem, non obstante dissensu, quam Helvetii obtulerunt et petiverunt, sed Lutherus constanter negavit. In illud tamen tandem consenserunt, *ut utraque pars, quantum omnino ferre possit cujuscunque conscientia, charitatem mutuam praestet, et Deum invocet, ut per Spiritum in vera sententia confirmetur.*

§. LXXIV. Ceterum in hos quatuordecim articulos, quos recenset Scultetus, utraque pars consensum, manus quoque subscriptione, testificata est, de Trinitate, incarnatione, passione Christi, et merito, de peccato originis, ejus, et aliorum, peccatorum remissione per solam fidem in Christum, pro nobis mortuum, de fide dono Dei, de fide justificante, de Spiritu fidem ordinarie per verbum operante, de baptismo ad hanc fidem efficiendam et obsignandam, de fide principio bonorum operum post justificationem et sanctificationem nostram, de confessione privata non coacta, sed libera, attamen utili, de Magistratu et ordine Civili bono et necessario, de traditionibus Ecclesiasticis, verbo Dei non contrariis, libere servandis, vel omittendis, ut scandala vitentur. Denique, utraque specie in eucharistia admissa, et repudiata Missa, consenserunt, *sacramentum altaris esse sa-*

cramentum veri corporis et sanguinis Christi, ejusque manducationem spiritualem esse praecipue necessariam, et hanc habere utilitatem, *ut infirmas conscientias ad fidem et dilectionem excitet per Spiritum S.* Ulterius forte processisset consensus, si diutius ibi potuissent manere. Morbus enim, tunc ibi grassatus, quem *sudorem Anglicum* vocant, quia sub Henrico VII. primum in Anglia innotuit, eos ad discessum compulit. Interea, ut fieri adsolet, utraque pars gloriata est de victoria reportata, et utrinque se invicem immoderationis accusarunt, sed et in sua confirmati sunt sententia, adeo ut ad unionem parum, vel nihil, contulerit colloquium. Hospinianus epistolas recenset Lutheri et Melanchtonis, quibus invidiose admodum narrant colloquium, dicere non veriti, quod a tantis viris nollem profectum, Helvetios in aliis articulis discessisse ab opinionibus suis, facturos etiam, quoad sacramentariam, nisi populi sui metuissent odium. P. Sarpius vero in hist. concil. Trident. lib. I. censet, inter partes hic non convenisse, sive, quod, controversia in tantum procedente, de existimatione autorum agi videretur, sive, quod in quaestionibus de verbis usu venire solet, quaestionis exiguitas animorum obstinationem aleret, sive denique, quod ad amicum aliquanto post tempore scripsit Lutherus, cum tantos turbarum fluctus jam excitatos conspiceret, nollet Zuingliana verborum Coenae interpretatione, Pontificiis tantopere exosa, Principes suos magis odiosos reddere, et majoribus objicere periculis. Illud nihilominus effectum est, ut Landgravius, cum Fr. Lamberto, pronior fuerit ab eo tempore factus ad Helvetiorum partes, vel, secundum nonnullos, accesserit. Ceterum de Lamberto vid. Schelhorn amoen. Litter. tom. IV.

ANN. 1530.

§. LXXV. Nihil hoc anno contigit celebrius *Comitiis Augustanis*, et *Confessione* in iis oblata a Saxonicis, inde dicta

dicta *Augustana*, quam concepit Lutherus, formavit ac perpolivit Melanchton; quae publice in aula Caesaris praelecta, et in varias linguas versa, per totam Europam missa et dissemiṅata est. Comitiorum historiam enarravit Coelestinus, et confessionis D. Chytraeus, fuse et adcurate. Quibus, praeter Schultetum, addendus est Seckendorfius, qui e cod. Mss. nonnulla habet notabilia. Summa rerum capita suffecerit perstrinxisse. Pacto inter Caesarem et Papam inito Bononiae, firmoque capto consilio de religione Pontificia tuenda, Caesar, missis ad Status Inperii litteris, Comitia, Augustae Vindelicorum ad VIII. April. habenda, indixit, simul jussit, ut fidei suae ibi redderent rationem Protestantes. Quibus acceptis, Torgaviam evocat Elector Saxoniae Theologos Wittebergenses, Lutherum, Justum Jonam, Pomeranum, et Melanchtonem, ut religionis capita, quae Ecclesiae Saxonicae, aliaeque iis adsociatae, profitebantur, in summam redacta exhiberent. Unde septendecim articuli, a Luthero concinnati, orti sunt, et Electori traditi, qui agunt 1. de Deo et Trinitate 2. Incarnatione 3. passione Christi 4. de peccato originali 5. justificatione 6 natura fidei justificantis 7. euangelii praedicatione, tanquam medio fidei consequendae 8. de sacramentis. 9. Baptismo 10. Eucharistia 11. de confessione privata 12. Ecclesia Catholica 13. de extremo judicio 14. Magistratu 15. conjugio et esu carnis 16. de missae abrogatione, 17. de ceremoniis. Ceterum *tertius* articulus de Christo, ejusque persona et duplici statu, ita conceptus est, ut eum *ubiquitati* favere Lutherani, et contradicere Reformati, contendant: vid. Hospinianus. *Decimo* articulo dicitur, quod in *sacramento altaris vere praesens sit in pane et vino verum corpus et sanguis Christi, secundum verba, hoc est corpus meum*, etc. *nec tantum sit panis et vinum, ut nunc adversarii quidem contendunt.* In prima edit. German. Witteberg., habebatur *sub specie panis et vini*, sed in emendata editione a. 1531. dicitur, *corpus et sanguinem Christi vere adesse, et cum pane ac vino distribui.*

tribui. Unde multa inter Lutheranos ipsos orta est contentio. De quo postea.

§. LXXVI. Cum vero de Caesaris proposito, omnes Euangelicos prorsus exscindendi, spargeretur fama, in deliberationem a Principibus missum est, num Caesari sit armis obviam eundum? Quod Lutherus omni ope dissuasit, Deo contendens esse fidendum, eique causam religionis committendam. Quod prudens erat consilium, cum de eo Caesaris animo nondum constaret; nec etiam ad id inclinatus adhuc esset, licet divisa essent aulae ejus consilia, ipseque subinde inter ea fluctuaret, dum alii, inprimis Episcopi et Clerici, nil nisi minas et caedes spirarent, alii pacem suaderent et tolerantiam, quorum princeps erat Gattinara Cardinalis, et supremus Caesaris Cancellarius, vir modestus et prudens: qui paulo ante haec comitia, magno bonae causae damno, defunctus est. Missis itaque violentis consiliis, Principes sese ad iter Augustanum adcinxerunt, variisque temporis articulis eo venerunt. Primus eo adpulsus est postridie Kalend. Maji Johannes Elector Saxo cum Johanne Frederico Filio, nec non cum Francisco Duce Luneburgico, Wolfgango Anhaldino, et Theologis Melanchtone, Jona, Spalatino, et Islebio: Lutherus enim, quippe per Wormatiense decretum proscriptus, in itinere relictus est Coburgi in Franconia, ubi consuli semper poterat. Venit dein Philippus, Hassiae Landgravius, die duodecima Maji, Caesar denique ipse Idibus Junii. Interea temporis revidit Melanchton articulos, modo recensitos, eosque paululum mutatos, additis etiam septem aliis, de communione sub utraque, conjugio sacerdotum, missa, confessione, discrimine ciborum, votis Monasticis, et potestate Ecclesiastica, contra Pontificiorum abusus, redegit ad viginti octo, qui ad Lutherum missi sunt, et ab eo adprobati, licet non nesciret, quaedam esse omissa, quaedam justo mollius et timidius prolata. Censetur quoque Melanchton timidius hic egisse, ut, quantum pote, invidiam evitaret Pontificiorum,

ficiorum, et ad Caesaris sententiam propius se adcommodaret.

§. LXXVII. Caesare incredibili pompa Augustam ingresso, omnibusque praesentibus, triduum fuit disputatum de concionibus Protestantium, quas hucusque eorum habuerant concionatores, intermittendis, donec res ita fuerit composita, ut utriusque partis praecones cessarent, usque dum de religione esset sancitum, Caesar vero eligeret, qui sine utriusque partis contumelia concionarentur, quod publico edicto a Caesare constitutum est. Nec tamen desiit festum corporis Christi solenni pompa celebrari, aut missa haberi: ita tamen, ut a festo se excusarint Protestantes, missae autem aliqui, civilis officii ergo, interfuerint. Ipse Elector Saxo Caesari id in hac actione praestitit, quod olim Naaman Syrus Regi suo, post praemissam tamen fidei suae de Missa confessionem.

§. LXXVIII. Comitiis initis, cum Caesar duo, de quibus agendum erat, proposuisset capita, de bello Turcico, et religionum dissidio, et de posteriore prius esse tractandum, secundum Principum vota conclusum esset: jussit Caesar, ut Elector Saxoniae, ejusque socii, confessionem fidei, et de abusibus emendandis sententiam, scripto exhiberent. Id quod quatriduo post, die XXIV. Jun., Latine et Germanice fecerunt, nomine *Apologiae*, cui postea illud *confessionis* successit, simul petentes, ut publice in Comitiis legeretur. Quod cum inpetrare non possent, Caesare volente, ut sibi traderetur et deponeretur, illud summa sua constantia consecuti sunt, ut sequente die in aula Caesaris praelegeretur, nec ante Caesari, illud volenti, in manus traderetur. Die itaque XXV. Jun., post meridiem in conclavi Caesaris, quod sacris destinatum, et ducentorum hominum capax erat, Electores, Principes, et Ordines se stiterunt praesentes Caesari; ex Protestantibus vero Johannes Elector Saxo cum filio, Georgius Marchio Brandenburgicus, Ernestus et Franciscus fratres Duces Brunsvicensis et Luneburgensis, Phi-

 lippus

lippus Landgravius Hassiae, Wolfgangus Princeps Anhaldinus, et Legati duarum civitatum Noribergae et Reutlingae. Quando in medium comparuerunt Georgius Pontanus, Ex-cancellarius, et Christianus Baierus, Cancellarius Electoris, ille Latinum, hic Germanicum exemplar manu tenens. Praelectum est Germanicum a Baiero clara et lenta voce, ita ut extra aulam in arce inferiore, locisque vicinis, exaudiri ac intelligi potuerit. Finita praelectione, utrumque exemplar Caesari est traditum; qui, etsi postulaverit, ne se inscio aut invito divulgaretur, aut typis describeretur, ipse mox ad praecipuos Europae Reges, ut eorum sententias requireret, misit. Quod exemplum imitati Legati Regum, confessionem in suae gentis idioma versam, per praecipuas Europae aulas, et urbes, disseminarunt. Qua ratione, quod notatu dignum est, purius euangelium ubique est promulgatum.

§. LXXIX. Praelecta confessione varia sunt prolata judicia, nonnulla etiam in bonam partem, quae studiose collegit et edidit Johannes Saubertus in *mirabilibus Augustanae confessionis.* Inter quae peculiarem merentur animadversionem judicia favorabilia Episcopi Augustani, Ducis Bavariae, et Cardinalis Salisburgensis, qui postremus dixit, *non malas, aut iniquas, esse postulationes Protestantium; id autem ferri non debere, quod ista omnia a Monacho pauperculo proficiscerentur.* Discreparunt etiam in Senatu Principum sententiae, cum ea de re deliberatum est. Alii decreti Wormatiensis exsecutionem urserunt, et, inmorigeros esse armis coercendos, censuerunt: sed aliorum erat votum, ut confessio viris doctis traderetur examinanda, et ex illis judiciis Caesar sententiam pronunciaret. Pars major vicit, quae confessionis refutationem fieri, eamque, a Caesare comprobatam, Protestantibus recitari, censuit. Delecti itaque ad hoc negotium Johannes Faber, Johannes Eckius, Johannes Cochlaeus, Conradus Winpina, Medardus Franciscanus, et Augustinus Marcus, refutationem illam adornarunt, sex septi-

ſeptimanis poſt exhibitam confeſſionem publicatam. Sed cujus exemplum Proteſtantes, niſi iniquis conditionibus, impetrare non potuerunt. Edita tamen poſtea eſt Latine, eamque in hiſtoria ſua exhibet Chytraeus.

§. LXXX. Quo in rerum ſtatu, cum nulla pacis ſpes adfulgeret, noctu clam diſceſſit Landgravius Haſſiae, uxoris inbecillitatem cauſatus, relicto tamen Secretario ſuo, qui res ſuas ſtrenue ageret. Quod indignabundus quidem accepit Caeſar, ſed, cum reliqui Principes Proteſtantium ſe manſuros eſſe promiſiſſent, paulo mitius cum iis inſtituit agere, adnuitque, ut, quod Electores Moguntinus et Brandenburgenſis, Henricus Dux Brunſvicenſis, et alii petierunt, de *concordiae* rationibus deliberaretur. Quae concordiae tractatio, a VII*mo* ad XVI. Auguſti licet inſtituta, cum nihil proficeret, Pontificiis nihil niſi Proteſtantium ſubjectionem admittentibus, tandem eo eſt deventum, ut colloquium inter Deputatos haberetur. Septem igitur ex utraque parte ſunt ſelecti, ex Catholicis duo Principes, Epiſcopus Auguſtanus et Henricus Brunſvicenſis, duo Jurisconſulti, Cancellarii Colonienſis, Bernardus Hagen, et Badenſis, Hieronymus Vehus, tres Theologi Wimpinus, Eccius, et Cochlaeus: ex Proteſtantibus Principes, Johannes Fredericus Saxo, Electoris filius, et Georgius Brandeburgicus, duo Jureconſulti, Pontanus Ex-cancellarius, commune illud os et organum, et Hellerus Brandeburgicus, Theologi Melanchton, Brentius, et Eberhardus Schnepfius. Videbatur quidem in hoc congreſſu, a die XVI*to* ad XXI. Auguſti habito, aliquid peractum ad primam ſpeciem, cum inter eos de quindecim confeſſionis Auguſtanae articulis aliquatenus convenerit, licet non per omnia, ſed de Miſſa, conjugio ſacerdotum, de utraque euchariſtiae ſpecie, de votis Monaſticis, et de Jurisdictione Epiſcoporum, non potuit. In articulo de fide ſola juſtificante paſſi ſunt Proteſtantes, ut, voce *ſola* rejecta, diceretur, remiſſionem peccatorum contingere *per gratiam gratum facientem et fidem formaliter, per verbum et ſa-*

 cra-

cramenta instrumentaliter: Pontificii vero concesserunt, remissionem illam non contingere, *neque propter praecedentia, neque sequentia opera, aut merita.* Reliqua mitto.

§. LXXXI. Hucusque cum processisset concordia, reliqua capita visum fuit per pauciores, et pacis prae aliis amantiores, esse tractanda, et utrinque electi sunt tres, ex Catholicis Cancellarii Coloniensis et Badensis cum Eccio, ex Protestantibus Pontanus et Hellerus cum Melanchtone: sed et, hoc colloquio ultimo die Augusti frustra finito, totum negotium ad Caesaris cognitionem iterum est devolutum. Ipse itaque, postquam Principes Protestantium minis et promissis frustra in partes Ecclesiae Catholicae trahere esset conatus, nec meliore successu Concilium, ea conditione, ut religionem Pontificiam interim revocarent, obtulisset, tandem in pleno Principum Senatu jussit, recitari decretum, quo, cum inter alia dicitur, doctrinam Protestantium fuisse autoritate S. Scripturae satis refutatam, Pontanus obtulit *apologiam confessionis*, a Melanchtone ejus refutationi oppositam; quantum ex praelectione ejus haurire poterant Protestantes, cum ejus exemplum ipsis fuerit negatum. Ceterum haec ipsa *apologia*, non eo stilo, quo tunc concepta est, sed alio, et a Melanchtone revisa prodiit a. 1531., et postea in libros symbolicos Lutheranorum est recepta per *formulam concordiae* a. 1580. Vid. Seckendorfius, qui excerpta ex ea recenset. Decreti Caesaris exemplum quoque nancisci non potuerunt Protestantes, sed iis tantum denunciatum est, Caesarem et Ordines decrevisse, negotium hoc quovis modo terminare. Quibus peractis, Protestantes, rem Deo committentes, seseque clementiae Caesaris commendantes, inde discesserunt, relictis consiliariis Legatis. Ceterum, declinarunt quoque decretum illud recipere Ulmenses, Francofurtenses, Hallenses, et ipsi Augustani, licet praesidio militum Caesareanorum premerentur, et graves audirent minas: quare sigillo suo decreta Comitialia, pro more urbis, in qua comitia habentur, firmare recusarunt; quod

itaque

itaque eorum loco Donawerdani fecerunt. Tandem promulgatum est edictum die XIX. Novembr., quo *omnes ex praescripto Romanae Ecclesiae vivere jubentur, usque ad Concilii tempus; qui secus faxint, in eos Caesarem pro officio esse animadversurum.*

§. LXXXII. Historia Comitiorum, quoad rem religionis, summatim tradita, nonnulla restant ad eam observanda. 1. Praeter Saxonicam, oblata est Caesari per Casparem Hedionem confessio quatuor civitatum, inde dicta Tetrapolitana, Constantiensis, Memmingensis, Argentinensis et Lindaviensis, quia Principes Protestantium permittere nolebant, ut Augustanae subscriberent, excepto articulo *decimo* de eucharistia, quod volebant. De qua confessione vid., praeter Hospinianum, Schelhorn. amoen. Litter. tom. VI. ubi etiam de Ecclesiae Memmingensis reformatione agit, quam fusius enarravit lingua Germanica, addito libello de ea. Fuit autem civitas ad Zuinglii et Helvetiorum normam reformata per Christophorum Schappelerum Sangallensem, etiam Sertorium dictum, qui ab a. 1513. Memminganum egerat concionatorem; et ab a. 1522. reformationi operam dedit strenuam, una cum sociis. Publice quidem non est praelecta confessio, attamen recitata est ejus confutatio ab Eccio et Fabro conscripta; contra quam ediderunt quatuor illae civitates suam *apologiam.* Cum autem in hac confessione adeo ambigue de praesentia Christi in eucharistia sermo fuerit factus a Capitone et Bucero, ut in Helveticam aeque ac Saxonicam sententiam trahi posset, Zuinglius ei recusavit subscribere, et propriam ad Caesarem misit confessionem, in qua haec duo praecipue reprehendit Eccius, quod Sacramenta gratiam nec conferant nec dispensent, quodque naturale corpus Christi ore non edatur. 2. Melanchton in toto hoc negotio sese nimis meticulose, seu circumspecte, passim censetur gessisse, ideo a Luthero et aliis subinde reprehensus. Imo ipsi fuit expresse vetitum, ne in articulo de Jurisdictione Episcopali ultra cederet. Circumfertur etiam

epistola Melanchtonis ad Campegium Cardinalem, quam Coelestinus l. cit. recenset, in qua scribit, inter alia, Protestantes in nullo dogmate dissentire a Catholico-Romanis, tantum de ritibus esse controversiam, nec talem, quae, paucis rebus, vel condonatis, vel dissimulatis, non possit tolli, esse etiam Protestantium, *reddere obedientiam* ac *jurisdictionem Episcopis*. Sed quae postea, scripta apologia, correxit. Singulare est, quod Eccius in aliquo colloquio Melanchtoni dixisse fertur, *tua Philippe! ἐπιείκεια*, et Pontani χρηστολογία, *plurimum adjuverunt causam vestram*. Sed 3. alium prorsus animum spirat libellus Lutheri, stantibus comitiis scriptus Coburgi, inscriptus, *admonitio ad Ecclesiastici Ordinis congregatos in Comitiis Augustanis*, omni animadversione dignus, quo causam reformationis defendit, et faciem Ecclesiae Pontificiae vivis depingit coloribus.

§. LXXXIII. 4. In confessione Augustana, quod probe advertendum, nec omnes Ecclesiae Pontificiae errores ac abusus recensentur, nec omnia Protestantium dogmata, sed quantum ad invidiam fidei Protestantium tollendam videbatur satis. Vid. Seckendorfius. Unde, et ex aliis rationibus, quas profert Scultetus, facile elucescit, nimium huic confessioni tribui, quum ei ita volunt adhaerendum, ut ne litteram in ea liceat mutare, sine dispendio veritatis euangelicae. Imo eo venerunt aliqui temeritatis, ut se malle dixerint de ipsius Pauli Apostoli doctrina, quam de Augustanae confessionis, dubitare. Adeo difficile est, se intra limites continere. Moderatius longe et prudentius est Hospiniani hist. Sacram. p. 159., de ejusmodi scriptis, sic dictis symbolicis, vel recipiendis vel rejiciendis, judicium, *nimia libertas, sic et nimia servitus et tyrannis, summopere cavenda est*. Denique 5. Carolus V. Caesar sese in toto hoc negotio valde moderatum et benignum praestitit, ut tempori se accommodaret, egitque prudentem politicum: cum e re Germaniae non esset, ejus statum turbare, aut Protestantes duriter tractare. Ante fores enim erat bellum Turcicum; male fida

malefida pax cum Gallo, exhausta bello rustico magna Germaniae pars, plebs fere desperabunda prope a nova seditione aberat. Sed et illud verum est, Caesarem, et Ferdinandum, fratrem ejus, mitiorem ab hoc tempore induisse animum, et de religione Protestantium in meliorem judicasse partem. Habuit praeterea confessio Augustana et illum effectum, ut haud diu post multi ex hostibus amici, et ex persecutoribus patroni, Protestantium facti sint: uti Hermannus, Coloniensis Archiepiscopus, Fredericus Comes, et paulo post Elector Palatinus, Joachimus II., postea Elector Brandenburgicus, Ericus, Dux Brunsvicensis, alii haud exiguo numero.

§. LXXXIV. Notabiles quoque progressus fecit reformatio, verbo recensendos. 1. *Lubecae* cives quidem anno superiore purioris euangelii adnunciationem, et exercitium, in Senatu frustra petierant, sed, cum alia conditione in novum tributum, a Senatu constitutum, consentire detractar hoc anno votorum compotes facti, doctores suos expulsos, Andream Gulielmi, et Johannem Walhof, receperunt; et insuper, Pontificiis oblatam disputationem recusantibus, obtinuerunt, ut solae in omnibus Templis euangelicae audirentur conciones. Deinde etiam ordo sacrorum, a Bugenhagio, eum in finem Wittenberga evocato, ordinatus et introductus est, schola quoque instituta, cujus primus Rector fuit Hermannus Buscoducensis. In quo proposito, non obstantibus severis edictis Caesaris, constanter perseverarunt. Vid. Chytraeus in Chron. Saxonico. 2. Quod idem contigit *Gottingae*, cujus cives, a duobus concionatoribus, Nicolao et Frederico, edocti et incitati, eandem libertatem a Senatu, volente nolente, inpetrarunt, et ordinem sacrorum ab Henrico Winkelio, Brunsviga accito, Justo Wintero, et Joh. Suthelio, vid. Heuman *poecil.* tom. III. et Hamelmum hist. Eccles. l. II., receperunt. 3. Eadem quoque sorte gavisa est *Lunaeburga*, quam hac luce primus illustravit Fredericus Henningus; ordinis vero Ecclesiae,

fundamenta primus posuit Stephanus Lempius, Hamburga arcessitus, consummavit dein Urbanus Rhegius, Augusta evocatus, et biennium ibi conmoratus. Vid. Chytraeus l. cit. 4. Denique variae urbes aliae receperunt reformationem ut *Lemgovia* in Westphalia, frustra renitente Comite Simone, *Smalcaldia* in comitatu Hennebergico, favente Wilhelmo Comite, *Suerinum*, Henrico Principe Megalopolitano patrocinante, inter cujus primos praecones fuit AEgidius Faber, autor libelli de *idolo fictitii sanguinis Christi*, denique *Rostochium*, urbs primaria ducatus Megalopolitani, cujus primus praeco fuit Joachimus Sluterus, Vid. Chytraei Oratio de *Rostochio.*

ANN. 1531.

§. LXXXV. Comitiis Augustanis finitis, in quibus causa Pontificia triumphaverat, et severum illud edictum contra Protestantes erat cusum, mutua certamina Pontificiorum et Protestantium facta sunt magis seria et acriora. Pontificii enim, ut ab iis ordiar, hoc tempore non tantum arctius junxerunt manus, ut Protestantes opprimerent, sed et 1. Ferdinandum, fratrem Caroli, elegerunt in spem inperii *Regem Romanorum*, renitentibus Protestantibus, quod acerrimum sese eorum demonstrabat adversarium, et provocantibus ad *auream bullam*, cui Regis Romanorum electio, ante Caesaris mortem, videbatur adversari. Adjunxit sese quidem ipsis hac in causa, Elector Bavariae, sed qui ipse coronam Inperialem ambiebat. 2. Protestantes quibusvis calumniis obruere, et omnium odio exponere conati sunt, uti, quod bona Ecclesiastica ad se rapiant, conjugii sanctitatem violent, promiscuos introducant concubitus, communionem velint bonorum, et nemini jus esse dicant aliis inperare, denique qualescunque haereses et sectas in gremio suo contineant et foveant, in specie sacramenti honorem evertant. Hae et quarum similes calumniae studiose quaquaversum, in

in primis per Galliam, ut Francisci animus ab iis abalienaretur, sparsae sunt. Accesserunt multiplices actiones fiscales contra eos institutae. Vid. Seckendorfius l. III.

§. LXXXVI. Nec partibus suis firmandis defuerunt Protestantes. Lutherus non tantum libellis editis decretum Augustanum refutavit, et Germanos ab ope, Caesari in opprimendis Protestantibus praestanda, est dehortatus: quorum libellorum unus titulum praefert, *monita ad edictum, post comitia Augustana publicatum*, alter, *commonitio ad Germanos suos dilectos*. Cujus utriusque libelli *defensionem* dein evulgavit, contra Anonymum Dresdensem: sed et Principes 1. communi nomine scriptam epistolam, seu apologiam, forma epistolae, miserunt ad Reges Galliae et Angliae, in qua cum narratio actorum in causa religionis instituitur exacta, tum calumniae depelluntur, tum liberum et Christianum concilium a Regibus petitur. 2. Foederis Smalcaldici jecerunt fundamenta. Sex mensibus ad edicto Augustano obedientiam praestandam ipsis concessis, coeperunt eum in finem mens. Decembr. anni praecedentis congregari *Smalcaldiae*, quae illo tempore Landgravio Hassiae, et Principi Hennebergico, qui quisque sua jura in ea habebant, dein soli Landgravio, subjecta erat. Quo in conventu licet in aliquam pactorum formam consenserint, quae sui religionisque suae defensionem continebat, plena tamen confoederatio nondum facta est, quia nonnulla quaesita dubia communi consensu non poterant decidi. Erant autem illa inter Protestantes haec duo, unum, num religio contra Caesarem, vim intentantem, defendi queat armis ex jure Divino? alterum, utrum in foedus illud defensivum contra Pontificios admittendi sint, qui de coena Domini diverse a Saxonibus sentiebant? Circa prius varie scissi sunt, dum alii Caesari non esse resistendum censuerint, alii jus resistendi adfirmaverint, nonnulli cum exceptione, si Caesar ipse esset absens. Rationes pro, ut dicitur, et contra qui velit, adeat Fredericum Hordlederum de *belli Germanici causis*, qui variorum scripta junctim edidit,

 vel

vel Scultetum in Annal., qui eas inde strictim recensuit. Lutherus, qui jus resistendi initio negavit, postea meliora a Jureconsultis edoctus, licitum esse adseruit, idque recte, sive ad jura Principum Inperii, et formam regiminis Germaniei, sive ad jus naturae adtendatur: sed de quo hic non est agendi locus. Posterius quaesitum magis inplicuit, infeliciter divisit, et debilitavit Protestantes. Cum Argentinensibus, et aliquot Sueviae civitatibus, res felicius successit, quia, Swinfurti a. 1532. conventu habito, confessioni Augustanae, et apologiae, subscripserunt, Capitone et Bucero praecipuis autoribus: quare in foedus admissi sunt. Argentinenses autem hac addita cautione subscripserunt, ut sua propria confessio domi suae, suisque pastoribus et populo, salva et integra maneret, ut observavit Hospinianus. Quam subscriptionem, tanquam confessioni ab ipsis in Comitiis oblatae contrariam, aegerrime tulerunt quam plurimi in superiore Germania, in primis Helvetii. Vid. Musculi litterae ad Bucerum apud Scultetum. Helvetiorum vero societatem, quam Landgravius, Argentinensis, et aliae nonnullae civitates, urgebant, salva utriusque partis fide, respuerunt alii, in primis Elector Saxoniae, et Lutherus, qui ejusmodi foedus cum dissentientibus, pro temporum illorum infelici praejudicio, adpellare ausus est *vanum*, *periculosum*, *suspicionis et offendiculi plenum*, imo *inpium*, propter haeresin sacramentariam. Quare illi tandem, ingente Protestantium dedecore et damno, exclusi sunt hoc foedere.

§. LXXXVII. Inita itaque sunt duo pacta *Smakaldica*, unum in fine anni praecedentis, alterum hoc anno Mens. Februar. In *priore* conventum inter alia fuit, ut religioni reformatae ab omni calumnia vindicandae inpenderetur opera, utque contra fisci Inperialis Procuratorem, ejusque vexationes, sibi mutuo essent consilio et auxilio. In *posteriore* mutua est decreta defensio contra adgressores religionis causa: cujus fundamentum in naturali defensionis jure tunc est positum. Sed decem annis post Johannes Fredericus Saxo, et

et Philippus Hassiae Landgravius, foederis supremi Duces, cum ob hoc foedus male audirent, *occasionem* foederis derivarunt a foedere Caesaris cum Pontificiis Principibus ad Protestantes subigendos, pacto in Comitiis Augustanis. Ceterum modus pecuniae et militum, non hoc tempore, sed sex annis post demum, definitus est, tantum nunc additum est, nemini cum hostibus licere pacem facere invitis et inlciis sociis, admittendos porro ad foedus esse, qui id cuperent, et euangelii doctrinam essent amplexi. Protestati quoque sunt, nec Caesari, nec Inperio, opponi hoc foedus, sed ad *conservandam veritatem Christianam, et pacem publicam, contra vim injustam, per modum defensionis, unice spectare.* Fuerunt autem paciscentes Johannes Elector Saxoniae, Philippus Hassiae Landgravius, Ernestus Dux Brunsvicensis, Wolfgangus Princeps Anhaltinus, Gebhardus et Albertus Comites Mansfeldenses, Civitates denique Argentoratum, Ulma, Constantia, Reutlinga, Memminga, Lindavia, Biberacum, Isna, Lubeca, Magdeburgum et Brema. Aliae vero civitates, ut Norimberga, Heilbrunna, Campodunum, Windshemium, et Weissenburgum, cum Marchione Brandenburgico consenserunt tantum in Fisci, seu Camerae judicii, recusationem. Illud addi meretur, in hoc conventu fuisse Helvetiorum responsum prolatum, quo, se Augustanae confessionis articulos non quidem inprobare declararunt, sed, *praeter verbum Dei libere profitendum, nulli formulae adligari velle.* Vid. Seckendorfius.

§. LXXXVIII. Deinde conventu rursus habito Francofurti Mense Junio, 1. descissa penitus est societas cum Helvetiis 2. conclusum est, ut communi Protestantium nomine Spirae responderetur actionibus Procuratoris Fiscalis. 3. Consilium Smalcaldiae sumtum, de ceremoniarum uniformitate instituenda, prudenter mutatum est, etiam de rigore contra Anabaptistas, capitali poena adficiendos, remissum, et pro re nata, et modo delicti, eos esse puniendos, statutum est 4. Barnimus, Dux Pomeraniae, mortuo fratre

Georgio, partes Reformatorum apertius amplexus, obtulit quoque societatem. Georgius, Marchio Brandenburgicus, licet foederi non accesserit, se unionem haereditariam inter suam, Saxonicam, et Hassicam familiam servaturum, testatus est. Interea Caesar, ad animum referens, quod male apud Belgas audiret, quia tot Principes a se abalienaverat, et Hungariam Turcarum violentiis exposuerat, ad mitiora inclinare coepit consilia, pacis sequestros se offerentibus Moguntino et Palatino Electoribus, quando, processu Camerae cessante, de pace quidem coeperunt agere Caesar et Protestantes; sed hi, tractatibus minus fidentes, solicita de sua securitate non cessarunt agere consilia. Quo fini convenerunt iterum Francofurti mense Decembr., et sumtuum proportionem ad bellum definierunt, simul Duces foederis elegerunt Johannem Fredericum, Electoris Saxoniae filium, et Philippum, Hassiae Landgravium. Accessit quoque hoc commodi, quod inter Electorem et Ducem Saxoniae pax et concordia, omnibus laetantibus, fuerit inita.

§. LXXXIX. Praeter memorata, ad certamen cum Pontificiis spectantia, nonnulla alia, respectu causae Sacramentariae, et progressus reformationis, nostram merentur attentionem. Licet in quaestione Sacramentaria sopienda aliquid fuerit tentatum, urgente id inprimis Landgravio et Bucero, nihil non tantum est effectum, sed schisma magis confirmatum, et animi a se invicem facti sunt alieniores. Helvetii haud parum exacerbati sunt, quod inter conditiones induciarum, a Caesare inpetrandarum, fuerit Saxonum ab illis, eorumque sociis, separatio, quodque foedere Smalcaldico fuerint exclusi, Argentinenses etiam, et reliquae tres Civitates, quae separatam dederant in Comitiis Augustanis confessionem, subscripserint Saxonicae. Lutherus quoque per Bucerum flecti in mitiorem partem non potuit, nisi praesentia Christi in signis corporalibus agnosceretur; quaestionem vero, num inpii sumerent ipsum Domini corpus? suspensam hoc tempore voluit, licet non censuerit absurdum, corpus Christi, in signis praesens, ore inpiorum tangi. §. XC.

§. XC. Praeterquam quod *Lubecenses*, ut ad reformationis progressum veniam, non obstante duplice edicto Caesareo, et Senatorum quorundam secessu ex urbe, perstiterint in opere reformationis constanter; pleniorem reformationem duae celebriores urbes, Ulma, et Augusta Vindelicorum, admiserunt. De *Ulmensi* legendus est Scultetus qui ex publico Senatus scripto, ac concione Jubilaea Conr. Dieterici, eam exacte refert. Cum purior doctrina jam ab a. 1523. ibi esset adnunciata, et Senatus, contradictorias Pontificiorum ac Reformatorum conciones non amplius ferendas, censuisset, consultis civibus, et decreto Augustano susque deque habito, evocavit, ad plenam roformationem instituendam, Oecolampadium, M. Bucerum, Ambrosium Blaurerum, et Zimbertum Memmingensium, ac Bartholomaeum, Biberacensium Ecclesiastas, qui octodecim fidei articulos, publice disputandos, proposuerunt Pontificiis; unde secuta mox est reformatio, et peracta. Notatu dignum est, hosce reformatores a quaestione sacramentaria prudenter abstinuisse, et articulum de S. coena hoc modo concinnasse, *coenam Domini celebrari in memoriam et adnunciationem mortis Christi, et in pastum animae ad vitam aeternam. Transsubstantiationem esse inpium commentum.*

§. XCI. Doctores, qui ab a. 1523. *Augustae* jam docuerant purius euangelium, Michael Cellarius, Urbanus Rhegius, et Stephanus Agricola, posteaquam, durantibus Comitiis, vel exiissent, vel se, jussu Senatus, tenuissent quietos, mox, iis finitis, et metu Caesaris praesentis sublato, ad opus reformationis agendum redierunt. Quibus operam cum maxime tulit, vir eximius, Wolfgangus Musculus, Dusa Lotharingus, lectione librorum Lutheri illustratus, et Argentina, ubi studia excoluit, delatus Augustam. Accesserunt etiam Stephanus Meierus, et Theobaldus Niger, Argentorato acciti, nec non ex Franconia Bonifacius Wolfhart, seu Lycosthenes, vir pius et pacificus. Cum vero Doctores circa S. coenam secum dissentirent, et Ecclesia, defec-

ta tolerantiae, tunc adhuc ignotae, propterea scinderetur, factum est adventu Oecolampadii et Blaureri, ut colloquium fuerit inter Doctores, dissidii componendi causa, habitum: in quo cum Lutherani deprehensi fuerint inferiores, urbe excesserunt Urbanus Rhegius, et Johannes Rana: exstant vero Rhegii tres epistolae in Bibl. Brem. class. VI., ex quibus quaedam, ad ejus indolem et vitam pertinentia, peti possunt.

ANN. 1532.

§. XCII. Omnium celeberrimus est hic annus ob libertatem religionis concessam Protestantibus publice, primum Swinfurti, dein Norimbergae, mediantibus duobus Electoribus, Moguntino et Palatino, et statu Germaniae, cui Turca inminebat, flagitante ac exigente. Protestantes enim in subsidia, nisi hac sub conditione, consentire noluerunt; Reges quoque Galliae et Angliae, cum Electore Bavariae, Protestantibus, in libertate Germaniae, per electionem Regis Romanorum, ut supra narravi, turbatae ac violatae, tuenda, opem promiserant. Caesaris itaque et Comitiorum consensu pactum est, ut edicta Wormatiense et Constantiense tenerentur in suspenso, Protestantes, secundum confessionem et Apologiam Augustanam, nec ultra, libero fruerentur religionis exercitio, nemo propter religionem vexaretur, nemo inpediretur, donec tota haec causa in Concilio fuerit definita, aut, si hoc non procederet, universi Status Imperii iterum conscribantur. Haec pax, ut illud hac occasione anticipem, dein a. 1534., et Cadami a Rege Romanorum et Francofurti ab Oratoribus, Commissariis et Intercessoribus Caesareis, repetita est et confirmata; dein, omnium Imperii Ordinum consensu, in Comitiis Ratisbonensibus a. 1541. sancita, ut et Spirae a. 1542. prorogata, iterumque firmata, nova Caesaris, Regisque fide a. 1544. et approbata Wormatiae a. 1545. adeoque conservata et propagata

gata usque ad bellum Germanicum Caroli V. Ceterum exclusi sunt hac pace Zuingliani et Anabaptistae, et, se illis patrocinaturos esse, negare debuerunt Principes Germaniae. Addita quoque est restrictio de non juvandis illis, qui postea euangelium purius reciperent. Quae potissimum in causa fuit, quare Hassiae Landgravius aliquandiu in hanc pacem consentire cunctatus fuerit, nataque sint inter Principes et Theologos Protestantes dissidia, donec Landgravius, lite composita, sed inprobata restrictione, pacem ratihabuerit. Sed nec diu duravit restrictio, cum plurimi, ipsius Electoris consensu, in societatem sint recepti, et experientia docuerit, pacem Caesaris fuisse male fidam; quod jam nunc perspexit et metuit Landgravius, ideo ab ea alienior. Displicuit quoque haec pax vehementer Papae Clementi, et zelotis Pontificiorum, ipsi etiam Ferdinando, qui, si Pallavicino credendum, consilia Caroli, fratris sui, pacifica aperuit Papae, tantumque Papismi expectoravit studium, ut, vel morte sua eam propugnare velle, dixerit.

§. XCIII. Nonnulla licet adversa subierit reformatio, inter quae fuit Johannis, Electoris Saxoniae, mors, quae eum, mens. Aug., annos 63. natum abstulit, in fide euangelica, secus ac Papistae temere evulgarunt, ad finem vitae constantem; passi quoque fuerint persecutionem Paderbornenses, primum ab Erico Episcopo, dein ab Hermanno Coloniensi Episcopo, in ejus locum suffecto, ut et Badenses, eorum ministris a Marchione Philippo, antea patrono, nunc adversario Protestantium, expulsis: haud spernendos tamen progressus fecit, maxime in Principatu *Anhaldino*, cui tunc Wolfgangus, ejusque Patrueles, Johannes, Georgius et Joachimus, fratres praeerant. Wolfgangus jam antea reformationi operam dederat, etiam confessioni Augustanae subscripserat, sed hoc anno eam magis perfecerunt fratres, quorum Georgius et eo nomen suum celebravit, quod primus, et unus, ex Principum numero fuerit, qui subditos suos viva voce et scriptis erudivit. Ejus autem hortatu

fratres Wittenberga evocarunt Dessaviam virum pium et moderatum Nicolaum Hausmannum, a Luthero et Melanchtone tantopere laudatum; ut supra notavi. In Westphalia *Osnabrugenses*, permissu Episcopi, Francisci Comitis Waldeccii, acceperunt concionatorem Hermannum Bonnum, cui vicinae Anabaptistarum turbae multum obfuerunt. *Bremae*, ubi purius euangelium per duo lustra jam publice sonuerat, plena introducta est reformatio, missatico cultu prorsus abolito, et Cathedrali Ecclesia Reformatis concessa a plebe, invito in principio Senatu. Vid. Chytraeus in Chron. Bremensi. Denique *Herfordiae* quoque jam dissidia religiosa se manifestarunt, et Abbatissa, Anna Limburgia, favit reformationi, ut ex Lutheri ad eam epistola observat Seckendorf. *Monasterii* primum in suburbio, mox in urbe, doctrinam euangelicam docuit Bernardus Rottman; ut refert Scultetus. Quibus addatur, Joachimum, Marchionem Brandenburgensem, Juniorem, patre in Papismo persistente, ad Lutheri doctrinam inclinasse, ut Seckendorf. docet.

ANN. 1533.

§. XCIV. Actum est mox in principio de conditionibus habendi Concilii inter Legatos Papae ac Caesaris, et Principes Protestantes foederatos; sed sine effectu, cum concilium vellent Pontificii, in quo Papa praesideret et dominaretur, secundum canones receptos pronunciaretur, quodque vi armata esset contra inobedientes executioni mandandum. Protestantes e contra urserunt concilium liberum et Christianum, in quo verbum Dei pro norma habeatur, nec Papa cum suis teneat primas, utpote simul pars adversa et judex futurus, verum per pios, et non suspectos, mediatores, secundum verbum Dei decerneretur, denique non in Italia, sed Germania. Vid., praeter Sleidanum l. VIII. Seckendorf, qui totam hanc historiam prolixe persequitur, simul observat, Clementi Papae unice fuisse in animo, moras

moras injicere concilio. Interea, dum aliqualis inter Caesarem et Protestantes pax duraret, licet processus Camerales non prorsus cessarint, de quo conquesti sunt Principes, spes quoque concilii non decolasset penitus: Erasmus, id opportunum ratus, cogitata sua de dissentientium unione liberius evulgavit in enarratione Ps. LXXXIV., quem Erasmi libellum Theologi Argentinenses, Germanice versum, ubique disseminarunt; indignante Musculo, ut ex epistola ejus apud Scultetum patet. Prodit vero Erasmus in eo animum haud multum a Protestantium fide, et religione, alienum; errores tantum et abusus Pontificiorum mire incrustat. Displicuit vero etiam Luthero, ut verba ejus a Seckendorfio citata evincunt: quae excerpta sunt ex praefatione Lutheri ad *dissertationem* Antonii Corvini, Theologi Hassiaci, qua disquiritur, quatenus consilium Erasmi sequi liceat, dum adparetur Synodus. Denique passi sunt Protestantes aliquam persecutionem in ditionibus Georgii, Ducis Saxoniae, qui eos mulctavit exilio, qui communionem sub una specie recusabant, uti factum est Lipsiae.

§. XCV. Revixit quoque hoc anno quaestio sacramentaria. Lutherus, audito aliquos esse Francofurti ad Moenum, qui, Zuinglianae sectae addicti, jactabant, se eadem cum Luthero docere, vehementem scripsit ad Senatum Francofurtensem epistolam, qua concionatores illos, et Zuinglianos, non tantum acerbe perstringit, eos archidiabolos vocans, sed et expellendos esse dicit: ad quas litteras animose quoque decem Ecclesiastae Francofurt. responderunt. Qualem similem epistolam a. 1531. exaraverat ad Marchionem Brandeburgensem, eo tendentem, ut omnes Zuinglianos ditionibus suis expelleret. Publicavit praeterea librum de *Missa privata*, eo etiam nomine notabilem, quod colloquium suum cum Diabolo in eo describat, seseque fateatur de multis in Missa abusibus ab eo fuisse admonitum; imo scribere non erubuit, Oecolampadium, ignitis Satanae telis et hastis confossum, subitanea periisse morte. Quae omnia

Tigurini tulerunt aegerrime, et apologiam conscripserunt; sed a qua publicanda, pacis causa, abstinuerunt, a Bucero inducti, qui, cum Bartholomaeo Fontio Veneto, ita dicto, quod Venetis purius euangelium adnunciasset, Tigurum venerat, seque nec sententiam mutasse, nec Lutherum re, tantum verbis, dissentire arguit, omniaque ad pacem frustra contulit efficiendam. Musculus quoque Bucerum ab hoc suo studio dehortatus est, cum vehemens Lutheri adfectus nullo modo emolliri possit. Quae Musculi litterae apud Scultetum, ad ferocem Lutheri animum intelligendum, legi merentur.

§. XCVI. Paci Norinbergensi acceptum ferendum est, quod multis in locis vox purioris Euangelii fuerit liberius audita, et reformatio praevaluerit. Georgius, Princeps Anhaltinus, a Cochlaeo litteris admonitus, ne aures praebeat reformatoribus, quas recenset Scultetus, cordate respondit, *se a sincera in Christum fide, Catholicaque Ecclesia, nolle deficere.* Perstitit quoque in eo constanter. Primordia quaedam reformationis instituit in *Juliacensi*, *Clivensi*, *et Bergensi* Ducatibus Dux Cliviae Johannes, socer Electoris Saxoniae, publicato edicto de eo, quod in fide et regimine doceri et obtineri voluit; mediam inter Papatum et reformationem tenens viam, quae Semi-Lutheranismum, et animum Erasmianum spirat, quare Erasmus illud edictum publice laudavit; cujus capita recenset Seckendorfius. Sed obsequium detrectarunt Lippienses, et Susatenses, qui Saxonicam volebant reformationem, quibus Elector patrocinatus est. Successu temporis et *Susatenses*, aliique plurimi in provinciis illis, cis et ultra Rhenum, liberam fidei professionem adepti sunt, sed Clero Romano sua sacra manserunt et bona. Quo in statu, mutatis licet Dominis, res ibi perseverarunt.

ANN.

ANN. 1534.

§. XCVII. Erupit quidem Anabaptistarum furor anno praecedente, quo a plebe sunt Monasterii in Westphalia admissi, et librum, titulo *restitutionis*, in lucem dederunt, perniciosissimarum opinionum et thesium plenissimum, quas Lambertus Hortensius in hist. de *Anabaptistis* recenset: inter quas sunt, regnum Christi gloriosum jam in Anabaptistis adparere, se solos habere jus gladii, omnes Magistratus, quippe injustos et inpios, esse vi et ferro delendos, omnes suae societatis esse Sanctos, et omnia bona in commune deferenda, licitam esse polygamiam, nec corpus Christi ex carne Mariae esse, etc. Sed hoc anno fanaticorum Monasteriensium furor summum adtigit gradum. Quam historiam, praeter alios, summatim non male enarrat Bullingerus contra Anabaptistas lib. II. Cum Rothmannus, cujus supra a. 1532. memini, ejusque Collega Hermannus Stapreda, purioris doctrinae antea praecones Monasterii, paedobaptismum publice oppugnarint, dissentientes ejecerint, furiosam plebem in urbem vocarint, ad eum adcreverunt numerum Anabaptistae, eoque proruperunt audaciae, ut, reliquis vel expulsis, vel subjectis, sibi adripuerint urbis dominium. Quando eam munierunt, novo *Hierosolymae* nomine ei indito. Senatu primum inmutato, sceleratissimis quibusvis in eum translatis, mox etiam abolito, duodecim Judices, *seniores in Israele* dictos, substituerunt, summa rerum potestate ipsis commissa. Deinde, Monarchali regiminis forma introducta, Regem se ipse constituit Johannes Bockelius Leidanus, sibique vicarium adjunxit Knipperum Dollingum. Qui omnium opum dominium mox sibi vindicarunt, et Polygamiam invexerunt. Rex vero omnia sumsit regia insignia, coronam, sceptrum, calcaria, annulos, et torques, titulo etiam in litteris sumto *Regis in novo Templo Dei*, *et ministri justitiae*, et sigillo, quod praeferebat *orbem*, *cui tres pugiones erant infixi*, qui pro capulo crucem habebant. Auream quoque,

que, et argenteam cudit monetam, in cujus uno latere erant duo gladii, decussatim in se invicem incidentes, cum inscriptione, *in regno Dei unus rex directus, ubique unus Deus, una fides, unum baptisma*, in altero vero latere verba Joh. III., *nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu* etc., nec non, *verbum caro factus est, et habitavit in nobis*. Denique in varias orbis partes emisit, sectae dilatandae ergo, apostolos, sed qui misere perierunt. De sex concionatoribus, Osnabrugae captis, et occisis, legendus est Scultetus.

§. XCVIII. Quo in rerum statu cum Monasterium esset, urbs a Francisco Episcopo, Inperii copiis, et opibus, adjuto, est obsidione cincta, et ad extremas redacta angustias, desperabundam inopiam, ita ut, omnibus absumtis, canes, feles, glires, ranas, mures, et similia, comederint, nec a liberis ipsis abstinuerint parentes. Tandem, post diuturnam obsidionem, urbs sequente anno per transfugam, qui quingentos milites, Duce Wilkino Scedingio, per fossam, et portulam minorem, in urbem introduxit, expugnata, et horribili caede repleta est, omnibus sine discrimine, praeter mulieres et pueros, occisis. Factionis Duces, Knipperdollingius et Johannes Leidanus cum Krechtingo, pastore quondam Gylthusano, capti sunt vivi, et in medio foro, candentibus primum forcipibus dilaneati, dein ferreis caveis inclusi, et suspensi sunt. Quibus peractis, Princeps non tantum sectae reliquias in sua dioecesi ferro et armis persecutus est, donec exstinxerit, sed et alii Principes ubique id fecerunt, imo in Anabaptistas sine discrimine saevierunt, excepto Landgravio Hassiae, qui moderationi litavit, et non nisi in furiosos, qui Magistratuum officia inprobabant, et seditiones concitabant, animadvertit, recte contendens, se, bona cum conscientia, nemini mortis poenam infligere posse ob errorem in fide, quippe quae Dei quoque donum sit, addito etiam prudenter, quod experientia comprobavit, se metuere exemplum rigoris in Euangelicos redundaturi.

§. XCIX. Furor Anabaptisticus, reformationi inputatus; sicut

sicut ejus progressui valde nocuit, ita Pontificiis ansam praebuit diffamandi et persequendi reformatos; quicquid Lutherus, et alii eam labem a se detergere adlaboraverint, variis editis scriptis. Experti quoque in Germania sunt persecutionem Osnabrugae, unde concionatores, propter motus Anabaptisticos, una cum Anabaptistis ipsis, ejecti sunt. Obfuerunt praeterea reformationi infaustae disputationes Sacramentariae, hoc anno continuatae. 1. Zuingliani, ut invidia ipsis crearetur, confusi sunt cum Anabaptistis, quippe Sacramenta vilipendentibus. Utique contra Anabaptistas et Sacramentarios seditiosos promulgata sunt, teste Chytraeo in Chron. Saxonico, edicta. Scripsit quoque Ferdinandus, Rex Romanorum, ad Electorem Saxoniae, ut eum excitaret ad sectam hanc sacramentariam exscindendam, provocans quoque ad transactionem Cadomi initam, qua cautum fuit, ne Sacramentarii in ditionibus Inperii ferantur, sed Elector noluit vim contra eos adhiberi. 2. Basileenses, cum traducerentur, acsi coenam haberent sine Christo, confessionem ediderunt prorsus Zuinglianam, praeterea, ut suum cum Tigurinis declararent consensum, inde evocarunt Carolostadium ad munus Professoris apud se. Denique Theologi Basileenses, Scaphusiani, Sangallenses, et octo Suevicarum Ecclesiarum primarii ministri, Constantiae in unum coacti, Tigurinorum sententiam solenniter adprobarunt. Vid. Scultetus. 3. Ab altera parte, Lutherus cum in libro de *missa* visus fuerit sententiam, in decimo confessionis articulo expressam, mutasse, crassam admodum publicavit confessionem, vix verbis a Papistica diversam, qua dixit, *sub specie* panis adesse verum Corpus Christi, pro nobis crucifixum, et ab inpiis etiam accipi. Amsdorfius quoque concordiam negavit iniri posse cum Argentinensibus et Zuinglianis, nisi errorem suum deponerent. Denique 4. Bucerus nihil non agere perrexit ad concordiam efficiendam. Quo, inter alia, ejus colloquium spectat cum Melanchtone in Hassia, epistola ad Monasterienses, et ad Robertum Episcopum Abricensem,

denique Blaureri confessio in Ducatu Wurtenburgico, a Bucero profecta, et defensa, quae valde erat ambigua, de quo mox.

§. C. Inter ea, quae reformationem hoc anno adjuvarunt, locum meretur restitutio Ulrici in Ducatu Wurtembergico, indeque ortum, vel eam secutum, pactum Cadonense in Bohemia, inter Ferdinandum Regem, et Electorem Saxoniae, cum sociis, quo Ferdinandus pro Rege Romanorum est agnitus, pacificatio Norimbergensis strictim obfervanda, processus Cameralis inhibitio, et alia stipulata sunt, Ulrici quoque restitutio adprobata est, absque ut reformatio fuerit interdicta, tantum duabus conditionibus restricta, una, ut Zuinglianismus caveretur, altera, ne monasteria, Ulrici jurisdictioni non subjecta, turbarentur. In quo pacto praestando adcurati quidem fuerunt Protestantes, sed minus Pontificii, cum processus Cameralis non cessaverit. Crevit itaque ab eo tempore reformatio per tres eximios Germaniae Ducatus, *Wurtenbergicum*, *Pomeranicum*, et *Brunsvicensem*. De quo paucis est dicendum. Ulricus, post mortem Maximiliani Inperatoris, a. 1519. Ducatu suo per vim a Sueviae confoederatis ejectus, confugit ad Philippum Hassiae Landgravium, consanguineum suum; ubi cum ex Lutheri scriptis, Hassiacis concionibus, praecipue Hartmanni et Cronbergi colloquiis, puriorem doctrinam alte inbibisset; dein, post quindecim annorum exilium, armis Philippi Landgravii in Ducatum suum restitutus, manum mox admovit reformationi, opera, praeter alios, in primis usus Erhardi Schnepfii, et Blaureri, a Constantiensibus missi; inter quos Ducatus moderatio est divisa, Stutgardia inferiore, et nobiliore ejus parte, Schnepfio, et Blaurero Tubinga superiore ac Alpibus Suevicis vicina, commissa. Successit autem reformatio feliciter, et Academia Tubingensis insigniter est instaurata, et dotata, unde apti ministri brevi sunt exorti, et per Ducatum missi. Cum autem duo illi moderatores, licet imagines ejecerint Templis, ut observavit Scultetus, circa eucharistiam dissentirent,

tirent, Blaurero adhaerente Helvetiis, indeque lites viderentur oriturae, Blaurerus, ad eas, quod urgebat Dux, sopiendas, se idem, quoad rem ipsam, cum Schnepfio sentire, syngrapho testatus est, quo declaravit, corpus Christi esse *substantive et essentialiter, non autem quantitative, vel qualitative, vel localiter, in S. coena.* Quam confessionem defendit Bucerus. Sed Blaurerus postea, salvo honore, dimissus, et Constantiam remissus, et Schnepfius totius Ducatus Episcopus generalis, et primus in sacris consiliarius, constitutus est. Dux enim reformationem volebat secundum formam Saxonicam, et feliciter perfecit, maxime, posteaquam ad foedus Smalcaldicum esset admissus. Ultimam vero manum imposuit ejus filius Christophorus, qui, quod omissum, at utilissimum, erat, Scholas erexit in monasteriis, ex quorum reditibus egregie prospexit Ecclesiis, Academiae, et Scholis.

§. CI. In Ducatu *Pomeraniae* publice quoque stabilita est reformatio per Duces Barnimum, et fratris ejus filium Philippum, opera Bugenhagii, ad normam Augustanae confessionis, secundum decretum Comitiorum Treptoviae. Vid., praeter Chytraeum, Daniel Cramerus, in historia reformationis Pomeraniae. Quod idem peregit Philippus *Brunsvicensis*, Dominus Calenbergensis ducatus, ope Nicolai Ambsdorfii, Magdeburgo arcessiti, Ephoro Ecclesiarum constituto Gotscalco Crappio. Denique *Hannoverani* reformationem publice introduxerunt, invito Principe Erico, opera Rudolphi Mylii, Theologi Herfordiensis, qui fidei semina ibi sparserat primus. Postea vero, cum Erico reconciliati, evocarunt ex aula Cellensi Urbanum Rhegium, qui formam instituit Ecclesiasticam.

ANN. 1535.

§. CII. Praeterquam quod de Concilio, nullis additis conditionibus, hoc anno fuerit inter Papam et Principes Reformatos actum per Nuncium Papae Petrum Paulum Vergeri-

 um,

um, quae mitto: illud primo accidit memorabile, quod, cum nova metuerentur pericula, conventus denuo fuerit inter Principes et Civitates Proteſtantium habitus *Smalcaldiae*, in quo ſuperioris foederis continuatio non tantum ſtabilita eſt, ſed et decretum, ad ejus ſocietatem eſſe admittendos, qui illud nunc, aut poſtea, petierint, *quotquot Deum, ejusque euangelium pure, palam, ac libere profiterentur, pacem amarent, et, ut viros honeſtos proboſque decet, viverent*, praeterea exercitum eſſe conſcribendum, iiſque praeſtanda auxilia, qui ſententiarum Cameralium paterentur exſecutiones. Praeter eos vero, qui anno 1531. in hoc foedus admiſſi ſunt, in illud tranſierunt, ex Principibus Ulricus Wurtenbergicus, Barnimus et Philippus Pomerani, Johannes Georgius et Joachimus Anhaltini, e civitatibus vero Auguſta, Francofurtum, Hannovera, Gottinga, Eſlinga, Brunſviga, Goſlaria, Eimbecca, Hamburgum, et Minda. Datum quoque a Foederatis eſt reſponſum Nuncio Papae reſpectu Concilii, quo declararunt, ſe locum velle in Germania, nec Papam, aut ei obnoxios, ferre judices, ſed liberum petere concilium, et ſecundum normam Verbi Dei. Ceterum, ad hunc conventum Legati Regum Galliae et Angliae venerunt, qui praeclaris promiſſis, etiam de aliquali reformatione inſtituenda, Principes pellicere conati ſunt in ſocietatem, eo ſcopo, ut bellum cum Caeſare, quod in procinctu erat, eorum ope gererent. Quod Principes praevidentes, ſimul religionis praetextum perſpicientes, prudenter declinarunt. Vid. Seckendorfius, qui Sleidanum egregie defendit et ſupplet.

§. CIII. Facta quoque hoc anno eſt reformatio *Alſatiae*, quae Wurtenbergicae erat ditionis, et a Georgio, Ulrici fratre, tenebatur. Inſtituit autem Georgius ad Helveticam formam, Helveticae confeſſioni mordicus addictus, quamque conſtanter in Ducatu ſuo tuitus eſt, inprobato quoque Buceri conatu ad concordiam. Uſus autem eſt primum opera Eraſmi Fabricii, per tres annos et dimidium, dein Matthaei Erbii. Sed celebrem etiam hunc annum fecit Con-

cordia

cordia *Bucero-Lutherana*, cujus jacta erant fundamenta in colloquio superioris anni Marpurgensi, inter Melanchtonem et Bucerum, hoc anno perfecta. Cum enim Melanchton, moderatior per colloquium factus, testibus ejus litteris, ex Hassia redux, retulisset, in quam formam Bucerus, et alii, mentem explicuissent, ita ut verum et substantiale corpus Christi in S. coena agnoverint, Lutherus, ab Electore sententiam dicere jussus, in confessione illa quidem acquievit, sed tempus aliquod, ad fidei ipsorum sinceritatem explorandam, requiri censuit, antequam opus concordiae perficiatur. Verum Augustani, ad concordiam festinantes, ut in foedus Smalcaldicum quantocyus admittantur, Bucerum Argentorato exciverunt, ejusque suasu miserunt, ex Concionatoribus suis, Casparum Huberinum, una cum medico Gereone Sailero, instructum litteris Senatus et ministerii, Wittenbergam ad Lutherum, consensum suum cum eo professi, et Urbanum Rhegium, qui, ut supra retuli, hinc discedere debuerat, repetentes, ad reliquos concionatores regendos. Quae laetus excepit Lutherus, et, consensu suo declarato, promisit, se omnia ad concordiam firmandam effecturum. Loco vero Rhegii, qui stationem suam Luneburgicam deserere non poterat, ablegatus est Wittebergam Johannes Forsterus, civis Augustanus, Capitonis et Mosellani discipulus, et Wittebergae edoctus Theologiam, Lutheri quoque familiaris, cui etiam in Bibliorum versione multum profuit. Postea tamen, rixa inter Forsterum et Michaelem Cellarium de quaestione Sacramentaria exorta, ille est dimissus a. 1538. Quod concordiae negotium anno sequente magis promotum est per Wittenbergensem; cujus historiam mox tradam.

ANN. 1536.

§. CIV. *Concordiam Wittebergensem*, cujus memini, et notitia petenda est partim ex Hospiniano hist. Sacrament. p. II. qui eam, re altius repetita, prolixe narrat, partim

ex Friderico Myconio, Superintendente Gothano, qui interfuit, promoverunt Landgravius Hassiae et Elector Saxoniae, conventu primo Isennaci, dein Grimmae, Misniae ad amnem Muldam, indicto, sed, Lutheri causa, habita Wittenbergae. Venerunt primi ad Myconium Gotham Capito et Bucerus Argentoratensium, et Wolfhardus, seu Lycosthenes, Augustanorum, Ecclesiastae, et, a Myconio sententia Lutheri rectius explicita, in eam descenderunt. Dein accesserunt reliqui, Martinus Frechtus Ulmensium, Jacobus Otterus Eslingensium, Wolfgangus Musculus Augustanorum, Gervasius Scholasticus Memmingensium, Johannes Bernardi Francofurtensium, Martinus Germannus Furfeldensium, et Martinus Alberus ac Johannes Schradenus Reutlingensium, Ecclesiastae. Quibuscum Wittenbergam profecti Myconius Gothanus, et Justus Menius Isennacensium Superintendens, sententiam Lutheri iis in itinere persuaserunt. Ex quo factum, ut facili processerit negotio concordia, post unum alterumve colloquium cum Luthero, cui, praeter Myconium et Menium, aderant Melanchton, Pomeranus, Jonas Cruciger et Wellerus. Voluit quidem initio Lutherus, ut palinodiam canerent, et se prave docuisse confiterentur, Bucerus et socii, quod cum detrectarent, dicentes, se nunquam docuisse nuda esse signa, quod de ipsis opinatus erat Lutherus, sed una cum iis corpus et sanguinem Christi, seu verum Christum, Lutherus illud exigere destitit. Myconii quidem epistola recantationem memorat factam, sed erronee; ut docuit Hospinianus. Confessi autem sunt, panem esse verum Christi corpus, et vinum vere ejus sanguinem, vereque offerri per Christi ministrum, modo institutio et verba ejus non corrumpantur. Sumi itaque corpus illud naturale et substantiale, ut et sanguinem, non tantum corde, sed et ore, aeque ab indignis ac dignis, licet diverso fructu, illis ad judicium, his ad salutem. In quam formam, quam exhibet etiam Ruchat Reform. Helvetiae lib. XIII., conclusum, et formula conventionis ex suggestu est prae-

lecta,

lecta, qua, negata Transsubstantiatione, simul locali inclusione in pane, aut durabili conjunctione, extra usum Sacramenti, adseritur, *cum pane et vino vere et substantialiter adesse, exhiberi, et sumi, corpus et sanguinem Christi* etc. Ex qua formula colligi non posse, verum Christi corpus realiter in pane existere, contineri, et corporaliter ore manducari, disputat Hospinianus. Quibus peractis, civitates, quarum Pastores aderant, et subscripserant, in doctrina Lutheri quidem perseverarunt, sed aliqui ex Theologis, ut Musculus, veterem fidem retinuerunt. Tentata etiam est per Bucerum cum Helvetiis concordia, sed irrito successu: formulae enim, utpote obscurae et ambiguae, recusarunt subscribere, licet ad Lutherum uberiorem confessionis suae explicationem, quae apud Hospinianum exstat, miserint, et Bucerianam expositionem formulae concordiae Wittebergensis adprobaverint; a qua tamen postea sese alieniores demonstrarunt, a. 1538. Convenit praeterea etiam inter eos de *paedobaptismo*, cum utrinque infantum baptismus sit adsumtus, non pro nudo signo, sed lavacro regenerationis; tantum de *fide* infantum dubitatum est, quam Bucerus et alii agnoscere non potuerunt, licet veram regenerationem et adoptionem iis conferre pro captu ipsorum non negaverint. Regessit tantum Lutherus se hoc solum velle, esse in baptismo *initium fidei, et operationis divinae, in infantibus suo modo, quem ignoramus, et illum modum a se adpellari fidem.*

ANN. 1537.

§. CV. Actum est hoc anno de concilio, quod Papa indixerat, Mantuae habendum, admittendo, vel recusando, inter Nuncium Papae Vorstium, et Legatum Caesaris Matthiam Heldum, ac Principes Protestantium, Smalcaldiae congregatos. Principes, licet secum in nonnullis rebus dissentirent, tandem, concilium eo modo, quo indictum erat, decreverunt esse recusandum, edito, et ad Reges ac Princi-

pes quaquaversum misso, *recusationis* libello, ob has potissimum rationes. 1. Quia reformationis abusuum nulla fit in bulla Pontificis mentio. 2. Euangelicos jam praejudicio condemnavit Papa, nec aliud ac haereticorum, seu euangelicorum, in concilio condemnatio intenditur, imo ubique in eos jam saevitur. 3. Papa, quantumvis pars adversa, et tot errorum ac abusuum convictus, sibi adrogat Judicis personam. 4. locus etiam incommodus est, et nimis periculosus. In quam fere formam responderunt Protestantes, post varias deliberationes, et disputationes, inter se habitas. Praecipua erat quaestio, num Synodus praecise sit recusanda, an vero permittendum, ut legatio mittatur ad eam, ad parti Pontificiae denegandum judicium, et petendum, ut, Regum et Monarcharum opera, delecti viri idonei has controversias cognoscerent et dijudicarent. Praeterea, cum Cameralia judicia non tantum non inhiberi, sed defendi, viderent Principes, sibique magis magisque a Caesare esse metuendum animadverterent, arctius se univerunt. Elector quoque Saxoniae cunctationem in novis admittendis sociis deposuit, et plurimi sunt recepti in societatem, inter quos est Henricus Dux Saxoniae, et frater Georgii. Decretum porro est, vim vi esse repellendam, illosque adjuvandos, qui causa religionis paterentur; represallia, ut adpellantur, esse adhibenda contra Ferdinandum, ob reditus Ecclesiasticos civitatibus Sueviae e sua ditione denegatos, auxilia contra Turcas et Gallos neganda, ita tamen, ut, si vis repentina inmineret a Turcis, sese omnibus viribus opponerent. Denique, quod inter praecipua fuit acta, statutum est, ut confessioni Augustanae, ejusque apologiae non tantum, sed et *articulis Smalcaldicis*, in hoc conventu subscriptis, mordicus insisteretur. Articuli vero Smalcaldici sunt, jussu Electoris, a Luthero concinnati, et ab eo, ac aliis Theologis subscripti ab Electore primum, dein a Principibus in hoc ipso conventu adprobati; continebant autem dogmata, in quibus constanter in Synodo persisteretur, si aliqua esset habenda. Nec tamen

men

men hoc tempore in conventu publice inter libros Symbolicos recepti sunt articuli illi autoritate Principum, licet a Theologis Provinciarum foederatarum jam subscripti: sed postea autoritate communi sicut recepti, inter libros Symbolicos Lutheranorum relati, tanquam ejusdem autoritatis. Ceterum articulus de coena Domini habet; *de Sacramento altaris sentimus, panem et vinum in coena esse verum corpus et sanguinem Christi, et scimus haec porrigi et accipi, non tantum a bonis, sed etiam a malis Christianis.* Composuit etiam Melanchton, jussu Electoris et Principum, libellum de *Primatu Papae, et potestate ac jurisdictione Episcoporum;* qui quoque adprobatus est. Sed in subscriptione articulorum Lutheri hanc adjecit singularem clausulam, *de Pontifice statuo, si euangelium admitteret, posse ei, propter pacem, et communem tranquillitatem Christianorum, qui jam sub ipso sunt, et postea erunt, superioritatem in Episcopos, quam alioqui habet jure humano, etiam a nobis permitti.* Quae ejus adnotatio, sicut articulo quarto Smalcaldico est opposita, ita Lutheri sententiae adversatur. Attamen nullus Theologorum, ibi praesentium, Melanchtoni adsurrexit, licet multi non tam ab ea abhorruerint, quod eam putaverint falsam, quam quod intempestivam judicaverint, eam hoc tempore diserte exprimere, ut Seckendorfius observat. Denique, quod non erat omittendum, exhibita quoque in hoc conventu est a Bucero confessio Helvetica, una cum ejus declaratione et a Luthero adprobata, qui etiam humanitatis, et concordiae studii, plenas scripsit hoc anno litteras ad Helvetios, et scripta eristica haud obscure condemnavit. Helvetiorum litterae responsoriae a. 1538., et Lutheri ad eos, ad concordiam spectantes omnes, exstant apud Hospinianum. Sed postea recruduit vulnus, et insanabile factum est. Ceterum Lutherus, post brevissimi temporis moram Smalcaldiae, inde gravissimo morbo laborans abductus, dixisse, cum discederet, fertur, *impleat vos Deus odio Papae!* Quod ejus dictum, a Pontificiis exagitatum, excusari non potest, nisi

 quatenus

quatenus Papa se adversarium Christi, et persecutorem, adeoque Antichristum, eo respectu, praestat.

§. CVI. Instituta etiam hoc anno est reformatio ab Henrico, Duce Saxoniae, cui duae suberant praefecturae, opera Jacobi Schenckii, concionatoris aulici Wittebergensis, ringente licet et contradicente Georgio Duce Saxoniae, fratre ejus. Qua ratione reformata est ditio *Freibergensis*, secundum normam Augustanam. Prodiit etiam hoc anno *constitutio Ecclesiastica* Landgravii Hassiae haud uno nomine animadversione digna, tota regione in sex districtus, seu dioeceses divisa, quibus visitatores, seu superintendentes, praefecti sunt. Omisi epistolam Ferdinandi Regis ad Lutherum, humanitatis, et inclinationis ad doctrinam Lutheri plenissimam, quia haud una ratione suspectae fidei est, ut recte advertit Seckendorfius. Ceterum ipse Papa aliquam praetendit reformationem, negotio hoc quatuor Cardinalibus, et quinque Praesulibus, demandato, sed nihil effectum est, nec nisi festucas adtigerunt, trabibus relictis, ut recte Lutherus. De quo in vita Paparum dixi.

ANN. 1538.

§. CVII. Memorabilem hunc annum reddiderunt, quod primo loco notandum est, varia foedera, partim a Pontificiis, partim a Protestantibus, pacta. Praeter inducias, inter Gallum et Caesarem ad decem annos initas ope Papae, quae et eo spectabant, ut Protestantes in ordinem redigerentur, foedus *Norimbergense* a parte Pontificiorum hoc anno est pactum, seu potius paucorum conspiratio, praetextu Caesaris et Ferdinandi, studio Heldi, Legati Caesarei facta, ad religionem Pontificiam in ditionibus suis tuendam, ne a Protestantibus turbaretur usque ad concilium, et ad processus Camerae protegendos, ad annos undecim, pro se et aliis, qui accessuri sint. Ad quem conventum concurrerunt ex Principibus Ecclesiasticis unus Matthaeus Langius, Archie-

Archiepiscopus Salisburgensis, et ex Politicis Bavari fratres, Georgius Saxo, et Henricus Brunsvicensis, adscito Erico patruo, sene: quo, ut et Georgio, mortuo, solus restabat Henricus cum Bavaris, qui princeps fuit factionis. Interea dubium est, num Heldus mandato Caesaris, an suo arbitrio, et a Clero instigatus, haec egerit. Utique prius credere noluerunt Protestantes, et in eo confirmati sunt a Ministris Caesaris; nec ullum exstat solennis ratificationis Caesaris indicium, ipse Heldus etiam paulo post excidit gratia Caesaris. Postea tamen a. 1541. renovatum est foedus Norimbergense: de quo suo loco.

§. CVIII. Protestantes, qui ex hoc foedere sinistras de animis Pontificiorum suspiciones conceperant, ut se munirent, in unum coacti Brunsvigae, deliberarunt quidem de jurisdictione Camerali recusanda, sed nihil effectum est. Attamen nonnulli in societatem sunt recepti, uti Christianus III. Rex Daniae, Elisabetha Hassiaca, vidua Johannis Saxoniae Ducis, Georgio nati, quae Rochlitiensem praefecturam, et alia quaedam in Misnia, dotalitio jure tenebat, nec non Conradus, Comes Teckelenburgicus, et Livoniae Metropolis Riga. Perfecta etiam est conventio cum Johanne, Marchione Brandenburgico Custrinensi, Electoris fratre. Secutus dein est conventus Principum Isenaci, in quo prima vice locum tenuit Johannes Marchio, frater Electoris, et actum est de conditionibus, quibus pax cum Caesare et Ferdinando esset ineunda, quam Turcici belli causa petebant. De quo postea. Interea auxit Protestantium sollicitudinem frustranea ad Reges Galliae et Angliae legatio, licet bona dederint verba illi Reges. Quae prolixe enarrat Seckendorfius. Accessit multiplex machinatio et Henrici Brunsvicensis, et Georgii Saxoniae Ducis, contra Protestantes.

§. CIX. Animum tamen ab altera parte iis addidit tum inclinatio Joachimi II., Electoris Brandenburgici, ad eos, quae anno sequente se magis exseruit, tum feriutm Elisabethae,

bethae, sororis Electoris Brandenburgici, et uxoris Erici, Brunsvicensium Ducis. Hannoverani, propositum ditiones suas reformandi, quod biennio post, mortuo Erico, perfectum est. Accesserunt reformationis initia in Ducatu *Meckelenburgensi*, quam ardenter quaerebat Magnus, Episcopus Suerinensis, filius Henrici Meckelburgensis, sed perficere non valuit, renitente Henrici fratre Alberto, qui cum eo Ducatum communi jure regebat: licet ipse Henricus a reformatione non esset alienus. Postea tamen res perfecta est a. 1552., cum integrum regimen ad Johannem Albertum, Alberti filium, pervenisset. Feliciorem successum habuit reformatio *Nordlingae*, in Suevia, urbis Inperialis, quae, dudum incepta, hoc anno magis perfecta est. Fundamenta jam ante jecerat Theobaldus Geriackerus, a patria, Rhenani Palatinatus oppido, dictus *Billicanus*, a Senatu a. 1522. accitus, et a. 1524. reformationem instituere jussus, eo cum effectu, ut tota civitas, cum ipso Carmelitarum in ea conventu, eam receperit a. 1525. Tantum missae privatae manserunt in Templo Parochiali, et Sacramento sub una, vel utraque, specie permissum est uti. Quam ob moderationem, accedente etiam Zuinglianismi suspicione, male audiit Billicanus. Successor vero ejus Caspar Kautzius, Scholae Germanicae magister, accuratiorem reformationem circa Missas et Ferias, una cum Diaconis suis, flagitavit a Senatu, et inpetravit hoc anno, quo Missae sunt abrogatae, et puriores instituti ritus. Vid. authentica relatio Hackii, Superintendentis Korlingensis, apud Seckendorfium.

ANN. 1539.

§. CX. Celebrem in primis hunc annum reddidit Conventus *Francofurtensis*, ad pacem Inperii prolongandam institutus, quam foederati Norimbergenses rumpere, et religionem Pontificiam promovere, conabantur, Caesar vero et Ferdinandus conservare volebant, Protestantes etiam eam

bello

bello praeferebant, ita tamen, ut se armis tueri parati essent, etiam ad adgressores, si quid molirentur, praeveniendum, sicut hoc ipso tempore decreverunt Francofurti. Mediatores hic egerunt Electores Moguntinus et Palatinus, adfuerunt vero Oratores Caesaris et Ferdinandi Regis, ex foederatis Protestantibus Elector Saxo, Landgravius Hassiae, et alii. Postquam per duos menses deliberassent, variosque miscuissent sermones, tandem conventum est. 1. Inducias fore quindecim mensium; quo tempore nemo Augustanae confessioni addictos vi aut armis adgredi, ullave ratione vexare, debeat, omnes etiam processus Camerales cessarent, Protestantes etiam promiserunt, se pacem non tantum servaturos, sed nec novos socios sibi adjuncturos esse, si idem faciant foederati Norimbergenses. 2. Colloquium de concordia in religione esse indicendum 3. Pace hac excludendos esse Anabaptistas, et sectas impias, quae Augustanae confessioni non docerent convenienter, absque tamen ut nominatim fuerint expressi sacramentarii: quod quidem volebant Oratores, sed recusarunt Protestantes 4. De auxilio contra Turcas esse deliberandum, et secundum plura concludendum. 5. Denique cum Caesaris Orator urgeret, pacem Norimbergensem a. 1532. ad eos pertinere solos, qui tunc eam erant stipulati, et Caesari fore liberum alios ad foedus Norimbergense admittere, nec ne, Protestantes vero illud recusarent, convenit, ut conclusa starent ad sex menses firma, usque ad ratificationem Caesaris; quae si intra illud tempus non sequeretur, standum nihilominus esse pactis induciarum Norimbergensium, secundum litteram. Haec ad Caesarem perlata ejus consensum non impetrarunt, culpa in primis Papae, qui, se colloquio ad pacem excludi, et Caesari ad Pontificios coadunandos ligari manus, aegerrime tulit.

§. CXL. Crevit interea insigniter Reformatio, per totam ditionem Georgii, Ducis Saxoniae, et Electoratum Brandenburgicum. Adoptavit Saxonicam *ditio Georgii* tota, mortuo

mortuo Georgio, eique suffecto Henrico fratre; erat autem Georgius non ab omni, sed Lutherana, reformatione alienus, quippe Luthero infensus. Cum vero, filiis, Johanne primum, dein Frederico, mortuis, successio esset ex avito testamento ad Henricum fratrem devolvenda, concordiam cum Electore Saxoniae inire conatus est, ut religioni prospiceret, habito eum in finem conventu Mulbergae inter Carlovitium, primarium ejus consiliarium, et Pontanum, Excancellarium Electoris, et dein colloquio *Lipsiaco* inter Theologos, simul nova reformationis forma proposita, ad normam Ecclesiae veteris primorum octo vel novem seculorum, et abusibus, qui postea irrepserunt, abolitis. De colloquio *Lipsiaco* legendus est Seckendorfius, qui secretum colloquium inter Bucerum et Wicelium enarrat. Dein cum haec media frustra cecidissent, conatus est, fratrem vel fraudare successione, vel ad iniquas adigere conditiones, ut quod antiquam religionem defenderet, et foederatis Norimbergensibus se adsociaret. Tandem, cum Henricus illas conditiones respueret, testamento condito, haeredes scripsit Henricum, ejusque filios Mauritium et Augustum, ea lege, ne formam religionis mutent; quam si spreverint, Caesari et Ferdinando provinciae regimen committit, donec conditio fuerit impleta. Mortuo dein Georgio, testamentum haud uno nomine esse repudiandum, tanquam nullius vigoris, judicavit Elector Saxoniae, et Henrico autor fuit, ut illud non agnosceret; quod Electori haud exiguam conflavit invidiam. Dehortati quidem sunt Henricum Pontificii, ipse etiam Ferdinandus Rex, per minas et blandimenta, Episcopi quoque, Misnensis et Mersburgensis, nihil non egerunt, ut Ducem a mutanda religione abstraherent; sed irrito effectu. Adcinxit itaque sese ad opus reformationis Henricus, et in tota provincia sua per Misniam et Thuringiam reformationem feliciter stabilivit, adjuvante Electore, et opem promittentibus foederatis Protestantibus, populo quoque ad reformationem a longo parato per libros Lutheri, et vici-

norum

aorum conciones, licet non defuerint, praecipue Lipsiae, et in Academia Lipsiensi, a reformatione alieniores, sed qui brevi sunt superati. Instituta quoque mox est visitatio per omnes Ecclesias, et omnia ordinata sunt, ringentibus licet Pontificiis, qui illud aegerrime tulerunt: adeo etiam ut Henricus Brunsvicensis in inpium et horrendum hoc dictum, *malle se ut Deus in coelis, quam Georgius, obiisset*, erupisse tradatur, nescio quam vere, cum fere incredibile sit.

§. CXII. Electoratus quoque *Brandenburgicus*, multas provincias, et tres Episcopatus, comprehendens, reformatam fidem et religionem sub Electore Joachimo II. adoptavit. Solicite licet educatus in religione Catholica, Parentis et Patrui, Cardinalis Moguntini, cura, hauserat fidem reformatam a matre Elisabetha, sed metu Parentis profiteri non audebat, exemplo quoque matris, quae maritum et domum suam, conscientiae causa, deseruerat, absterritus. Patre a. 1535. defuncto, animi sui indicia praebuit, subditis, qui euangelicos petebant doctores, adnuendo: absque ut aut ipse palam professus sit, aut admiserit, reformationem, sive Georgii, Ducis Saxoniae, cujus filiam habuit uxorem, et Alberti Moguntini, Patrui, reverentia et metu ductus, sive spe reformationis per Concilium se iactans. Sed hoc anno, exemplum fratris, Johannis Marchionis, secutus, publice eam professus est, et in Electoratum introduxit, viris usus insignibus, inter quos fuerunt Jacobus Stratmerus, concionator aulae Onoldsbacensis, et Georgius Bucholzerus, Praepositus Berolinensis, qui *constitutionis Ecclesiasticae*, sed consulto Luthero, fuerunt autores; quae summatim exhibita est a Seckendorfio, et omnem meretur adtentionem. Retenti vero, prudenter admodum, sunt aliqui ritus boni, qui ferri poterant, non acsi ad salutem essent necessarii, sed, ut Elector dicit, ad *externam disciplinam, et incitamentum devotionis:* praeterea non adcessit foederi Smalcaldico. Ceterum praeiverat, ut dixi, Johannes Marchio frater, qui, testa-

 mento

mento Patris praeerat novae Marchiae, cum Ducatu Silesiae Crosnensi et parte Lusatiae, juris Brandenburgici. Hic enim, cum paucis familiaribus ad matrem, in Saxonia morantem, et Lutherum, se conferens, manum jam praebuit reformationi a. 1538., eamque in aula sua Custrinensi, et per totam ditionem instituit, ope Theologorum Saxoniae, susque deque habita oppositione Episcopi Libusensis, simul ad foedus Smalcaldicum admissus est. Denique peracta est reformatio *Quidlinburgensis*, post mortem Georgii, Saxoniae Ducis, qui eam semper inpediverat, cura Annae Abbatissae, et ope praecipui Pastoris Johannis Wimmenstadii.

§. CXIII. Inter adversa reformationis fuit, quod, Caesarem et Ferdinandum a concordia esse alienos, haud uno patuerit indicio. Ferdinandus utique gravi sub poena subditis interdixit, adire Academiam Wittebergensem, et Wolfgangum Severum, liberorum suorum informatorem, aula ob suspicionem Lutheranismi expulit. Cui viro acceptus videtur ferendus mitis in Reformatos animus, quem Maximilianus, filius ejus, tunc duodecennis, postea successor in Imperio, spiravit. Ipse Caesar Capitulo Bremensi jussit, ut Henricum Brunsvicensem protectorem suum reciperent, et foederi Norimbergensi se traderent, ad quam societatem etiam sunt ab Henrico solicitati Erfurtenses, et Mulhusani, licet sex mensium spatium, in conventu Francofurtensi constitutum, nondum esset elapsum. Quae, aliaque similia, non Protestantibus solum solicitudinem crearunt, qui propterea Arnstadii, in unum coacti, de mediis defensionis serio cogitarunt, sed et Principibus, Catholicae religioni addictis, suspicionem, Caesarem praetextu religionis in animo habere Germanos sub jugum mittere; qui propterea, facti moderatiores, de concordia cum Protestantibus cogitarunt, uti Trevirensis, et Coloniensis, Electores, et ipsi Bavari.

§. CXIV. Ad historiam Sacramentariam denique observandum est, hoc anno confessionem Augustanam, a Melanchtone

lanchtone recognitam, *emendatam* et *auctam*, in publicum fuisse emissam, non tamen privata ejus autoritate, sed communi consensu receptam, ut Hospinianus docet. Articulus autem ejus decimus cum habeat, *de coena Domini docent, quod cum pane et vino vere exhibeantur corpus et sanguis Christi vescentibus in coena Domini*, antea vero hunc in modum, *de coena Domini docent, quod corpus et sanguis Christi vere adsint et distribuantur vescentibus in coena Domini*, acerrimae inde lites inter Lutheranos ortae sunt de *variata*, et *invariata*, confessione Augustana. De quo postea suo loco.

ANN. 1540.

§. CXV. Protestantes, dum spes esset colloquii *concordiae* cum Pontificiis, in unum coacti Smalcaldiae, de ejus modo egerunt, et decreverunt, nihil esse de confessione Augustana, ejusque apologia, remittendum, nec missas, aliaque superstitiosa in suis ditionibus amplius esse toleranda: praeterea de mediis defensionis secum convenerunt. Scripsit quoque Melanchton ad Camerarium, licet ejus rei non meminerit decretum, Theologos consensisse, ut Episcopis *sua redderetur jurisdictio, si piam doctrinam complecti, et manifesta Ecclesiae vitia tollere, vellent.* Conventu haud diu post a Caesare indicto Spirae, et dein, ob metum pestis, Haganae, quae inferioris Alsatiae urbs est, nihil a Pontificiis est serio actum, nec aliud conclusum, quam ut conventus haberetur Wormatiae. Caesar quidem sincere intendit concordiae colloquium, sed ab eo proposito abstractus est a Cardinalibus, qui contra nitebantur, veriti, ne autoritati Papali aliquid vulneris infligeretur, et reliqui Principes Protestantibus adsurgerent, ac a Papa deficerent: quare ad concilium, tanquam melius medium, animos adplicuerunt, illudque proposuerunt. Papa enim, per multas querelas e Germanis, ut Cochlaei et Eccii, quas repraesentat Seckendorfius, de progressu reformationis, ac miserabili Germaniae statu per

 eam,

eam, magis magisque ab omni concordia abalienatus est. Exhibuit quoque Cardinalis Farnesius Caesari scriptum, quod recenset etiam Seckendorfius, contra hoc colloquium, Protestantibus iniquissimum. Quod vero nunc ad concilium animos flexerint, a quo antea fuerant alieniores, illud inde est repetendum, quod Episcopos Germaniae, et nonnullos Principum, qui a reformatione sibi suisque dignitatibus et proventibus nihil boni exspectabant, ab ea magis abhorrentes, et Papae obsequentiores invenerant, adeo ut, Protestantes a concilio esse damnandos, vix dubitaverint amplius. Ferdinandus vero, a Legatis Pontificis incitatus, nihil fere aliud in colloquio intendit, ac ut Principes Catholicos ad foedus Norimbergense adduceret, quod tamen efficere non potuit. Obstaculum denique injectum est colloquio, quod Catholici articulos, in Comitiis Augustanis ventilatos, voluerint omittendos, tanquam de quibus tunc esset conventum, et transactum, adeoque de reliquis agendum esse, Protestantes vero illud prorsus respuerint, et conventum esse negarint.

§. CXVI. Conventu hac ratione sine fructu finito, alius mox a Caesare et Ferdinando est indictus, *Wormatiae* habendus, cujus finis in sequentem incidit annum. Cum vero Legati Electorum Palatini et Brandenburgensis, nec non Ducis Juliacensis, longe alios articulos, ac reliqui legati Pontificis, proferrent, qui prope ab Augustanis Protestantium aberant, Pontificii, illud aegre ferentes, non secundum majorem suffragiorum numerum concludi, sed conventum, in duas factiones, Pontificiorum et Protestantium, dividi voluerunt, ut duo tantum essent suffragia; hoc scopo, ut conventus in fumum abiret. Quae divisio inter Legatos orta, praeter alia inpedimenta, in causa fuit, ut colloquium fuerit decretum inter duos Doctores, Eccium et Melanchtonem. Qui, praemissa velitatione de confessione Augustana mutata, et schismate Protestantium, nec ne; unice, quod quis miretur, disputarunt de secundo articulo, qui de concupiscentia

centia et peccato originali agit. Unde factum est, ut nihil fuerit peractum. Abruptum quoque mox est colloquium edicto Caesaris, et ad Comitia Ratisbonensia, mense Januario sequentis anni habenda, dilatum. Praetexuit autem Caesar, multis difficultatibus premi colloquium, et instare Comitia, in quibus omnia rectius queant tractari.

§. CXVII. *Prosperis*, quae Reformationi acciderunt, adnumerandum est, quod 1. Gustavus, Sueciae Rex, se inclinatum demonstraverit, ad causam euangelicorum tuendam, iisque quatuor mille pedites obtulerit. 2. Senatus *Spirensis*, indignante licet Caesare, duos concionatores euangelicos admiserit, 3. *Nordlingenses*, *Dunckelspuhlenses*, et *Giengenses*, puriorem doctrinam receperint. Denique 4. Mauritius, Henrici Saxoniae Ducis filius primogenitus, duxerit filiam Landgravii Hassiae: cum hinc ipsi nata fuerit occasio, socerum postea e captivitate liberandi, et libertatem religionis, ac Germaniae, firmandae, ut suo loco patebit. Sed inter *adversa*, praeter continuas Camerae vexationes, quae non cessarunt, cum locum tenere soleat *digamia* Landgravii; de ea quaedam videntur hic monenda. Landgravius Hassiae, non amore tantum Margarethae de Sala, quae in aula sororis suae Elisabethae viduae degebat, captus, sed et conscientiae dictamine, quod una sua uxore contentus esse, ignota de ratione, quae tamen de libidine ejus testabatur, non posset, ut sanctissime adseveravit, compulsus, Margaretham uxori suae, salvis nuptiis ejus, et liberorum privilegiis, adjunxit, legitimis, licet occultis, nuptiis. Quod ejus factum Lutherus et Melanchton cum restrictione secreti, sed Theologi Hassiaci absolute, adprobarunt, vel excusarunt, per legem necessitatis, tenentes simul, polygamiam non esse juri naturae, aut legi divinae indispensabili, adversam. Sed hic ipse casus, probe occultandus, cum in vulgus emanasset, simultatem aliquam inter Duces foederis non tantum peperit, sed et Reformatis notam inussit, ac periculum a Caesare metuendum produxit. Vid., praeter Seckendorfium, et

 alios,

alios, de hoc singulari casu Bossuetus in hist. *Variationum* lib. VI., qui instructionem quoque Landgravii, datam Bucero, quid apud Lutherum, et socios, ea de causa agere debeat, exhibet.

§. CXVIII. Controversia cum *Antinomis*, ut adpellantur, seu cum *Islebio*, quae in Ecclesia Lutherana viguit, et motus peperit, cum hoc anno sit finita, ejus aliqua hic danda est notitia, postea quam de ipso Islebio quaedam praemiserim. *Johannes Agricola*, a patria dictus *Islebius*, cujus vitam descripsit Melchior Adami in *vitis Theologorum*, ne alios memorem, studiis sub Luthero et Melanchtone confectis, primum ludo litterario Islebiae praefectus, dein ab Alberto, Comite Mansfeldensi, ad comitia Spirensia a. 1526. et 1530., secum sumtus, et ad conciones habendas admissus, facundia sua homiletica nomen accepit, sed spiritus simul sumsisse fertur; utique depingitur tanquam irrequietus, rixosus, inconstans, nec satis a moribus purus. Albertus ipse, a quo discessit, quia, ut ipse questus est, minus bene tractatus est, ipsum avaritiae, neglecti officii, et ebrietatis, accusavit. Recepit vero se Wittebergam, ibique legendi in Academia, et concionandi, accepit facultatem, cum salario, ab Electore. Deinde litibus cum Luthero inplicitus, causa illa sub judicibus, ab Electore constitutis, adhuc pendente, sese clam subduxit, et ad Electorem Brandenburgicum contulit; a quo benigne est receptus non tantum, sed et ejus ope, revocatis erroribus, reconciliatus Wittenbergensibus, licet nec Lutherus ei fiderit, nec in Electoris gratiam redierit. Sequente tempore, ut suo loco referam, inmixtus est quaestionibus *Interimisticis*, ut vocantur, et adiaphoristicis, imo una cum Pflugio et Sidonio composuit formulam illam famosam *Interim*. Obiit, annos 74. natus, Berolimi a. 1566.

§. CXIX. Praeludia certaminis jam dedit Islebius a. 1527., quando articulis visitationis Melanchtonianis se opposuit, reprehendens, quod in iis doceatur, a terroribus conscientiae, et timore Dei, incipiendum esse in docendo populo rudi,

rudi, et explicanda poenitentia, cum, ex Lutheri doctrina, initium a fide in Deum videatur sumendum. Displicuit ipsi praeterea, quod decalogum doceri jusserit Melanchton, cum, Christianos esse a lege liberatos, et praecepta Pauli potius inculcanda, censuerit. Quae lis, parvi momenti visa Luthero, tunc brevi est ab ipso sopita. Islebius dein Witebergae docens, ut modo narravi, a. 1537. veteres quidem suas illas opiniones renovavit, sed admonitus se iterum promisit abstenturum esse, testificatus quoque suum cum Luthero consensum. Sparserat Islebius, nomine dissimulato, theses, quas recenset G. Arnold. hist. Eccles. l. XVI., quibus statuitur, poenitentiam non ex decalogo, sed Euangelio, docendam, Spiritum S. dari absque lege ex solo euangelio, et hominem ita justificari, ut legis praedicatio neque ad principium, neque medium, neque finem, justificationis prosit, libellum quoque visitationis iterum taxarit contra fidem datam. Quibus thesibus, et aliis Antinomorum opinionibus, excitatus Lutherus se iis animose opposuit, publicis disputationibus, et scriptis Germanicis, quorum primum est de *Conciliis* a. 1540. In quibus docet legis usum, cum ad terrores poenitentiae producendos, tum ut pii admoneantur de crucifigenda carne. Praeterea, legem quidem negat esse utilem aut necessariam ad justificationem, et bona opera justificatorum, sed justificationem statuit esse necessariam ad bona opera, et inplendam legem. Reprehendit porro Antinomos, quod peccata tolli putent formaliter et substantialiter ac philosophice, cum relative tantum tollantur per ignoscentiam Dei. Inputat porro iis opinionem, sanctificationem non esse necessariam, sed sufficere fidem in Christum, qui totam inplevit legem; quae tamen per consequentiam ex ipsorum hypothesibus ducitur. Denique retractat, quod et ipse aliquando docuerit, legem in Ecclesia non esse proponendam. Unde novae cum Islebio lites ortae sunt, qui talia sibi injuria inputari protestatus est, cum tantum disputaverit, legem non esse docendam, acsi hominem coram

Deo justificaret, aut regeret conscientiam, aut in pie poenitentibus operetur conversionem. Rejecit itaque odiosas illas consequentias, quas inde legitime sequi contendit Lutherus, qui etiam addidit, Islebium se nunc aliter ac antea explicare, nec se eum solum, sed Antinomos quoque refutare, qui, ut putabatur, statuebant, hominem, qualiscunque sit ejus vita, quantumvis etiam inpura, justificari, modo euangelii promissionibus credat, et fidat. Qua lite vigente, arbitros constituit Elector, qui de tota hac causa cognoscerent, et Theologi Wittebergenses consulti sunt, qui Luthero adstipulati sunt. Interea aufugit Islebius ad Electorem Brandenburgicum, ut modo vidimus, cujus ope lis sopita est, Islebio errores suos publico scripto revocante. Ceterum, inter Islebii et Antinomismi fautores fuisse memorantur Jacobus Schenckius, Superintendens Freybergensis, propterea depositus. et ex Saxonia dimissus, et Paulus Crellius, Theologus Wittenbergensis.

ANN. 1541.

§. CXX. Nihil comitiis *Ratisbonensibus* hoc anno accidit memorabilius, quae in bonum protestantium et pacem Germaniae cesserunt. Protestantes ut ad haec adliceret comitia Caesar, sese ipsis per omnia praebuit aequum et facilem. Venit ipse omnium primus Ratisbonam, secutus mox est Landgravius Hassiae, Caesaris favorem ambiens, nec multo post Contarenus Cardinalis, Legatus Papae, qui spem, quam Protestantes de ejus moderatione, et eruditione conceperant, non inplevit. Durum enim sese in comitiis praestitit, consuetudinum Romanorum zelotam, idque sedulo agentem, ut deliberatio de concordia inpediretur. Denuo magno numero advolarunt Praesules. Elector vero Saxoniae, qui nullo modo, ut accederet, permoveri potuit, honorificam tantum misit legationem. Ipse conventus *magnae astutiae, et multorum sophismatum scena* fuit, ut dicitur Seckendorfio, qui

qui ea recte detexit. Caesar per ministros, quibus cinctus erat, varie fuit distractus, Pontifex de potestate et autoritate sua nihil voluit remittere, Episcopi, quibus fides Christiana parum curae cordique erat, malebant plerique *magni Principes, quam probi Christiani esse*, ut inquit Pallavicinus; nec deerant, inter quos etiam aliqui erant Principes, qui bella et rapinas animis volvebant. Landgravius, quamvis in fide constans, ita ut in articulis fidei ne in una littera dixerit se cessurum esse, in *neutralibus* tamen, et rixis circa verba, se pacis causa id facturum, et ut reformatio propagetur, fassus est. Longe aliter Elector Saxoniae fuit animatus, qui ne in bonis Ecclesiasticis, et monasteriis, restituendis, quae inter neutralia videbatur referre Landgravius, aliquid se cessurum esse, scripsit ad Legatos suos. Quem eundem animum spirant litterae Lutheri ad Spondanum, in quibus sinistram quoque de Landgravio et Bucero suspicionem insinuat, et de neutralibus, ac bonis Ecclesiasticis, tunc demum agendum esse declarat, quum de fide conventum est. Caesar vero in propositione, in Comitiis facta, animum clare satis explicuit, cum Comitiis Augustanis dixit esse inhaerendum. Quod, sicut Pontificii maxime volebant, ita viam ad vim Protestantibus inferendam sternebat. Ex quo facile colligitur, quid illi exspectandum habuissent, nisi Turcam et Gallos timuisset Caesar. Pontificii vero, sive eorum zelotae, tentarunt evitare colloquium, dein, cum id impetrari non posset, efficere conati sunt, ut arbitrio Papae submittantur omnia, et Protestantes, tum captioso libro, de quo mox, tum acerba contradictione, offensi, de spe concordiae desperarent.

§. CXXI. Caesari cum colloquium, inter utriusque partis selectos Theologos instituendum, placuisset, de capitibus controversis, delegati ad illud sunt ex Pontificiis Julius Pflugius, Johannes Gropperus, et Eccius, ex Protestantibus Philippus Melanchton, Martinus Bucerus, et Johannes Pistorius, pastor Niddanus; sub praesidibus Frederico, Comi-

te Palatino, et Nicolao Granvellano. Materiam colloquii praebuit liber aliquis *Irenicus*, incertum num a Wicelio, quod non eſt inprobabile, an ab aliis, compoſitus, qui, judice Luthero, ſpirabat reformationem Georgii, Ducis Saxoniae, et Miſchnicorum. Exſtat etiam iſte liber inter opera Melanchtonis p. IV. Viſi ſunt collocutores in nonnullis articulis ſecum convenire, ut de juſtificatione, fide, et bonis operibus, ſed de Miſſa, Tranſubſtantiatione, concilii infallibilitate, Primatu Papae, et aliis, a ſe invicem diſcreparunt. Quid vero Proteſtantes emendatum voluerunt, quidque reprobarunt, diſtincte expoſuit Schmidius in hiſtoria *Interimiſtica*, qui de toto hoc negotio legendus eſt. Maximi ſunt concitati motus, ut illud unum obſervem, ab Eccio et Granvellano, cum de miſſa coeptum eſt diſputari. Melanchton enim hoc inproviſo argumento eam oppugnavit, quod ſacramenta Novi Teſtamenti in Eccleſia ſint actiones a Chriſto inſtitutae, quodque nihil rationem, aut vim, habeat ſacramenti extra uſum legitimum; praeterea, quod promiſſum de praeſentia, et communione, corporis Chriſti non ad ſymbola, ſed ſumentes, pertineat, ſicut verba S. coenae non propter panem, ſed propter hominem, recitantur. Quae in furorem conjecerunt Eccium, et Granvellano bilem moverunt. Quo Melanchtonis argumento audito, Lutherus laetabundus in haec verba erupiſſe fertur: *macte virtute et pietate, mi Philippe! tibi debetur gratia, quod Pontificiae miſſae potuiſti ſacramentum adimere, quod ego tentare et adgredi non fui auſus.* Vid. Hoſpinianus lib. cit., qui etiam formulam ſententiae Proteſtantium de S. coena recenſet, quam Melanchton ſuo, et ſociorum, nomine obtulit Electori Palatino, et Granvellano.

§. CXXII. Non eo tantum nomine, quod maxima controverſia maneret, ſed et in vanum cecidit colloquium, quod neutrius partis acta fuerint adprobata, nullaque pars aliquid voluerit remittere; acceſſit, Proteſtantes minus fiſos eſſe Pontificiis, eorumque ſinceritati. Publicatum itaque eſt edictum

edictum Caesaris, quo, etsi tribus dicat vicibus, obligatoria non esse, quae a collocutoribus acta, aut peracta, sunt, voluit tamen, ut Augustanae confessionis Ordines intra articulos concordatos subsistant, nec ulterius progrediantur: praeterea prohibentur monasteriorum destructiones, et bonorum Ecclesiasticorum invasiones, etiam a religione Pontificia abstractiones. Quae, et quorum similia, cum Protestantibus displicerent, nec possent ab iis recipi, Caesar eos *declaratione*, eodem die data, et in recessu reservata, cujus summam dedit Seckendorfius, placavit, ita ut in ea acquieverint, cum ea securitati et paci provisionaliter satis prospiceret, nec reformationi obex poneretur. Permisit utique ipsis articulorum concordatorum interpretationem secundum Augustanam confessionem, nec non ad societatem suam receptionem, quotquot eam desiderarent. Suspendit praeterea edicta, contra eos vulgata, simul concedit, ut jus in Camera ipsis dicatur sine ullo religionis respectu. Quid? quod adsessores Protestantium in illo judicio adesse permiserit.

§. CXXIII. Pace licet hac ratione gauderent Protestantes, ab omni tamen solicitudine, aut molestia non fuerunt liberi. Henricus, Saxoniae Dux, qui vivo Georgio, ad foedus Smalcaldicum accesserat, eo mortuo, cum opimam crevisset haereditatem, et Georgii consiliarios revocasset, nihil fere praestitit, quod pacta foederis postulabant. Eo dein defuncto, Mauritius, successor ejus, foedere stare recusavit palam, promisso tamen auxilio, si religio sit defendenda. Henrici vero Brunsvicensis adeo intoleranda facta est violentia, ut de ea armis coercenda deliberaverint Elector et Landgravius. Spreto enim Caesaris mandato, Goslariensem et Brunsvicensem civitates varie vexavit Henricus. Habuit nihilominus aliqua incrementa reformatio in Saxonia inferiore, et alibi, uti in aliquot Sueviae civitatibus, in Archiepiscopatu Magdeburgensi, et Episcopatu Halberstadiensi, ubi Ordines id fuerunt ausi, nec non Halae, quae superstitiosissima erat; ubi, ad populi petitionem, id

permisit Senatus, evocato Justo Jona, Theologo Wittenbergense. Ceterum narrant autores, illud beneficium fuisse ab Alberto Cardinale redemtum aere.

ANN. 1542.

§. CXXIV. In Comitiis, *Spirae* habitis, quod primum est hujus anni memorabile, mense Februar., Ferdinandus, metu Turcarum, qui ipsum ingente clade adfecerant, Buda quoque occupata, compulsus, sese ad Protestantium vota plane adcommodavit. In decreto enim Comitiali protestationem eorum contra Concilium admisit, inducias Ratisbonenses ad quinquennium prorogavit, visitationem et reformationem Camerae, proxime futuram, decrevit, adeo etiam, ut dimidiam Deputatorum ad eam rem partem facerent Protestantes. Imo, majoris erga eos benevolentiae testificandae ergo, declarationem, suo et Commissariorum Caesareanorum nomine, exhibuit, qua Caesaris declarationem, Ratisbonae datam Protestantibus, confirmavit ad quinque annos, cum hoc Spirensi decreto valituram, promissa quoque iterum Camerae visitatione ac reformatione, et, si ea non procederet, permissa iis recusatione Camerae decreti. Addita praeterea est proscriptionis Goslariensis suspensio, et prohibita violentia Henrici Brunsvicensis contra eam urbem. Quibus constitutis, amplissima sunt contra Turcam decreta auxilia. Denique in concilium, Tridenti habendum, consenserunt Ordines Catholici, sed hoc scopo, ut *tollantur diffidia, et Christiana concordia redintegretur.* Indictum quoque mox est anno sequente concilium a Papa. De quo supra suo loco actum est. Quae praeclara promissa multum juvissent caussam reformationis, si inplementum non defuisset. Camerae utique visitatio mox est a Caesare dilata, et ab ipso Rege, praetextu motuum, qui inde sequerentur: quare protestati sunt Euangelici non tantum contra ejus jurisdictionem, sed et, cum ea Euangelicos pergeret exagitare, Henricus quoque

que Brunſvicenſis ab inſultibus non ceſſaret, ad manus eſſe veniendum duxerunt Elector et Landgravius: qui, lectiſſimo conſcripto exercitu, ducatum Brunſvicenſem invaſerunt, et intra duos menſes in poteſtatem ſuam redegerunt. Cujus belli ſucceſſus Euangelicis ſecuritatem, ſimul autoritatem, peperit.

§. CXXV. Bene quoque ceſſit Reformatis, licet invidiam ipſis creaverit, quod Epiſcopo Naumbergenſi a Capitulo electo Julio Pflugio, acerrimo Euangelicorum adverſario, ſubſtitutus ab Electore ſit Nicolaus Amſdorfius, ferventiſſimus purioris euangelii promotor, qui ex equeſtri quidem, ſed tenui, natus familia, Luthero paulo junior, ab oppido prope Wurcenam ſic dictus, Magiſter et Licentiatus Theologiae, Magdeburgum a. 1524. vocatus, Eccleſiaſtae et Superintendentis munere huc uſque functus erat. Epiſcopus autem factus, ſolenniter eſt inauguratus, concionante ipſo Luthero, et litteras, quas vocant reverſales Ordinibus exhibuit, ſimul homagium, ei a Naumburgenſibus praeſtitum, admiſit, ſed, a vetere diverſa formula juramenti, his verbis inſertis, *ſubditos parituros eſſe Epiſcopo, ſecundum verbum Dei, et mandata Chriſti, qui verbum Dei pure doceret, et baptiſmum ac ſacramentum Coenae integrum adminiſtraret ex inſtitutione Chriſti etc.* Ceterum coelebs fuit Amſdorfius, et moribus integer, ſed ardentioris indolis, et inflexibilis, ſimul liberioris linguae, cui cum ipſis Proteſtantibus haud una interceſſit diſputatio. Flacii errorem, de quo poſtea, in meliorem eſt interpretatus partem, dicens, peccatum originis non eſſe quidem *ſubſtantiam, ſed ejus accidens validiſſimum.* Liberum arbitrium plane negavit, ſtatuens, *illud eſſe mere paſſivum, et omni capacitate ad bonum carere:* ſed male inprimis audit propter phraſin, *bona opera eſſe noxia ad ſalutem*, ſed quam, emiſſo tractatu, ita eſt moderatus, ut *opinione meriti* nocere dixerit. Illud in Theologo maxime ſingulare, et notatu dignum, eſt, quod *formularum* in *capitibus fidei, a Theologis obſervandarum, praeſcriptionem* inprobaverit. Smalcaldicorum viribus

postea prostratis, vixit, amisso Episcopatu, Magdeburgi, dein consiliarius Ecclesiasticus et Superintendens a filiis Johannis Frederici, Electoris captivi, factus Isennaci: ubi obiit senex annorum 82, a. 1565.

§. CXXVI. Praeterquam, ut ad prospera, quae reformationi evenerunt, accedam, quod dissidium inter Electorem, et Mauritium, ducem Saxoniae, occasione supremi juris in oppidum Wurzenam, in bellum erupturum, opera Landgravii Hassiae fuerit sopitum, reformatio per varias regiones propagata est. Urbs Inperialis *Ratisbona* eam, secundum Augustanae confessionis normam, publice recepit, et primus Pastor ordinarie, et publica autoritate, constitutus est Erasmus Zollnerus, multum ad reformationem conferente Caspare Naveo, Ludi-moderatore, ab a. 1538. Quam historiam prolixe narravit Seckendorfius, ex duabus MSS. relationibus. Quod idem fecit *Hildesia*, in Saxonia inferiore, quae, Hanseatico foederi innixa, sibi id licere putavit, opera Johannis Pomerani, renitente Episcopo, et occasione belli Brunsvicensis captata, cum Dux Brunsvicensis eam inpediverat. Sed et ipse *Palatinatus*, tunc junior, postea *Neoburgicus*, a sede Principum, dictus, reformationem adoptavit, autore Ottone Henrico, qui, mortuo fratre Philippo, solus praeerat, opera Michaelis Dilleri, ipsi a concionibus, et Andreae Osiandri, Norimbergensis Ecclesiastae, ad formulam quoque Augustanam, accedente etiam Wolfgango Musculo, qui tunc Augustae concionabatur; qui consilio suo adfuit huic operi. Vid. Altingius de Eccles. Palatin. c. 22.

ANN. 1543.

§. CXXVII. Comitia *Norimbergensia*, initio anni habita, plena fuerunt simultatum et rixarum, dum Euangelici fuerint exacerbati, quod declarationem Caesaream Ratisbonensem agnoscere nollent Catholici, et hi rursus offensi essent caussa Henrici Brunsvicensis. Decretum quidem est de auxiliis contra

contra Turcas, aliisque capitibus, sed in quae consentire noluerunt Protestantes. Quorum res in Germania erant valde periculosae, ut Elector Saxoniae in *querela* sua exposuit: cui aegre admodum erat, Mauritium agnatum, et Albertum Brandenburgicum Byruthensem, in castris Caesaris militare, Ulricum Wurtenburgicum cum Bavaris, acerrimis hostibus, pepigisse foedus, Juliacensem opprimi armis, denique servitutem inminere Germaniae, eamque exponi Turcis. Quo in rerum statu conventum habuerunt Protestantes, primum ibidem loci Norimbergae, dein Smalcaldiae. In priore decretum est, Camerae processibus, et proscriptionibus, se opposituros esse, auxilia contra Turcas non missuros, Ducatum Brunsvicensem retenturos, Hildesienses protecturos. In posteriore de variis quidem rebus consultatum est, sed parum effectum, plerisque rebus dilatis. Secuta dein est legatio ad Caesarem, qua multis de rebus, in primis de Camera, conquesti sunt. Caesar eos spe tantum lactavit, et subsidia contra Turcas postulavit. Quae dein in conventu Francofurtensi statuta sunt in pecunia. Actum dein est inter Caesarem et Euangelicos de Camerae visitatione et reformatione, sed nihil peractum. Erat autem Camera Protestantibus molestissima; uti Seckendorfius exposuit, qui periculosissimum quoque Euangelicae causae hoc anno statum, ut et varios modos, quibus a Caesareanis delusi sunt, in lucem protulit. Nec parum nocuit, cum Ducis Juliacensis, qui ad reformationem propendebat, calamitas, a Caesare illata, tum languor et trepidatio Euangelicorum, etiam aliqua inter ipsos diffidentia. Accessit, Mauritium, Ducem Saxoniae, permoveri non potuisse ad foedus Smalcaldicum recipiendum. Quod tamen postea adparuit fuisse ipsis salutare. Eo enim factum est, ut cum reliquis non tantum non fuerit oppressus, sed et ipsis oppressis opem tulerit, et causam euangelicorum instauraverit: ut suo loco videbimus.

§. CXXVIII. Memorabilem vero cum maxime hunc annum fecit conatus Electoris, et Archiepiscopi, *Coloniensis*, ad

Ecclesias suae ditionis reformandas, sed quem perficere non potuit. De quo quaedam sunt dicenda. *Hermannus de Wida*, ex antiqua et illustri Comitum Widae stirpe oriundus, Archiepiscopus et Elector Coloniensis, ab a. 1515., non eruditus quidem et doctus, quales hoc tempore rarissimi erant inter Praelatos, attamen probus, mitis, et sano praeditus judicio, simul salutaria monita recipere aptus, et pronus, licet religionem Pontificiam in dioecesi Paderbornensi fuerit contra Euangelicos tuitus, petulantia plebis irritatus, et a Clero instigatus, usus nihilominus moderatione, haud diu post, de aliqualis reformationis necessitate persuasus, eam introducere adgressus est, formula a. 1536. a Groppero composita, in qua dogmata Catholico-Romana novis interpretationibus, et coloribus, fuerunt vestita, uti antea in reformationis Juliacensis ac Misnensis moliminibus factum fuerat, cujus Gropperianae formulae conspectum dedit Seckendorfius. Sed cum optato caruisset fructu, nec Cleri secuta esset emendatio, parum quoque a Concilio spei adfulgeret, denique ab Ordinibus ditionis suae etiam ad reformationem perficiendam excitatus, manum huic operi denuo, et majore studio, admovit. Quo fini Petrum Medmannum a. 1539. misit ad Melanchtonem, tunc Francofurti degentem, qui cum ipso de reformatione instituenda ageret, ipsum quoque invitaret ad Archiepiscopum adeundum. Quod non nisi hoc anno fecit Melanchton. Interea Martinum Bucerum a. 1541. ad se Argentorato evocavit, et in proposito confirmatus est, jussitque, ut Bonnae conciones haberet, a. 1542. quo tempore praeterea a foederis Smalcaldici Ducibus, Electore et Landgravio, promisso quoque auxilio, ardentior factus est, et animosior; simul ab Electore petiit et inpetravit Melanchtonem a. 1543. Composuerunt itaque hi duo, Melanchton et Bucerus, formulam reformationis Coloniensis, maxime ad gustum Buceri, haud una de ratione memorabilem: sed quae ideo tantum displicuit, quod articulus de S. coena non satis *Lutheranizaret*, ita quippe prudenter concinnatus,

cinnatus, ut neutra pars offenderetur. Quae constitutio, sicut Clerum universum, majorem et minorem, maximam partem contra Archiepiscopum excitavit, ita odium et iram Pontificis in eum produxit, adeo ut succumbere, et ab incepto desistere, debuerit. Erupit enim a. 1544. Academiae, totiusque Cleri, religiosi et secularis, inpetus in eum, interposita ad Papam et Caesarem adpellatione, variaque scripta pro et contra in publicum missa sunt. Accessit Caesaris diploma, *protectorium* dictum, a. 1545., quo Capitulo et Clero promittit patrocinium contra Hermannum, contranitentibus gravi indicta poena. Secuta tandem est ejus excommunicatio, et depositio, a. 1546., a Papa, subditis a juramento fidelitatis absolutis, et ei suffecto Adolpho, Comite Schaumburgense. Quae sententia voluit Caesar, missis Coloniam Legatis, ut exsecutioni mandaretur. Quam tempestatem ut praeveniret Hermannus, se sponte abdicavit, et in Comitatum suum Widensem secessit, ubi post quinque annos obiit, annos 80 natus. Novus vero Archiepiscopus reformationem brevi post exstirpavit.

§. CXXIX. Publicata hoc anno est *constitutio et ordinatio Ecclesiastica*, secundum normam Saxonicam, auspiciis Electoris et Landgravii, in Ducatu *Brunsvicensi*, seu *Guelpherbytano*, a foederatis Smalcaldicis occupato, composita a Bugenhagio, Corvino, et Gorlitio, Theologis: cujus summam exhibet Seckendorfius; in qua illud paradoxum est, quod lingua Latina in nonnullis religionis exercitiis dicatur servanda, imo eam prorsus eliminare esse fanaticorum. Abrogata quidem est post quinquennium ab Henrico, in Ducatum restituto, sed, post ejus mortem, religio Euangelica optimis legibus ibi est stabilita ab ejus filio Julio. Promota etiam est reformatio in provinciis Mauritii, Ducis Saxoniae, non obstante ejus cum Electore dissensione, nec, quod antiqui consiliarii fuerint a Mauritio recepti. Edidit hoc anno etiam amplissimam constitutionem Ecclesiasticam Mauritius, quae cum aliis est in *Corpus Saxonicum* relata. Ini-

tium porro habuit reformatio Principatus *Hennebergici*, in Franconia; de quo accurate agit Seckendorfius, qui etiam de familia Hennebergica quaedam profert notanda. Princeps Gulielmus, antea superstitiosus, et reformationis acerrimus hostis, ad purius euangelium precibus filiorum fuit compulsus. Filius autem ejus Georgius Ernestus, Landgravium comitatus ad comitia Augustana, ibi semina ejus hauserat, et ad fratrum conversionem multum contulit. Vocatus est ad hoc opus Wittenberga Johannes Forsterus, et publica confessio introducta a. 1544. Denique plenior, et accuratior, reformatio contigit ditioni *Luthenicae*, in Voigtlandia, quae jam ante decem annos inceperat.

ANN. 1544.

§. CXXX. Celeberrimum hunc annum fecerunt Comitia *Spirensia*, mox in principio habita, quibus Inperator, Elector Saxoniae, et omnes alii, interfuerunt, quaeque cum ingente animorum ad pacem propensione inceperunt, Caesare in primis ad eam prono, causa belli Gallici cum Francisco I. Cesserunt quidem in favorem Protestantium, sed multiplici artificio plena fuerunt. Praeterquam quod decretum fucato stilo, qui Caesari fuit ab utraque parte commissus, fuerit conscriptum, adeo ut utraque pars suum ibi reperiat sensum, Caesar ibi declaratur, quicquid in gratiam Protestantium decerneret, illud facere *extraordinario modo*, et cum excessu *quodam potestatis suae:* quo ipso insinuatur, illud Ordinum adversae partis contradictioni esse, tempore et loco commodo, subjectum. Continet autem decretum Comitiale 1. Viam generalis concilii, Christiani et liberi, in Germania habendi, tentandam esse, ad dissidium et schisma tollendum. 2. Quod quando obtineri possit cum incertum sit, comitia proximo autumno, atque hyeme, praesente Caesare, esse habenda. 3. Caesarem interea Christianam aliquam reformationem curaturum conscribi, idemque facturos

facturos esse Ordines, ut communibus consiliis decernatur, *quid servandum sit in articulis controversis*, usque ad concilium. 4. Edictum Augustanum suspendendum, neminem religionis causa adficiendum molestia, pacem servandam esse. Porro, finito tempore, quod judicibus Camerae, qui omnes erant Catholici, praefixum erat, alios, utriusque religionis, esse in eam admittendos, jurandi formula quoque relaxata, et libertate cuique, in eam allegandi, relicta, num in *Deum et sanctos*, an *in Deum et euangelia*? jurare vellet. Sed additur, quo haec concessio haud parum coarctata est, *auream* excipi *bullam*, quae Electoribus priorem praescribit formulam, nec non, hujus concessionis revocationem reservari Caesaris et Ordinum Universalium arbitrio, ubi maximum numerum faciebant Catholici. Denique transactum aliquatenus est inter Ferdinandum et Electorem Saxoniae, adeo ut ille fuerit Rex Romanorum agnitus, et auxilia sint Caesari promissa.

§. CXXXI. Haec acta adeo displicuerunt Papae, ut prolixas, et severas, scripserit ad Caesarem litteras, apud Pallavicinum obvias, non sine minis Papalibus, ni decretum aboleat: ad quas tamen non nisi in genere respondit Caesar. Sed Lutherus contra eas, et alias Papae litteras, librum scripsit, sub titulo, contra *Papatum a Diabolo fundatum*. Ceterum Papa concoquere non potuit, quod Caesar, neglecto Papa, sibi sumserit, de rebus religionis statuere, quodque Protestantibus hac parte quid concederet. Dubium vero non est, quin litterae Papales animum Caesaris ferierint, et ad alia flexerint consilia. Bellum utique cum Gallis brevi est, pace facta, finitum, et Caesar, ac Rex Galliae, in Pontificium conspirarunt concilium, et causae Euangelicae ruinam. Quod cum Protestantes non latuerit, illi se, quantum pote, ad omnem eventum praepararunt.

§. CXXXII. Interea haud unum accidit reformationi commodum. Episcopo *Mersburgensi* mortuo, episcopatus ejus, longe eximii, in fertilissima Saxoniae et Thuringiae parte, administratio collata est in Augustum, Saxoniae Ducem,

 fratrem

fratrem Mauritii, et Georgium, Anhaltinum Principem. Augusto enim detulerunt Praesulatum Canonici, hac tantum cum reservatione, ut judicium de ritibus in Templo Cathedrali relinqueretur Canonicis integrum. Augustus, conditione accepta, curam sacrorum commisit Georgio, qui inter Canonicos Mersburgenses erat senior, praepositus metropolitanae Ecclesiae Magdeburgensis, et Episcopalis Misnensis, sub titulo *administratoris* in *spiritualibus*. Addita insuper a Mauritio est inspectio Ecclesiarum districtus Lipsiensis et Thuringiae, quatenus Mauritio parebat. Cujus dispositionis effectus fuit, ut religio in illo Episcopatu fuerit convenienter reformationi constituta. Viguit hoc tempore controversia in ditione dotalitia Elisabethae, viduae Johannis, Saxoniae Ducis, de *ritu elevationis* panis in S. Coena retinendo, an abolendo? Abrogatus quidem erat multis in Ecclesiis, etiam in districtu Rochlitiensi, sed in Praefectura Domburgensi et Camburgensi adhuc obtinebat, ubi eum etiam cessare voluit Superintendens Rochlitiensis, Johannes Sagittarius, sed retineri Mauritius Dux, et, ubi amplius non erat, restitui: Lutherus vero et Pomeranus ritum, utpote liberum et indifferentem, non esse revocandum, censuerunt, addito generali monito, valde salutari, *gravissimi esse momenti, et summe curandum, ut divina praecepta serventur.* Delata quaestione ad Georgium Anhaltinum, cui Ecclesiarum inspectio erat tradita, is ritum, ubi erat, servandum, censuit, ut vitetur scandalum, ubi non obtinebat, non esse introducendum.

§. CXXXIII. Hic *Georgius* Anhaltinus, qui propius cognosci meretur, ex antiqua, et splendidissima, Principum Anhaltinorum stirpe, anno seculi septimo, natus, filius Ernesti, Principis Anhaltini, cum duos haberet fratres, Johannem et Joachimum, pro more seculi, ad Ecclesiasticas dignitates destinatus, studiis incubuit Lipsiae, mortuo jam Patre, sub Georgio Heldo, viro docto et pio; qui principia veritatis et pietatis instillavit animo ejus; in quibus haud parum confirmatus est cura Adolphi, Episcopi Mersburgensis, agnati

ejus,

ejus, qui haud longe a veritate euangelica aberat, a quo inter Canonicos Mersburgenses receptus est: quando, ut dixi, hoc anno Episcopatus Mersburgensis administratio Ecclesiastica ipsi est demandata. Vocatus quoque est, Georgio autore, ad pastoris munus Servestae, Theodorus Fabricius, vir insignis, cujus singularia fuerunt fata, ab ipso descripta, in Bibl. Brem. cl. IV. Mortuus est Superintendens Ecclesiarum Anhaltinarum a. 1570. Postea, cum Augustus Episcopatus administrationi renunciasset, et Michael Heldingus, Suffraganeus Moguntinus, ad Episcopatum promotus, isque edicto *Interim*, de quo mox, patrocinaretur, simul veteres errores et superstitiones sensim revocaret, continuare Ecclesiarum inspectionem amplius non valens, puritati religionis conservandae, tanquam senior capituli, operam dare contentus esse debuit Georgius; quo in opere defunctus est a. 1553., annos tantum quadraginta sex natus. Vir fuit eruditione, pietate, et eloquentia, plane insignis, dignus itaque, cujus memoria conservetur. De ipso, ejusque scriptis, vid., praeter Melchiorem Adami in vitis Theologorum, et alios satis notos, Elias Veielius de *causa Ecclesiae Euangelicae in negotio reformationis, e scriptis Georgii Principis.*

§. CXXXIV. Inter prospera Reformationis *Pomeraniae* locum tenet Erasmi Monteufelii, Episcopi Caminensis, obitus, cum reformationi multiplicem injecerit obicem; in cujus locum electus est, post Ducum, Barnimi et Philippi, item de Episcopo eligendo sopitam, et Johannis Pomerani, cui oblatus erat Episcopatus, recusationem, cujus rationes exhibet Seckendorfius, Bartholomaeus Suavenius, sed qui post sex annos resignavit Martino Weigero. Eodem pertinet cura Alberti, Ducis *Borussiae*, in studiis promovendis, fundata quoque Academia Regiomontana, hoc anno, cujus primus fuit Rector Georgius Sabinus, Juris Doctor, vir eruditus, simul poeta celebris, gener Melanchtonis. De quo vid. Hartknoch in historia *Eccles. Borussiae.* Tentavit

tavit quoque publicam Episcopatus *Monasteriensis* reformationem, nonnullis in locis jam introductam, et a multis desideratam, Episcopus Monasteriensis Franciscus, e Waldecensium Comitum familia, qui Osnabrugensem et Mundensem Episcopatum etiam administrabat. Sed Capitulo sese vehementer opponente, et Caesare postea severius inhibente, multisque aliis ortis motibus, ab incepto non tantum desistere debuit, verum et ipse multa propterea passus est, adeo etiam ut, omnibus dignitatibus, et opibus, spoliatus, tanquam exul in urbe Monasteriensi degerit, mortuus a. 1553. Successit res felicius *Rotenburgi* ad Tubarim, quae urbs est Inperialis satis celebris, ubi purius euangelium, jam antea auditum et receptum, nunc publica autoritate est stabilitum. Primam in Templo Cathedrali concionem habuit Thomas Venatorius, qui sex menses ibi docuit, et populus incredibili zelo flagravit in religione, et concionibus audiendis.

§. CXXXV. Adversis reformationis adnumerandum est, quod Lutherus lites eucharisticas ingente studio renovaverit. Rumori enim sparso, qui, cum aliunde, tum ex elevationis panis in eucharistia abolitione, cujus supra memini, ab ipso adprobata, natus erat, acsi in Helvetiorum concessisset sententiam, ut obviam iret, virulentum admodum scripsit tractatum, sub titulo, *brevis confessio de sacramento*: in quo reprehendit Helvetios ob convitiosa, ut ipse accepit, dicta, dicitque, se, si vellet, similia reponere posse; quod et faceret, nisi nomini Divino parceret; posse nimirum se eos vocare *panivoros et vinibibos* non solum, sed et *animarum devoratores, et interfectores, et indiabolatos* etc., *qui mentes et linguas blasphemiis repletas haberent:* addit, Zuinglium in peccatis esse mortuum, et se centies malle discerpi, ac comburi, quam Helvetiorum in sententiam ire. Ad quem forte librum respexit Bullingerus in epist., quae in Bibl. Bremensi cl. III. prostat, quum dicit, Lutherum in eo libro *diram et exemplo carentem rabiem*, simul, *se in sensum reprobum*

lum esse traditum, *ostendere*. Responderunt ad brevem hanc ejus confessionem Tigurini a. 1545., edita *Orthodoxa Tigurinorum confessione*.

§. CXXXVI. Lutherus, ut paulo pleniorem hujus rei intellectum pandam, jam antea ab a. 1542. hostilem in Zuinglianos animum resumserat, nam in libello, de *precibus contra Turcas*, eos Anabaptistis et Nestorianis adnumeravit, et inter pestilentiales sectas, ac nefarias haereses, retulit. Quod a. 1543. in epist. ad typographum Froschoverum, qui ipsi Biblia Leonis Judae Tigurini miserat, etiam demonstravit; dicit enim, inter alia, se *nolle*, *quod a Tigurinis profectum est*, *legere*, *nec damnationis et blasphemae eorum doctrinae consortem esse*. Unde eodem anno nata est *apologia Zuinglii*, operibus ejus junctim editis praemissa, quae bilem movit Luthero. Scripsit etiam Lutherus ad aliquas Italiae Ecclesias, adeoque irae suae indulsit, ut ipsam Transsubstantiationem admisisse videatur, testibus epistolis Melanchtonis apud Hospinianum. Prodiit vero hoc anno Lutheri liber in *Genesin*, in quo omnem evomuit bilem; nec alium spirat animum *brevis* ejus *confessio*, modo memorata. Quae publicata veteres lites renovavit non solum, sed acerbiores fecit, et perpetuas. Praecipuus vero ejus incentor fuit Amsdorfius, qui omnia Zuinglianorum dicta et facta in pejus rapuit. Bucerus in pace et conciliatione efficienda non tantum operam lusit, sed et in Lutheri incidit indignationem, qui de ipso dixit, *spermologus est*, *nil nisi conciliationes quaerens et tractans*. Scripta vero hoc anno est Buceri epistola ad Johannem a Lasco, qua sententiam suam, a Luthero parum diversam, clare exponit, tantum moderatius, et generalioribus phrasibus, ut ex. gr. *unionis sacramentalis*, hoc est, pacti *exhibitivi*. Exstat inter epistolas Belgarum centur. I. Quid? quod ipsi Melanchtoni, propter nimiam ejus moderationem, irasci coeperit, adeo ut a rupta unione res parum afuerit. Vid. Camerarius in *vita Melanchtonis*. Sed Lutherus eum a se divelli noluit, nec Melanchton cum ipso

voluit pugnare; quare lis ea sopita est. Perstitit denique Lutherus in vehemente suo zelo, ut sequentia docebunt.

ANN. 1545.

§. CXXXVII. Cum, secundum Spirense decretum, exhibendae essent hoc anno in Comitiis Wormatiensibus formulae religionis, et reformationis, ad pacem et concordiam, si pote, conciliandam: conscripta est, jussu Electoris Saxoniae, formula reformationis, a qua non sit discedendum, a Theologis, M. Luthero, J. Bugenhagio, Casp. Crucigero, Georgio Majore, et Philippo Melanchtone, et Electori oblata, quae integra exstat apud Seckendorfium. Complectitur quinque capita, de vera doctrina, legitimo usu sacramentorum, ministerio euangelico, pia disciplina Ecclesiastica, studiis conservandis et scholis, et de corporali defensione, et sumtibus ad personas sacras alendas. Meretur tota legi, estque optime conscripta. Nihil in ea de Primatu Papae occurrit, sed, quod notari velim, munus Episcopale, si recte administretur, statuitur, *tolerari* posse, ut et monasteria, si piae educationi ac institutioni tantum inserviant. Praeter hanc formulam, alia est a Bucero composita, et Argentoratensibus exhibita, cujus summam recenset Seckendorfius. Scopus vero Buceri fuit, veritatis confessionem non simpliciter tradere, sed et totius Ecclesiae generalem reformationem exhibere, in specie accusationem contra Episcopos, et Praelatos, instituere, quo fini defectus enumeravit et abusus Ecclesiae Romanae. Tenet autem viam mediam, inter necessaria, et non necessaria, probe distinguens. Displicuit vero Electori, et aliis, tum nimia verbositas, tum accusatio coram Caesare, et Ordinibus, instituenda, tanquam intempestiva visa, et periculosa, quia Caesari judicium dabatur in Clerum, adeoque etiam in ipsos Euangelicos. Wittebergensis vero formula adprobata est a Landgravio, et Theologis Hassiacis, licet hic illic aliquid mutatum, vel insertum,

tam, voluerint, ut quod Episcopis *Ordinatio*, et Clericis caufarum matrimonialium decifio, fuerit relicta. Mutatum etiam aliquid eft in verfione Latina, quae in Comitiis fuit exhibita.

§. CXXXVIII. In Comitiis vero, quibus Legati Caefaris, et Principum, tantum interfuerunt, nifi quod Caefar, podagra in initio praepeditus, poftea adfuerit, poft varias altercationes de Synodo Tridentina, quam Proteftantes recufarunt, et de pace ac fecuritate, quam illa Synodus videbatur terminatura, tandem eft decretum 1. pacificationis negotium ad proxima Comitia Ratisbonenfia effe differendum, quia hic propter Principum abfentiam peragi non poterat. 2. Colloquium inter utriufque partis Doctores ante effe, et hoc ipfo anno, inftituendum. 3. Praecepit vero Caefar, pacem effe fervandam, *fecundum conftitutionem de pace publica;* (ann. fcilicet 1521.) *et omnes ac fingulos receffus pacificationum, quo modo Ordines Imperii illos acceptaverint, vel ipfe jure fupremo conftituerit, et jam renovet.* Sed cui interpofuerunt Proteftantes Euangelici proteftationem, fe a noviffimo decreto, feu receffu Spirenfi, quo pax ufque ad amicam tanfactionem conftituta erat, non recefluros, declarantes. Erat enim illud Caefaris decretum minus efficax, quia ita non erat conceptum, ut eos, qui rumpere vellent, obligaret. Ordines enim Catholici in illos receffus expreffe non confenferant, praeterea, fe fine Papae confenfu non conftringi, dicere poterant. Denique 4. Camerae quoque reformatio eft prorogata, ita ut ejus judicium interea continuaretur.

§. CXXXIX. Euangelici vero, durantibus Comitiis, fecum faepe deliberantes, conftituerunt, inter alia, 1. ut publicae fierent de fuggeftu admonitiones, ad mores corrigendos, 2. rationes a Doctis confcribi curarent, ob quas Tridentinum recufabant concilium. Ad quas examinandas, aliaque tractanda, conventus indictus eft Francofurtenfis, Menf. Decembr. Sed de formula reformationis Wittebergenfi,

gessi, supra memorata, convenire non potuerunt: reliqui enim Euangelici quaedam in ea desiderabant, inprimis quoad potestatem Episcopalem. Quae ratio est, quare integra formula Caesari non fuerit oblata; nonnullis tantum ex ea communicatis cum Granvellano. Interea magis magisque periculosa fiebat Euangelicorum causa. Praeterquam quod Caesar minus sincere visus fuerit velle pacem, et a concilio Tridentino, quod jam inceperat, nihil boni exspectaretur, ad foedus Smalcaldicum accedere recusarunt Electores, Brandenburgicus, Palatinus, et Coloniensis, ut et Mauritius, Dux Saxoniae, et aliquot civitates, inter ipsos praeterea foederatos aliqua vigeret dissensio. Quibus addatur, foedus, ab Anglis oblatum, fuisse ab ipsis rejectum, Electore Saxoniae, sine solida ratione inprimis ab eo abhorrente, Helvetios quoque exclusos, Landgravio invito, ob infelicem illam quaestionem sacramentariam. Evenerunt denique haud pauca, quae Caesari et Pontificiis propositum esse arguebant, Euangelicos armis opprimendi. Erupit etiam hoc tempore novum bellum cum Henrico Brunsvicensi, qui, spreta Caesaris sequestratione, in quam Elector et Landgravius tandem consenserant, in Ducatum suum, collecto exercitu, irruit, ut eum armis recuperaret. Quod ipsi infeliciter quidem cessit, cum prostratus sit ejus exercitus, et ipse captus: sed Caesar, licet inprobare non potuerit, exacerbatus est, et in Euangelicos incitatus.

§. CXL. Ipsi Luthero acciderunt hoc anno quaedam molesta, memoratu digna, corporis non tantum, sed et animi, respectu. Variis cum laboraret infirmitatibus, in specie calculi dolore, fama non tantum de morte ejus sparsa est, sed et putida, ac malitiosa, fabula ornata, ex. gr. de eucharistia ab ipso sumta, cadavere ejus in altari collocando et adorando, secundum ejus petitionem: de tempestate excitata, et hostia, quam sumserat, in aere suspensa, sepulchro aperto, et, loco cadaveris, foetore sulphureo erumpente etc. Quae putidissima fabula ab ipso Luthero publicata, et false

perstricta

perstricta est, sed puduit ipsos Catholicos, adeo ut, eam a Luthero esse fictam, inpudenter divulgarint. Graviores fuerunt animi moerores, ex variis caussis orti, ex. gr. ex Melanchtonis aliorumque nimis moderatis judiciis de lite Sacramentaria, indeque orto rancore aliquo in Melanchtonem, cujus supra memini, qui tamen ab Electore lenitus est, praeterea ex lite cum Jureconsultis, caussa sponsalium clandestinorum; quae propter multa incommoda, inde orta, abolita voluit Lutherus, denique ex protervia, et luxu foeminarum in vestitu, et aliis rebus. Quibus omnibus adeo fuit exacerbatus ferventioris indolis vir, ut Wittebergam deseruerit, nec, nisi aegre, se ad reditum passus sit ab Electore permoveri.

ANN. 1546.

§. CXLI. Hoc anno, multis notabilibus casibus maxime illustri, ordine enarrandis, cum in concilio Tridentino pergeretur, et Euangelici de modo, in concilio recusando, tenendo, deliberarent, tandem in conventu Francofurtensi, sub finem anni praecedentis, et hujus initium, habito, statutum est, ut caussae recusationis, libello, a Melanchtone conscripto, comprehensae, typis evulgarentur: quod post mortem Lutheri, et ante mensem Mart. peractum est. Exponunt hoc in libello Euangelici, quae eos moverint caussae, ad doctrinam suam et religionem adoptandam et propugnandam, quaeque ejus summa sit, confessione Augustana comprehensa, denique quas ob caussas Concilii decretis stare nequeant, quae huc summatim redeunt. 1. Papa pro Judice agnosci nequit, quia reus est, et graviorum errorum patronus, et autor, hostis insuper euangelicorum manifestus, et persecutor. 2. Judices reliqui, Episcopi et Monachi, vel indocti sunt, vel praejudicata opinione de veritate religionis suae tenaciter inbuti, praeterea Papae devoti, et persecutores, reliqui, qui forte pauci sunt, vel ne hiscere quidem

dem contra ausis, vel non audiendis. 3. Norma non ponitur in verbo Dei, sana ejus interpretatione, symbolis antiquis, et certis Apostolicae doctrinae testibus, sed in sophisticis interpretationibus, ad palliandos errores; in traditionibus recentioribus, et tricis Scholasticis. 4. Locus denique intutus est, etc. Adduntur quoque Veterum exempla, qui Synodis, quas videbant errores esse stabilituras, interesse noluerunt. Exstat, praeter hunc libellum, alia adhuc recusatio, in hoc conventu scripta, quam Legati, ad concilium mittendi, facerent, quae alias etiam continet causas, ex. gr. Papam concilii convocandi jus non habere, Principes Germaniae ei non esse subjectos, concilium non esse Oecumenicum, liberum, et Christianum, nec in loco debito in Germania, ut debebat, collectum. Elector vero Saxoniae, in litteris ad Landgravium, deliberandum proposuit, praeter recusationem Synodi, de *modo* judicandi de controversiis; simul eum commendavit, quem Melanchthon ad Matth. euangelium exhibuit, qui habet 1. certam et veram sententiam Scripturae tenendam, et ex Scripturae harmonia hauriendam esse, 2. addendum Veteris Ecclesiae purioris consensum 3. pios et peritos secum libere et candide conferre debere. Legati etiam Mauritii Saxonis in medium protulerunt, petendum esse concilium omnium nationum Christianarum, in quo sola Scriptura S. audiatur, et cum hoc concilio transigendum ab Euangelicis de omnibus, quae, salva fide et conscientia, possent admitti, in reliquis controversis articulis *tolerantiam* esse constituendam. Sed perstiterunt reliqui in sententia, quae in libellis recusatoriis est expressa, et de libello Melanchtonis in publicam mittendo lucem. Actum praeterea est de foedere Smalcaldico, quod a. 1536. ad decennium erat initum, et nunc exspiraverat, renovando, nova etiam composita formula, sed nihil, nec nunc, nec anno sequente, in conventu Wormatiensi, conclusum est. Multum etiam de causa Coloniensi deliberatum est, sed nihil effectum, nisi quod per plurima suffragia

pro-

dis inpudentem, Johannem Cochlaeum, *Euangelicae* vero Martinum Bucerum, Johannem Brentium, Georgium Majorem, et Erhardum Schnepfium, qui Melanchtonis locum suppleviт. Dissuaserat enim Electori Lutherus Melanchtonis missionem, non ex invidia aut malevolentia, sed quod, ipso teste, colloquium nullius momenti, et Melanchtone indignum, fore praesenserat, nec fefellit eventus. Male enim cessit Euangelicis colloquium, non causae culpa, sed intentionis Catholicorum, et eventus, respectu. Depinguntur utique collocutores Catholici a Protestantibus, tanquam nullius eruditionis, nullius quoque frugis, aut virtutis, Monachi duo inpudentissimi, et Malvenda simul superbiae plenus. Denique Praesides fuerunt Mauritius Huttenus, Episcopus Aichstadiensis, Fredericus, Comes Furstenburgicus, et, qui sub finem additus est, Julius Pflugius; sed et illustres aliqui alii aderant auditores. Post varias, et diuturnas, rixas, de rebus nihili, ut de notariis, de actis occultandis, etc. initium colloquii factum est, die V*to* Febr. Primus articulus, de quo ex Caesaris rescripto disputari debebat, erat de *justificatione*, seu quartus Augustanae confessionis, mirantibus Protestantibus, et regerentibus, jam ante Ratisbonae a. 1541. de eo esse actum, et concordatum. Malvenda vero non de articulo, qualis in Confessione Augustana exstat, disputari voluit, sed de novem thesibus, ab ipso, stilo Scholastico, concinnatis, quae justitiam fidei cum operibus confundunt, et locum relinquunt meritis. Quae omnia luculenter a Protestantibus, in primis Bucero, qui hinc summam retulit laudem, refutata sunt.

§. CXLIV. In quo articulo cum versaretur disputatio, Praesides colloquium interruperunt, Caesaris prolato rescripto, quo nimis durae praescribebantur conditiones, quas Euangelici nec volebant, nec poterant, acceptare, ex. gr. omnes, qui intererant, juratos promittere debere, se nihil de actis vulgaturos, nemini revelaturos esse, antequam Caesari, et Ordinibus, essent exhibita, et Caesar permisisset.

Quae,

Quae, et quorum alia, Euangelicis iniqua, fecerunt, ut Euangelici, jussu Herorum suorum, declararint, se pergere non posse, et sine successu agi, adeoque se domum discessuros, sed redituros, si forma colloquii instituatur aequa et utilis. Colloquio hac ratione dissoluto, Catholicis praebitus est praetextus gloriandi, acsi Euangelici aufugissent, et causa cecidissent: licet per iniquas conditiones vere sit a Catholicis abruptum, ut hinc ansam eam possent adripere. Accedit, sine Notariis et actis fuisse per triduum disputatum, id petentibus et urgentibus Catholicis, unde quidvis de Euangelicis fingendi nata fuit occasio. Inanis itaque et falsus est Catholicorum de victoria triumphus; ut a Majore et Bucero clare est evictum, et ex eorum relatione constat.

§. CXLV. Inter maxima reformationis adversa, quae hunc annum nobilitarunt, locum, ordine temporis, primum, tenet magni reformatoris, *Martini Lutheri*, obitus, qui Mense Februar., anno aetatis sexagesimo tertio, ipsum Islebiae, ubi natus erat, e vivis abstulit. Venerat eo a Comitibus Mansfeldensibus evocatus, ad lites eorum, et inter se, et cum subditis, metallorum causa, componendas. Quo in negotio postquam cum Wolfgango Principe Anhaltino, Johanne Henrico Comite Schwartzburgensi, et consiliariis Comitum, frustra fuisset versatus, inbecillitas ejus, qua jam ante laboraverat, adeo est aucta, ut brevi fuerit mortuus. Vespera noctis, qua exspiravit, coenavit adhuc in majore coenaculo, die 17*mo* Febr., comedit sufficienter, hilaris quoque et jocosus: sed, post coenam, de graviore pectoris compressione questus, lethaliter decumbere coepit, et, inter pias voces, ac preces, in deliquium incidens, manibus complicatis, ingemuit, interque secundam et tertiam matutinam, praesentibus, praeter medicos, Justum Jonam, et filios suos, Alberto Comite cum uxore, et Johanne Henrico Schwartzburgico, placide obdormivit. Unde Wittebergam translatus, jussu Electoris, magnifice est sepultus. Inter ultima ejus dicta et apophtegmata, adtentione digna, est, quod in

poſtrema illa coena dixerit, ipſe tam diu victurus, ut in *Diaboli poſteriora reſpiciant*, hoc eſt, ut ab eo exponantur ludibrio, et ſubſannentur; reſpiciens ad ſpectrum daemonis, ipſi poſteriora oſtendentis, et illudentis, quod fruſtra ibi de concordia laboraret. Verſum quoque, ſub vitae finem, pronunciavit, vel, ut alii referunt, poſt ultimam coenam, parieti inſcripſit creta,

Peſtis eram vivus, moriens ero mors tua, Papa.

Falſas vero de morte, ejuſque circumſtantiis, narratiunculas vel ex rumore avide arreptas, vel et malitioſe confictas, exhibet, et refutat, ſimul veram hiſtoriam ex authenticis monumentis prolixe enarrat, qui legendus eſt, Seckendorfius.

§. CXLVI. Qualis, quantuſque, vir fuerit Lutherus, ex hiſtoria reformationis, et ipſis ejus ſcriptis, quae Latine exſtant, ſeptem voluminibus in fol., abunde eluceſcit. Ipſi Pontificii, qui inique admodum de ipſo judicant, ingenium, eruditionem, et facundiam, ipſi tribuunt, ut Pallavicinus et Maimburgius. Neceſſaria ipſi non defuit in linguis et hiſtoria cognitio, ſed praecipue incubuit Scripturae S., et Patribus, eo ſcopo, ut ſalutarem doctrinam inde hauriret: quo etiam omnes ejus commentarii tendunt. Scripta vero ejus limam deſiderant, cum nimium fuerit diſtractus, omniaque fere ex tempore, ut dicitur, interque mille negotia, et moleſtias, ſcripſerit, et concionatus ſit. Stilus etiam non ſemper politus, ſaepe rudis, eſt, et nec a dictis liberioribus, minus honeſtis, etiam durioribus, in ipſos Reges et Principes, immunis. Quod, etſi non laudandum, temporum ſimplicitate, et indole ejus, excuſandum in multis eſt. Fuit ad iracundiam pronior, et nimio actus zelo, ferre vix potuit diſſentientes, uti in quaeſtione ſacramentaria adparuit. In qua, quod ſummopere dolendum, ſeſe turpiter ſaepe dedit, duraque dicta in adverſarios, ipſo non minores, effudit, ut-

ſtis

fuit locis supra notavi. Hic addere liceat, quod a. 1545., in epistola ad Praepositum Bremensem, inter alia, contorserit verba Ps. I. hunc in modum: *beatus vir, qui non abiit in consilio sacramentariorum, nec steterit in via Zuinglianorum, nec sedit in cathedra Tigurinorum.* Vid. Hospinianus l. cit. Narratur porro, Lutherum, in colloquio cum Melanchtone, dixisse, paulo ante mortem, *fateor, Philippe! in negotio de sacramento esse nimium factum,* respondisse Melanchtonem, *edamus ergo lene scriptum, in quo sententiam nostram clare explicemus,* sed regessisse Lutherum, *ego de hac re quoque solicite cogitavi, sed sic redderem totam doctrinam suspectam.* Cujus colloquii veritatem, ex fide dignis testibus, probare conatus est Hospinianus. Quocum conferenda est *admonitio Christiana* Theologorum Palatinorum de *libro Concordiae* cap. VI., ubi de Luthero, ejusque naevis, et fluctuationibus, prolixe dissseritur. Quae tamen vix cum illis, quae ex Joachimo Morlino, Episcopo Sambiensi, profert Seckendorfius ad hunc annum, conciliari possunt, nisi admittatur, Lutherum aliquando sibi minus constitisse, et nunc mitiorem, nunc acerbiorem, fuisse: quod fieri potuit. Quicquid sit, illud constat, fuisse virum probatae virtutis, et vitae, sinceri pectoris, in primis animi intrepidi, et constantis, postquam aliquem fecisset progressum, in initio enim, ut suo loco notavi, fuit timidior, denique, singulari prorsus fiducia in Deo praeditum, et in precibus adsiduum. Nec tamen austerae, potius hilarioris, fuit pietatis, a jocis etiam et facetiis non alienus. Justus Jonas, in laudatione ejus funebri, duo notabilia memorat Lutheri dicta, quae non possum, quin dictis subjungam, unum, quo optavit, se *primum fidei articulum* de *Creatione* intelligere, in quo adhuc se alphabetarium profitetur, alterum, *se velle, ut articulus de redemtione primicerius et summus haberetur.* Narrat porro, Lutherum dixisse saepe, *se nemini mortalium aperturum esse, quae et quanta propter euangelium passus sit, ut et, quas revelationes sub initium doctrinae habuerit.* Nec tamen revela-

 tionibus,

tionibus, et somniis, multum fidit; ut ipsius verba apud Seckendorfium habent. Fuit sane, ut concludam, singulare in manu Dei instrumentum, ad Ecclesiam reformandam, licet, quod et ipse saepe fassus est, a naevis et erroribus non liber. Erasmus, ut Melanchton in Oratione funebri refert, de ipso dixit: *Deus dedit huic postremae aetati, propter morborum magnitudinem, acrem medicum.*

§. CXLVII. Paulo post Lutherum defunctus quoque est *Fredericus Mecum*, sive *Myconius*, quo nullus fuit inter Reformatores illos sanctior, et candidior, cujus vitam descripsit Melchior Adami, in vitis Theologorum, ne Seckendorfium, et alios, memorem. Natus fuit Lichtenfeldiae in Franconia, et monachum egit Franciscanum Annaebergae. Quam cum auspicaretur vitam; a. 1510, ipsi eodem die in somnio vita monastica sub imagine deserti, et gratia Christi sub emblemate fontis limpidissimi, narratur ob oculos posita. Inbiberat quidem purioris doctrinae semina adhuc puer per institutionem paternam, cum Pater forte Waldensium fuerit discipulus, sed libris Lutheri, quos in angulo abditus legebat, ad ejus doctrinae cognitionem plenius adductus, monasterium deseruit. Singulare ejus est cum Tetzelio colloquium, quod Annaebergae habuit, adhuc in monasterio degens, quo tempore nundinator iste ibi venditabat indulgentias. Versatum fuit circa adpendicem, litteris Papalium indulgentiarum adnexum, quo pauperibus promittebatur indulgentia gratis, propter Deum. Qua clausula fretus Myconius eam gratis petiit, sed repulsam tulit a Tetzelio, licet Latinam Myconii orationem mirabundus audierit. Discessit itaque Myconius, partim dolens, quod voti non esset factus damnas, partim gaudens, esse in coelis Deum, qui mortem nolit peccatoris. Ex quo simul animus elucescit Tetzelii, non nisi nummos intendentis. Postea pastor, et Superintendens, Gothanus factus, per viginti annos summa concordia vixit cum collegis, et ad summi momenti negotia in comitiis, visitationibus, et colloquiis, est adhibitus, ut ex superioribus

rioribus conftat. Quibus hic eft addendum memorabile maxime colloquium cum Francifcano Morbachio Duffeldorpiae a. 1517., quo venerat Myconius in comitatu Johannis Frederici, Electoris Saxoniae filii primogeniti, qui eo ad nuptias erat profectus. In hujus conclavi cum concionaretur Myconius, Corbachius vero in Templo contra Euangelicos publice declamaret non tantum, fed et cum quocunque cfferret colloquium, illud a Myconio eft acceptatum, et, licet una alterave vice a Monacho declinatum, tandem inftitutum, praefente Principe Saxoniae cum fuis, multisque Clivenfis Ducis confiliariis, et nobilibus, aliisque e civibus et plebe. Differuit Myconius de verbo Dei, unica norma, et contra decem Monachi articulos, in Templo ab ipfo propofitos, quorum praecipui autoritatem Ecclefiae et traditionum adferebant; quando Monachus, poft multa convitia, tandem ad filentium redactus, ab ipfo exegit fidei confeffionem: qua data mitiorem induit animum, quin confenfum fuum eft teftatus. Qua ratione licet fuerit convictus, poftea tamen ad vomitum rediit, etiam, fe fuperiorem difceffiffe, et Myconium in partes fuas traxiffe, fpargere aufus eft. Vid. Seckendorfius l. I. Ceterum, uti vixit, fic mortuus eft, fumma cum fiducia, ut ex noviffimis ejus litteris ad Rorarium, apud eundem l. III. patefcit. Defuncto die 8*vo* Aprilis parentavit Juftus Menius, Superintendens Ifenacenfis, qui ejus doctrinam et fidem, praefertim de juftificatione peccatoris, inpenfe laudat, apud Seckendorfium in fupplemento 55. ad hiftoriam Lutheranifmi.

§. CXLVIII. Ad comitia Ratisbonenfia antequam veniam, funeftus cafus, qui Ratisbonae, durante colloquio, contigit, quique Proteftantibus haud uno nomine aegre fuit, et Pontificiorum animos magis denudavit, verbo adtingendus eft. Fraudulentam innuo, et violentam, Johannis *Diazii*, Hifpani, caedem, a fratre Alphonfo, advocato in curia Romana, qui eo fine Ratisbonam advolaverat, procuratam per ficarium, nulla alia de ratione, quam quod doctrinae euan-

gelicae se tradiderat Diazius. Quam historiam, praeter Thuanum l. XVI., Seckendorfium, qui de Diazii colloquio cum Malvenda etiam agit, et praeclarum ejus confessionem, lectu dignam, recenset, denique Crispinum in actis Martyrum, fusius enarravit Claudius Senarclaeus, nobilis Sabaudus, autor aequalis: quae etiam in *scrinio* Cl. Gerdesii tom. VIII. reperitur. Johannes vero Diazius, studiis in Academiis Hispaniae et Lutetiae praeclare confectis, et per Lutheri ac Calvini libros euangelicam doctrinam edoctus, primo ad Calvinum, dein Argentoratum ad Bucerum, se contulit, in Calvino sibi minus placens, et in hujus comitatu Ratisbonam venit, ubi in cubiculo eo, quo dixi, modo, nefarie occisus est, absque ut homicidae, licet deprehensi et capti, poenas dederint, frustra innocentis sanguinis vindictam flagitantibus Euangelicis.

§. CXLIX. Caesari, a Papa, et pravis consiliariis, instigato, propositum esse, ut comitia Ratisbonensia paucis enarrem, viam ad concordiam obstruere, et Euangelicos armis opprimere, cum ex multis indiciis perspicerent Protestantes: hi in unum coacti Francofurti, legatos suos, uniformiter conscripta formula, instruxerunt, qui declararent, narratis superiorum temporum actis, et Pontificiorum secum, et a se, Euangelicos pactis illis stetisse, et cuique in provincia sua liberam de religione dispositionem relinquere, eandem et sibi permitti postulare, suspensis usque ad concordiam edictis Augustano, et aliis, contra eam factis, nec non processu Camerae constituto secundum recessum Comitiorum a. 1544., praeterea, si secum vi agitur, se protestari, et coram Deo ac toto orbe excusatos se velle, quod per se non steterit, quo minus pax fuerit servata, seseque porro ad omnia legitime defensionis media esse paratos. Addita est prolixa excusatio rupti colloquii, cujus invidia Caesar gravabat Protestantes, nec non manifesta Concilii Tridentini recusatio. Interfuerunt comitiis, praeter Caesarem et Catholicos, ex Protestantibus, sic dictis, Albertus Marchio Brandenburgicus

denburgicus Byruthensis, de religione et reformatione contemtim loquens, Ericus junior Dux Brunsvicensis, non magis religiosus, Johannes Marchio Brandenburgicus, qui a foedere defecit, et Mauritius, Dux Saxoniae, qui cum Caesare tractavit. Reliqui Principes Euangelici, comparere detrectantes, legatos, probe instructos, ut modo dixi, miserunt. Cum Caesar de Principum absentia, et abrupto colloquio, conquestus esset, inducias quoque anni cum Turcis pactas significasset, re in deliberationem missa, responderunt Catholici, standum esse concilio Tridentino, et ad id adigendos esse Protestantes. Euangelici vero pacem et jus aequabile postularunt, et contra Concilium protestati sunt. Ipse Caesar animum de Protestantibus, qui se subjicere nolint, vi in ordinem redigendis, clare satis patefecit, iisque crimen rebellionis inputavit, et propterea, simul quod intelligeret, arma ab illis contra se parari, et ob religionem contra eos violentia usurum. Qua ratione discesserunt Legati Protestantium, et omnia ad extremum erant adducta. Caesar vero brevi decreto dimisit comitia, quo sibi nihil nisi pacem fuisse, et esse, in animo, declaravit, sed per absentiam Principum et Electorum nil agi potuisse, adeoque nova comitia sequente anno esse habenda, Cameram praeterea confirmavit, ejusque judicia adprobavit. Quibus peractis, Caesar, postquam tormenta bellica Vienna accepisset, Landshuttum versus, cum copiis, quas secum habebat, profectus est, ibique posuit castra, Italica exspectans auxilia. In Saxonia quoque, et aliis Euangelicorum provinciis, omnia fuerunt ad bellum parata.

§. CL. Erupit quoque hoc ipso anno bellum, sic dictum *Smalcaldicum*, inter Caesarem et Ferdinandum, copiis Papae, et sociorum Catholicorum adjutos, ab una parte, et Electorem Saxoniae, ac Landgravium Hassiae, cum sociis Smalcaldici foederis, ab altera: ita tamen, ut nonnulli Euangelici sese partibus Caesaris adjunxerint, vel duris conditionibus ipsi sint reconciliati, inter quos fuit Ulricus Wirtenburgensis

tenburgenſis Dux, Fredericus Palatinus, Ulmenſis, et alii. Ipſe Mauritius, Dux Saxoniae, cum Caeſare fuit, et terras Electoris occupavit, eo etiam ſcopo, ut eas a vaſtatione redderet tutas, eaque ratione motus, ut Caeſari obediſſet; quem ſibi de religione caviſſe adſeruit. Rex quoque Daniae, licet foederatus, auxilia non miſit. Arguit quidem Grammius in praefatione ad Cragium in hiſt. Chriſtiani III., regem foederatos non deſeruiſſe, aut foedus prodidiſſe, quod hi bellum non defenſivum, ſed offenſivum, moverint Caeſari, iiſque quadragies mille aureos miſerit: ſed, num illud regi excuſando ſufficiat? neſcio. Ceterum Caeſar, ſe bellum non religionis cauſa, ſed ut rebelles et inmorigeros Principes in ordinem redigeret, incipere, publicis declaravit litteris, ſimul Duces foederis proſcripſit: ſed Principes foederati manifeſtum fecerunt, religionem et libertatem Germaniae omnino a Caeſare peti, 1. quia foedus hoc ſcopo cum Papa pepigit, et ejus copiis adjuvatur. 2. Caeſarem pacificationes religioſas, neceſſitatis tantum ergo, feciſſe, et ut opportunum tempus decretum Auguſtanum exſequendi exſpectaret, e multis indiciis conſtat. 3. Perſecutionem religionis cauſa inſtituit multis in locis. 4. Papa denique in litteris ad Helvetios id aperte faſſus eſt. Putavit quidem Caeſar foederatos opprimi potuiſſe inparatos, ſed opinio eum fefellit. Tanta enim eorum fuit diligentia, tantus hominum ardor, ut Landgravius copias in hoſtes, antequam exſpectaverint, duxerit. Conati quidem ſunt inpedire copiarum Papae, Duce Farneſio, conjunctionem cum Caeſareanis, ſed illud non praeſtiterunt: nec etiam commodas agendi occaſiones ſemper adripuerunt, Electore et Landgravio, pari autoritate pollentibus, nonnunquam inter ſe diviſis. Nec parum diſturbati ſunt eorum conatus, quod Mauritius terras Electoris in poteſtatem redegerit, et alii foederati deſciverint, ut modo notavi. Minus feliciter itaque hoc anno res eorum ſucceſſerunt.

§. CLI. Hoc ipſo tamen turbulento, et periculoſiſſimo, tempore

tempore religionem Protestantium publice adoptavit *Leutkircha*, urbs Inperialis Sueviae, quae eam, post confessionem Augustanam a. 1530. editam, desiderare jam coeperat, communicatis cum praeconibus Constantiensibus consiliis, sed quam hucusque inpediverant factiones in urbe concitatae per Johannem Fabrum, ibi natum, Episcopum Viennensem, qui acriter restitit. Perruperunt vero hoc anno omnia obstacula cives, evocato a Memmingensibus Johanne Schalheimero. De quo vid. Seckendorfius. Denique, quod maximopere dolendum, nec hoc tempore a litibus, ac persecutionibus, abstinuerunt ipsi Euangelici. Thomas enim Neogeorgus, alias Kirchmaier, Bavarus, et Calensis in Thuringia Pastor, dissidio inter ipsum et Casparum Aquilam, Superintendentem Salfaldensem, orto, ad consistorium Vinariense citatus, quod inperata facere nollet, et censuram metueret, cedere coactus est provincia, nullam aliam ob causam, quam quod cum ad Zuinglianam opinionem propendere visus sit, a qua tamen accusatione se aliquatenus purgavit, tum ad Calvinianam sententiam de absoluto electionis decreto, et gratiae inamissibilitate, accessisse videretur. Cujus Neogeorgi exstat Ecclesiasticorum dogmatum epitome, rythmice conscripta, et Lugduni a. 1562. edita.

ANN. 1547.

§. CLII. Bellum Smalcaldicum, quod Elector et Landgravius, superiore calamitate nihil deterriti, strenue urserunt, in initio prosperum, infelicissimum habuit hoc anno exitum, et finitum est, postquam multas per Germaniae partes produxisset vastationes, maxime per Hispanos et Hungaros, qui inmaniter grassati sunt. Elector Saxoniae movit in principio anni contra Mauritium, prosperrimo cum successu. Amissa non tantum recuperavit per Thuringiam et Misniam, sed et Mauritium oppidis suis exuit, exceptis tantum

Lipsia et Dresda; Magdeburgum quoque et Halberstatensem Episcopatum sibi vindicat, facta cum Johanne Alberto Episcopo transactione: Lipsiam obsidione tenet, Rochlitium, quam defendebat Albertus, Marchio Brandeburgicus, capit, et ipsum Albertum fugientem in potestatem redigit. Sed, fortuna vertente, Caesar, conjunctis copiis cum Ferdinando et Maximiliano, summa usus celeritate, Electorem haud procul Mulberga ad Albim deprehendit, et praelio commisso vincit, ipsumque Electorem, heroice dimicantem, accepto vulnere adverso per sinistram maxillam, capit. Potuisset, ut creditur, se tueri Elector, si totum exercitum secum habuisset, nec divisae fuissent copiae, partim Wittenbergae, et alibi, in praesidiis, partim in itinere. Captus cum ipso est Ernestus Brunsvicensis, sed filius Electoris, natu maximus, accepto vulnere, Wittenbergam se recepit cum 400 militibus, ex fuga superstitibus. De qua pugna, et Electoris captivitate, quaedam exstant notanda in litteris J. Halleri; in *Tempe Helvetica* tom. VI. Elector ad Caesarem adductus, *sisto me Tibi captivum*, dixit, *Caesar Clementissime! et ut custodiam mihi ponas, Principe dignam, oro*, regessit Caesar, *nunc ergo tibi sum Caesar, accipiam te pro merito.* Tendit vero Wittebergam, et, prope eam positis castris, Electorem ad mortem condemnavit, tanquam rebellionis reum; Elector, nihil consternatus, respondit tantum, *sibi hoc inopinanti accidere.* Vitam quidem ipsi intercessione sua inpetravit Elector Brandenburgicus, qui, hac clade audita, quam citissime eo advolavit, sed in durissimas conditiones. Initio praescripserat Caesar, ut quicquid concilium aut Caesar de religione decerneret, adprobaret Elector, sed, ipso hoc constanter recusante, missum mox fecit. Inter conditiones, quas acceptavit, erat, ut Electoratui, suo et liberorum nomine, renunciaret, et Caesaris arbitrio traderet, Camerae judicio pareat, foedus contra Caesarem nunc et in futurum abneget, ademta restituat, denique in custodia maneat Caesaris, aut ipsius filii, Hispaniarum Principis.

pis. Praeterea bona ejus publicavit, et Ferdinando ac Mauritio donavit, annuo tantum reditu relicto uxori et liberis, Electoratum concessit Mauritio. Conciliatus quoque est Caesari similibus fere conditionibus Landgravius Hassiae, intercedente et spondente Mauritio cum Brandenburgico et Palatino, sed ita, ut, ad Caesarem accedens, se cum provincia dedat, veniam supplex petat, et tunc liber dimittatur. Quae cum praestitisset Landgravius, in genua coram Caesare devolutus Halae, ubi tunc erat Caesar, in gratiam quidem receptus, sed libertati non est redditus. Quod aegerrime quidem tulerunt intercessores, qui fide data id promiserunt Landgravio, et propterea ejus libertatem urserunt, sed responsum tulerunt, Caesarem *perpetuam* tantum in animo habuisse detentionem, nec nisi generale promissum, quicquid instarent, acceperunt, nec ipsi Ordines comitiorum Augustae, idem postea petentes, aliquid inpetrarunt. Unde postea novum ortum est, longe feliciore successu, bellum Mauritianum.

§. CLIII. Bello hac ratione finito, Caesar expilavit Germaniam, ingente pecuniae summa ab Ordinibus petita, et inpetrata, usque ad decies sexies centena aureorum millia, causa belli pro libertate Germaniae, ut praetendebat, gesti. Quosdam etiam ut rebelles gratia exclusit, ut Georgium Wurtenbergicum, Albertum Mansfeldium, et alios. Proscripti etiam sunt Magdeburgenses, et Ferdinandus ob bellum, suis finibus illatum, pecuniam a Smalcaldicis exegit, praesertim a nonnullis civitatibus: imo Ulrico Wirtenbergensi, licet pacem a Caesare redemisset, litem fecit de tota Provincia. Quibus peractis, Caesar Comitia habuit, sed armata, Augustae; ubi mox primarium Templum, et alia quaedam, sibi vindicavit, reliquis Senatui et populo permissis. Caesar cum Saxone captivo, sed Landgravio relicto captivo Donawerdae Hispanis, qui eum vario habuerunt ludibrio, adpulsus Augustam, in deliberationem praecipue misit causam religionis, et Concilii Tridentini, dum sessio

cum Bononiam esset a Papa translatum, et alii mansissent Tridenti; nec non Camerae constitutionem. Votis hac super re divisis, cum Ecclesiastici e septemviris concilium urserint sine ulla conditione admittendum, Palatinus, Brandeburgicus, et Mauritius aliud voluerint, liberum, pium et Christianum, recusato Papa, reliqui Principes et Ordines concilium censuerint continuandum Tridenti, simul ut Protestantes, salvo conductu accepto, audiantur, sed et pareant decretis Synodi: Caesar in submissionem quoque decrevit, nihilque non egit, minis etiam et blanditiis usus, ut Palatinus et Mauritius in eam consentirent: quod etiam effectum est. Reliquae Civitates eo compulsae sunt, ut scripto declarent, quibus conditionibus probent concilium. Quod Caesar in favorem adripuit, et de earum consensu interpretatus est. Qua ratione cum de reformatione, et libertate religionis actum videretur, novum est objectum obstaculum, per dissensum de *loco* concilii; quem Caesar ac Ordines voluerunt esse Tridentum, sed Papa cum Synodo, jam congregata Bononiae, eam ibi continuari contendit. Quare Caesar, qui Papam inde abstrahere non potuit, iratus aliam est ingressus viam, lites scilicet religionis componendi per librum *Interim*; et per legatos solenniter est contra Synodum Bononiensem protestatus, eamque declaravit nullam.

§. CLIV. Refert itaque Caesar ad Comitia, causam concilii in suspenso manere, nec litem illam de ejus loco tam cito finiendam esse, cum Papa ad illud Tridentum revocandum minus inclinare videatur: utile ergo esse, ut de medio aliquo conciliationis deliberetur, quod *interim*, donec res in concilio fuerit terminata, valeat, et in quo consentiant omnes. Quam historiam luculenter enarravit Schmidius in historia *Interimistica*. Electi itaque sunt ad libellum, qui doctrinae, ceremoniarum, et emendationis capita continet, conscribendum tres viri docti et moderati, Julius Pflugius, nunc Episcopus Numburgensis, ejecto Amsdorfio, Michael Sidonius,

Sidonius, Suffraganeus Moguntinus, et Johannes Agricola Islebius, de quo supra egi. Ipse libellus brevi post ab iis concinnatus est et exhibitus; qui totus exstat in hist. Eccles. Osiandri centur. XVI. et summatim apud Sleidanum lib. XX. Principia Pontificia in eo sunt conservata, tantum mollius proposita, et incrustata, nec Protestantibus vix aliud quid concessum est, quam communio sub utraque, et conjugium Clericorum. Libellus saepe, sub incudem missus, et mutatus, tandem Ordinibus a Caesare propositus, et ab iis non tam adprobatus est, quam *non inprobatus*. Eo enim per scribam recitato in Comitiis, Moguntinus mox, qui primum inter Electores tenebat locum, Ordinum sententiis non requisitis, Caesari tanquam omnium nomine gratias egit, omnesque parere debere dixit. Quam gratiarum actionem Caesar pro communi habuit adprobatione, nec ullam postea excusationem admisit, librum quoque jussit typis vulgari Latino et populari sermone.

§. CLV. Sed libellus in lucem hac ratione emissus, eodem modo non est ubique acceptus. Elector Brandenburgicus Joachimus, Caesaris adulator, in ejus gratiam, cum Palatino, admisit, sed frater ejus Johannes Brandenbergicus, Caesari insinuavit, sibi probari non posse, nec per suam ditionem aliquid mutavit. Wolfgangus Bipontinus, e familia Palatina, quoque recusavit. Wirtenburgicus Princeps e contra recitari eum jussit pro concione, et, ne quis ab eo discedat, edixit: imo Ecclesiae ministros, qui non adprobabant, dimisit, inter quos fuit Schepfius. Augustano Senatu consultante, et timidum se ostendente, inde abiit Wolfgangus Musculus Bernam Helvetiorum. Halam quoque deseruit Johannes Brentius, qui multa subiit discrimina, occulte receptus ab Ulrico Wirtenbergico. Sueviae civitates fere omnes sese submiserunt Caesari, quare Andreas Osiander, Noriberga derelicta, petiit Prussiam. Quam sortem et alibi qnoque subierunt Doctores. Constantienses, a Caesare jam proscripti, eam vi et metu adacti receperunt,

multis urbem deserentibus, inter quos fuit Ambrosius Blaurerus, praecipuus Ecclesiae minister. Imo cum ad incitas essent redacti, sese in perpetuum tradiderunt domui Austriacae, quare Ferdinandus eos in tutelam recepit. Saxo e contra captivus constantem in puriore doctrina euangelica demonstravit animum, nequicquam omnia agente Caesare, ad eum permovendum, quam ob causam durius est in posterum tractatus. Landgravius sese sub spe liberationis ad placitum Caesaris per omnia composuit, si verae sint litterae, sub ejus nomine pervulgatae, nec tamen voti compos factus est, quin Hispanorum custodia modo huc, modo illuc, translatus. Filii vero Electoris Saxoniae sese libello opposuerunt, nec liberae civitates ad illum adsumendum permoveri potuerunt. Denique, ut alia mittam, Archiepiscopi Germani, in primis Moguntinus, Coloniensis, et Trevirensis, conventus egerunt ad Ecclesiam secundum formulam Caesaris reformandam. Conscribi enim Caesar jusserat, praeter librum *interim*, reformationis formulam, cujus summam recenset Sleidanus l. XX., qui etiam lib. XXI. decreta Archiepiscoporum exhibet, et ceremonias consecrationum, et exorcismorum, ac lustrationum, revocatas describit. Argentinenses, ut illud anticipem, postquam diu restitissent, tandem cedere aliqua ratione debuerunt, et decreti Augustani executionem, sed cum aliquo temperamento, admiserunt anno sequente: quando Senatus tria in urbe sua Templa concessit Episcopo, et sacra Pontificia, annis 21. intermissa, ibi sunt a. 1550. renovata.

ANN. 1549.

§. CLVI. Nata est hoc anno, occasione libri *Interim*, acris controversia *Adiaphoristica* dicta, inter Saxones et alios Euangelicos: quae historia, ob quasdam circumstantias varie relatas, paulo intricatior, petenda est ex Flacio de Adiaphoris,

diaphoris, et in narratione *actorum et certaminum* ſuorum, nec non ex Epiſtolis Melanchtonis, ac Schluſſelburgio in *catalogo haereticorum.* Addendus eſt, praeter Schmidium in *hiſtoria interimiſtica*, G. Arnoldus in hiſt. Eccleſ. l. XXI., qui in ſpecie enarrat, quantis animorum motibus agitata fuerit inter Proteſtantes haec quaeſtio. Mauritius, Elector Saxoniae, ut rem ſummatim paucis tradam, domum redux, Nobiles et Ordines convocavit, de libro *Interim* conſulturos. Qui cum Auguſtanae confeſſionis religionem, ſibi, ſecundum Caeſaris et Mauritii promiſſum, relinqui integram urgerent, decretum eſt, ut Theologi Wittebergenſes et Lipſienſes in unum coacti ſententiam dicerent. Variis itaque in locis, et ultimo Lipſiae habito conventu, decretum eſt formatum de rebus *mediis*, et de iis, quae *adiaphora* adpellantur, conſcriptusque libellus, formulam religionis complexus, quam Eccleſiae per Mauritii ditiones ſequerentur. Unde ingentes ſunt ſuſcitatae lites, et Adiaphoriſtae nati. Quo nomine veniunt, qui, ſeſe tempori adcommodantes, ceremonias Catholico-Romanas, tanquam *indifferentes*, tolerari poſſe, ſalva modo fide, contendebant: ſed alii urſerunt, ſalva fide euangelica, ſalva libertate Eccleſiae, eas ferri non poſſe, imo, ſpecie hac Pontificia introducta, viam ad religionem Euangelicam abolendam, et Pontificiam invehendam, ſterni, hac etiam poſita regula: *omnes ceremonias et ritus, quantumvis natura ſua ſint indifferentes, non amplius eſſe adiaphora, cum vis et opinio cultus et neceſſitas accedit, et cum impietatis datur occaſio.* Adiaphoriſtae praetendebant, Eccleſiam non eſſe deſerendam, propter non neceſſaria non pugnandum, in adiaphoris proximo ſerviendum, ſalva et integra doctrina coeleſti, in ceteris eſſe tranquillitati conſulendum etc. Sed adverſarii objecerunt illis nimium rerum corporalium amorem, metum, et fugam crucis, puſillanimitatem, vanaſque opiniones, acſi fides nihil inde caperet decrementi. Denique Adiaphoriſtae quoque admiſerunt, vocem *ſola* fide in juſtificatione poſſe omitti, bona opera

 dici

dici ad salutem necessaria, licet non meritoria, et liberum arbitrium aliquid adferre in conversione.

§. CLVII. Praecipui Adiaphoristae fuerunt Saxones, uti novus Elector Mauritius cum aula, Theologi Wittebergenses et Lipsienses, quorum principes erant Melanchton, genio suo nunc post Lutheri mortem indulgens, Georgius Major, Pomeranus, Eberus, Daniel Menius, et alii Melanchtonis discipuli: qui communi titulo nunc Misnienses dicti sunt. Adversarii erant plerique Germaniae Theologi, in primis Luneburgenses, Hamburgenses, Magdeburgici, etc. Matthias Flacius, hujus tragoediae autor, de quo mox, Nicolaus Gallus, Johannes Wigandus et Aepinus, Joachimus Westphalus, alii. Ceterum Melanchton postea videtur retractasse sententiam in epist. ad Flacium, a. 1556. scripta, et controversia in *formula*, sic dicta, *concordiae* est decisa. De quo suo loco. *Flacius* vero *Illyricus*, a gente patria cognominatus, in Melanchtonem praecipue irruit, eumque exponere conatus est omnium odio, et falsis criminationibus, et erroribus ipsi inputatis, ex libris ejus collectis. Sed hic ipse zelota postea motus dedit per opinionem de peccato *originis*, substantiali in homine corrupto, et non accidentali. De quo colloquium fuit habitum inter ipsum et Jacobum Andreae a. 1571., et Jacobum Colerum a. 1574. unde patet, quaestionem haud parum de logomachia traxisse. Vid. Stollius in Miscell. Lipsiens. tom. I.

§. CLVIII. Laborarunt vero hoc anno Caesar et Papa in Germania ad gremium Ecclesiae, qua vi, qua blanditiis, reducenda. Venerunt utique tres Episcopi, Legati Pontificis, ad Caesarem, cum *indultu* Papae, ut adpellatur, quo errantes et poenitentes recipi permittitur sine publica confessione, abjuratione, et satisfactione, ita tamen, ut Ecclesiastici dimittant uxores, praeterea, communio sub utraque specie, modo scandalum non praebeatur, conceditur, si eam sub una non damnent, et quae sunt similia. Jussit Caesar, ut omnes huic decreto pareant: quod concionatores per

ditiones

ditiones Landgravii recusarunt. Denique, cum *Paulus Fagius*, hoc, vel sequente, anno mortuus, celebre sit nactus nomen, de eo pauca sunt subjungenda. Paulus, Germanice dictus Buchlin, Latine Fagius, in tabernis Rhenanis, oppido Palatinatus, natus, ex patre Ludimagistro ejus oppidi, mediocris admodum sortis, studiis operam dedit Heidelbergae, sub Brentio inprimis et Frechto, dein Argentinae munus paedagogi obiit, et Hebraica studia maxime excoluit: dein Jenae Ludimagister fuit, et postea pastor euangelicus, denique Argentorati, ubi Theologiam extraordinarie docuit. Tandem, ab Interimistica factione expulsus, in Angliam vocatus, et profectus est cum Bucero: Cantabrigiam vero delatus, morbo jam laborans, ibi mortuus est, annos 45 natus, haud diu post. Vir fuit doctus, maxime in Hebraicis; multumque in ea scientia praestitit, varia ex lingua illa transtulit, et notis illustravit; nec eloquentia ac libertate destitutus in concionando.

ANN. 1550.

§. CLIX. In Comitiis, hoc anno Augustae habitis, Caesar proposuit de concilio Tridentino continuando, de servando decreto *Interim*, mulctandis rebellibus, et de restitutione jurisdictionis, ac bonorum sacrorum. Placuit de concilio parti majori, sed per Legatos excepit Mauritius, res esse ab initio in concilio tractandas, Theologos Augustanae confessionis non solum audiendos, sed et decidendi cum potestate, nec Papam sessurum judicem, Episcopos denique a jurejurando, quo obstricti erant Papae, liberandos esse. Julius vero Papa, concilium Tridenti continuandum esse, edita bulla, promulgavit. Caesar autem urfit, ut formulae *Interim* et *emendationis* executioni severius mandarentur; male enim observabantur, cujus rationes exhibet Sleidanus lib. XXII. Interea Landgravius, Mechliniae adservatus, suam liberationem, per filios et consiliarios, instan-

ter postulavit, etiam fuga evadere tentavit, sed infelici successu; Mauritius tamen filiis est pollicitus liberationem, vel sanguine suo procurandam; verum tempus nondum esse opportunum. Magdeburgici, a Caesare proscripti, bello sunt petiti a Georgio Megelburgico, nunc etiam a Caesare, Duce ipso Mauritio, sed sese strenue defenderunt, et anno sequente pacem a Mauritio consecuti sunt.

ANN. 1551.

§. CLX. Ingens hoc anno accidit rerum mutatio, terminata dein in libertate religionis, concessa Euangelicis. Erupit bellum Parmense inter Caesarem et Gallum, et cum Turca instabat. Caesar, bulla Papae de concilio adprobata, Germanos quidem, ut Synodum adeant, fide data publica, hortatus est instanter, sed Mauritius, ea non contentus, et exemplo Hussi absterritus, caveri voluit Theologis suis ab ipsis Praelatis Tridentinis. Cujus etiam jussu conscriptus est a Melanchtone libellus fidei, in concilio exhibendus, a Theologis Saxonicis adprobatus, titulo *repetitae confessionis Augustanae* insignitus, pro cujus interpretatione haberi potest. Quod idem, jussu Principis Wirtenbergici, factum est a Johanne Brentio. Sed quae omnia per bellum Mauritianum cum Caesare disturbata sunt. Mauritius, cum Pontificiis nihil in animo esse perspiceret, quam euangelicorum doctrinam exstinguere, cujus specimen jam datum erat Augustae, Euangelicis ab Atrebatensi Episcopo ob constantiam in fide sua expulsis, concilium quoque Tridentinum de securitate Protestantium non satis caveret, denique socerum Landgravium nulla liberare posset ratione, animum serio ad bellum adpulit. Quo fine pacem cum Magdeburgensibus fecit, sub conditionibus, quae publicatae sunt, Caesari gratis, sed, ut eos sibi devinciret, de religione ipsos privatim reddidit securos: manus cum Rege Daniae, ac multis Germaniae Principibus, ipso Rege Galliae, qui Caesari jam apertum

cum movebat bellum, junxit, sed, ne propositum pelluceret antequam bene paratus esset, animi pacifici, nec a concilio plane alieni, praetulit speciem. Egit itaque cum Electore Brandenburgensi per legatos apud Caesarem, ut Landgravius dimitteretur, cum honoris sui interesset, ne diutius detineretur. Caesar generali eos dimisit responso, seque cum Mauritio, qui Caesarem conveniendi spem fecerat, ea de re acturum dixit. Missi quoque sunt legati, Saxonici, Wirtenbergenses et Argentinenses, ad Concilium, cum eo de formula securitatis, et modo admissionis Theologorum suorum, acturi: qui nec talem, qualem volebant, et antea Bohemi a Synodo Basileensi habuerant, consequi, nec de modo habendi concilii, convenire potuerunt. Quare omnia tandem, per bellum, quod anno sequente incepit Mauritius, abrupta sunt. De quo mox, postquam Buceri, hoc anno defuncti, brevem dedero notitiam.

§. CLXI. *Martinus Bucerus*, de quo saepe supra egi, et cujus vitam conscripsit Melchior Adami de *vitis Theologorum*, natus Selestadii in Alsatia a. 1491., studia confecit Heidelbergae in omni scientiarum genere, puriorem vero doctrinam ex Erasmi et Lutheri scriptis hausit, et dein publice docuit, primum apud Franciscum a Sickingen delituit, dein eo defuncto, Argentinae sedes fixit, et pastorem egit, tandem, rebus in Germania turbatis, cum Fagio in Angliam tetendit; et hoc anno diem obiit supremum, variis relictis scriptis, nemini non notis. Character ejus fuit, paci studere, controversias minuere, adversarios audire patienter, iisque respondere leniter, veritatis potius, quam victoriae, habere rationem. Fuit insuper Vir Doctus, et in disputando felix, simul acutus, ita ut, teste Contareno Cardinali, *omnibus Doctoribus Pontificiis opponi possit*.

ANN. 1552.

§. CLXII. Opportuno admodum tempore in nervos erupit

 bellum

bellum Mauritii cum Caesare. Praeterquam quod hic, nihil tale quid a Mauritio exspectans, et rumoribus fidem denegans, inparatus plane esset, Henricus, Galliae Rex, infesta in Lotharingiam signa jam, prout inter eum et Mauritium convenerat, intulit, et Ferdinandus bello erat inplicitus in Hungaria et Transylvania. Mauritius itaque, in publicum emissis litteris ad Ordines Inperii, causas belli exponit, praecipue sequentes, religionis puritatem et libertatem, quam Pontificii opprimebant, et exstirpatam vellent, Landgravii liberationem, et Germanicae libertatis, quam cum intoleranda servitute Caesar commutare conabatur, instaurationem. Quibus litteris subscripsit Johannes Albertus, Dux Megelburgicus, eo praecipue scopo, ut religio sit sarta tecta. In eandem quoque fere mentem scriptum edidit Albertus, Marchio Brandenburgicus, et ipse Henricus, Galliae Rex, litteris ad Caesarem scriptis, se Germaniae liberationem in oculis habere, declaravit. Quibus factis, Principes, ut Mauritius, Ludovicus filius Landgravii et Marchio Brandeburgicus, conjunctis copiis, urbes in deditionem capiunt, ipsamque Augustam, evocantque superioris Germaniae civitates, et inter eas Noribergam, ut Augustae compareant. Galliae quoque Rex oppida Inperii ad Galliae fines occupat, et Lotharingiam invadit. Metin etiam, urbem Inperii celebrem, sibi vindicat. Marchio denique Brandeburgicus vastat agrum Ulmensem, et foederati occuparunt provinciam Ottonis Henrici Palatini, qui et ipse sese iis adjunxit.

§. CLXIII. Quo in rerum statu egit Ferdinandus cum Mauritio de pace, multis de Caesare promissis, et inducias a 26. Mai ad 8. Jun. pepigit. Caesare interea copias ad Alpium radices colligente, quae Rurae oppido conveniebant, socii Principes, antequam induciarum tempus incipiebat, tetenderunt ad fines Alpium, Caesareanos profligarunt, et Caesarem, qui Oenoponti degebat, praecipitem in fugam dederunt. Tempore vero induciarum adpropinquante, Mauritius

ctius. esse Passavium, inter Ratisbonam et Lincium, ad Danubii et Oeni confluentem, locum paci ineundae destinatum, confert, ut de pace tractaretur. Quae transactio cum Ferdinando et Principibus pacificatoribus facile, sed cum Caesare difficilius, processit, quia Mauritii et sociorum postulata per omnia nolebat adprobare. Tandem tamen, in has conditiones peracta est pacificatio. 1. Landgravius sub conditionibus, ante Halae definitis, dimittetur. 2. Conventus Inperii, intra sex menses convocatus, de summa religionis et status Inperii definiet. 3. Quod in comitiis de religione concluderetur fixum erit et ratum, et interea pax ab omnibus colenda est, ac nemini exhibenda molestia. 4. Ad Cameram Inperii admittendi quoque sunt confessionis Augustanae socii. 5. Proscripti liberabuntur, Ottoni Henrico possessio ditionis recuperata relinquetur, de damnis alicui hoc bello illatis nulla movenda est quaestio. Consensit in hanc pacem, licet aegre, Gallus, eo in primis motus, quod manifestum Landgravio inminere periculum, nisi pax fieret, intellexerit. Sed Marchio Brandeburgicus pacem non tantum adsumere recusavit, qui et jam ante res suas separatim agere inceperat, sed et multas cepit Urbes, ac vastationes varias circumtulit, praecipue inter Pontificios, et Episcopos. Sed et ipse hoc anno Caesari reconciliatus est. Pacem secuta est Landgravii dimissio, ut et Saxonis, qui, paulo ante e custodia liberatus, nunc humanissimis verbis est a Caesare dimissus: cui Melanchton super reditu gratulatus est. Denique revocati sunt, et restituti, ministri Euangelici Augustae, et alibi.

§. CLXIV. Cum, praeter Casparem Hedionem, praecipuum Argentinensis Ecclesiae ministrum, mortuus hoc anno sit *Andreas Osiander* Regiomonti, quod est primarium Prussiae oppidum, cujus per controversiam Osiandrianam celebrius factum est nomen; ejus aliqua hic danda est notitia. Fuit ipse, omnium consensu, eruditus, et in omni fere scientiae genere exercitatus, dono etiam eloquentiae prae-

men, zelo suo, nacti sunt, Fredericus Staphylus, Professor Regiomontanus, dein apostata Pontificius, Martinus Chemnitius, Bibliothecarius Regiomontanus, Joachimus Morlinus, a Duce ad lites componendas vocatus, in principio moderatus, dein acerrimus, eo etiam usque, ut Osiandristas excommunicaverit non solum, sed et ab honesta arcuerit sepultura, aliisque modis vexaverit, denique, ne alios memorem, Franciscus Stancarus, qui, in alterum extremum prolapsus, docuit, Christum esse justitiam nostram secundum solam humanam naturam, et postea ad Polonos se contulit. De quo in historia Socinianorum dicam. Plura qui de historia hujus controversiae velit, adeat, praeter Schlusselburgium l. cit., studio partium abreptum, Lucam Osiandrum in hist. Eccles., Hartknochum in Prussia Vet. et Nov., Sleidanum l. XXII., ne aliorum faciam mentionem.

§. CLXVI. Inter exteros, ut illud addam, nemo fuit vehementior adversarius Calvino, qui profani animi indicia in Osiandro, pro zelo suo reperta, vulgavit, eique inputavit, in litteris ad Melanchtonem. Qui ipse Melanchton, initio moderatus, postea, sui oblitus, virulenta suppeditavit contra Osiandristas consilia in *consiliis suis Theologicis*. Unde haud exiguam veri speciem acquirit eorum de Melanchtone judicium, qui, *cum sub modestia et civilitate sua amariores aliquando aculeos occultasse*, tradunt. Praeterea odiose, etiam futiliter, Osiandrum depinxit Melanchton in publica concione. Vid. *Explicat. Euangel.* p. IV. Interea quaestiones illae haud diu post mortem Osiandri, quae in annum 1552. incidit, durarunt. Dux enim a. 1556. pastores coegit docere secundum formulam Augustanam.

ANN. 1553. ET SEQ.

§. CLXVII. Praeterquam quod Germania, non obstante pace Passaviensi, varie turbata sit, tum bello cum rege Galliae, tum per intestinos motus, quos Albertus Marchio

praecipue

praecipue concitavit, donec ditionibus suis fuerit exutus; de religione quoque non satis cautum erat ad stabilem pacem et concordiam. Quare ultima manus huic rei est imposita in Comitiis Augustanis a. 1555., ad quae Ferdinandus, plena potestate Caesaris munitus, accessit. Qui, licet a religione Protestantium alienissimus, cujus animi hoc ipso tempore dedit indicia, cum in Oratione, in Comitiis habita, apud Sleidanum l. XXV., tum quod ducentos Euangelii ministros ejecerit Bohemia, manus tamen paci religionis praebuit, ad id constantia Principum Protestantium compulsus. Electores enim, Augustus Saxoniae, et Joachimus Brandenburgensis, cum Johannis Frederici Saxonis filiis, Landgravio Hassiae, et aliis Principibus, conventu habito Naumburgi ad Salam fluvium, foedus haereditarium, inter Saxonicam, Brandeburgicam, et Hessiacam familias, renovarunt, et Augustanae confessioni inhaerendum esse, praeterea pacem religionis in Comitiis firmandam esse, decreverunt. Initio itaque Comitiorum facto, placuit quidem omnibus, licet post multam disceptationem, religioni dandam esse pacem. Sed controversum manebat, quod volebant Euangelici, omnibus indifferenter licere doctrinam suam profiteri, et pacis beneficium illis quoque, qui eam secuturi essent, concedendum esse: a quo alieni erant Pontificii, contendentes, illud nec civitatibus, quae decretum Augustanum a. 1547. receperant, nec toti Ordini Ecclesiastico, esse dandum, sed, si quis Episcopus, aut Abbas, religionem mutaverit, eum loco movendum, alio substituto.

§. CLXVIII. Acri inde orta disputatione, scriptis etiam utrinsque partis oppositis vulgatis, Ferdinandus comitia primum prorogari voluit, manente interea pace Passaviensi, dein, Ordinibus in id non concedentibus, attamen hanc caussam ipsi committentibus, declaravit, sibi Pontificiorum caussam placere, adeoque Episcopos, qui religionem mutaverint, ab administratione et bonis decedere debere: in quam

 senten-

sententiam tandem consenserunt Euangelici, cum Ferdinandum ab ea divellere non possent, et ipse alia nonnulla remitteret. Factum itaque est in hanc formam decretum Comitiale. 1. Libera utrique parti relinquatur religio, et bonorum ac privilegiorum possessio, sine ulla aut damnatione, aut vexatione. 2. Episcopi, aut ullius Ordinis Ecclesiastici, religionem mutantes, a munere, bonis et privilegiis, discedant, et alii legitime substituantur. 3. Ordines Inperii, qui praefecturas Ecclesiasticas collegia et bona sibi vindicarunt, ea retineant tranquille et pacifice, sine ulla actione Camerae. 4. Nulla jurisdictio sacra contra Euangelicos exerceatur causa religionis, rituum, et bonorum Ecclesiasticorum: sed in ceteris rebus pro more obtineat jurisdictio. Vid. de his omnibus Sleidanus l. cit. Sed notandum est, haec capita ad solam Pontificiam et Lutheranam pertinere religionem, reliquis omnibus exclusis. Ceterum renovata, et confirmata deinceps haec pax est in Comitiis Augustanis a. 1559. per Ferdinandum Caesarem post obitum Caroli V. Hac ratione *transactio* Passaviensis a. 1552., per pacem religiosam a. 1555. corroborata est, et *recessus* Inperii nomen accepit, confirmata denique in Comitiis Augustanis per Ferdinandum, ut dixi. Sed quae pax cum Pontificiorum magis, quam Protestantium commodis faveret, his deinceps plenius provisum est per *pacis Westphalicae instrumentum* a. 1624. Vid. Boehmer diss. praeliminari Jur. Eccles. l. III. qui fata libertatis restitutae recte exhibet.

REFORMATIO SUECIAE.

§. CLXIX. Reformationis in Germania stabilitae historia strictim narrata, de statu Ecclesiarum Augustanae confessionis, seu Lutheranorum, ut adpellantur, hoc seculo, quaedam subjungenda forent; sed visum est, ante reliquarum regionum reformationem, etiam earum, quae Helveticam et Genevensem confessionem adoptarunt, pertexere, quam

de

de Ecclesiarum, seu sectarum, inde ortarum, conditione dissseram. Succedat itaque Sueciae, Daniae, et Holsatiae, reformatio, ad Saxonicam propius accedens. De reformatione *Sueciae*, ut et de aliis, ad historiam Ecclesiasticam illius Regni pertinentibus, adcurate et fideliter exposuit Johannes Baazius, in *historia Ecclesiastica Suecorum*, Lincopiae a. 1642. excusa, ex qua nonnulla excerpsit Seckendorfius hist. Lutheranismi l. I. sect. 57., cui addenda sunt, quae Scultetus in Annal. ad a. 1526. profert. Consuli etiam meretur Cl. Gerdesius, libro jam supra citato tom. III., et his scriptis demum viso, cum de Sueciae, tum Daniae, et vicinarum regionum reformatione. Paucis defungi potero, cum reformatio sine magnis motibus *biennio* fere, autoritate Regis Gustavi Erici a. 1526. et sequente, peracta fuerit. *Gustavus*, ex antiqua Regum Gothorum, et Caroli Canuti, qui ante sexaginta annos Rex fuerat, stirpe oriundus, sicut regnum Sueciae a Christierni II., Daniae Regis, dominio et tyrannide, plane inmani, liberavit, et sibi vindicavit, ita et Ecclesiasticae libertatis a tyrannide Papali, et purioris religionis instauratae, autor fuit, in eo opere partim adjutus ab *Olao Petri*, qui Stegoburgo Suecus fuit, et religionem reformatam Wittebergae inbiberat a Luthero, et postea magnae Ecclesiae Holmiensis Concionator est factus, partim ab Archidiacono et Presbytero Stregnensi, *Laurentio Andreae* seu Anderson, dein Secretario Gustavi. Ipse vero Gustavus, dominante Christierno, exul apud Lubecenses a. 1519., aliquid de Lutheri doctrina primum audivit, dein a duobus Lutheri discipulis, Laurentio et Olao Petri, plenius instructus. Irritavit eum praeterea in religionem Pontificiam intoleranda Cleri factiosi potestas, tum Leonis X. Papae fulmen in Stenonem Sturium, regni Gubernatorem, et Proceres, qui Christierno adversabantur, vibratam a. 1520. Factioni enim Gustavi Trellii, Archiepiscopi Upsaliensis, horrenda illa calamitas, quam regnum sub Christierno passum est, praecipue est accepta ferenda. Sturius vero, cum

Erico Troſlio eſſet in gubernatione regni praelatus, filius Erici Guſtavus, hoc aegerrime ferens, clandeſtina conſilia cum Chriſtierno, Daniae Rege, iniit, ad Patriam Danis ſubjiciendam. Acceſſit, Clerum Pontificium partem aliquam redituum, ſumma licet flagitante neceſſitate, in publicos noluiſſe erogare uſus.

§. CLXX. Proceſſit in hoc opere Rex, prudenter ſimul, ſimul intrepide, contra omnia obſtacula inſurgens animoſius. Quod ſummatim ordine enarrabo. 1. Concionatores purioris doctrinae accivit a. 1525. Witteberga, et Verbum Dei ubique fecit adnunciari, Olao paſtore Holmienſi conſtituto. 2. Nimio ducti zelo cum in ritus receptos, et doctrinam detonarent, magnoſque motus concitarent Zelotae aliqui concionatores, fanatici praeterea nonnulli Anabaptiſtae, quorum praecipui fuerunt Melchior Rinkus et Cnoperus Delling, ex Germania cum Hollandis trajicientes, Stokholmiae Templum occuparent, ſtatuas, imagines, ipſa organa, Templis ejicerent, plebemque efficerent tumultuantem, ſeſe turbulento huic ſtudio fortiter oppoſuit, et fanaticos regno expulit. 3. Sacram Scripturam in linguam Suecicam tranſferri ab Olao Petri curavit, et per regnum in publicum uſum miſit. 4. Ut vero animi de veritate rectius convincerentur, et Clericis Pontificiis os obſtrueretur, publicam inſtituit Upſaliae diſputationem, in qua Catholicorum partes egit Petrus Gallei, Profeſſor Theologus, et reformatorum Olaus Petri; euangelica vero cauſa facile triumphavit, quia non niſi ex Scriptura diſputandum erat. Ceterum acta hujus colloquii recenſuit Cl. Gerdes l. cit., inter *documenta* num. XVIII., ſuntque lectu digna.

§. CLXXI. 5. Comitiis a. 1527. Upſaliae habitis, ſacrorum emendationem, abuſuum abolitionem, praeterea Eccleſiaſticorum praedia et opes, luxui, faſtui, et ſeditionibus verius, quam pietati, inſervientes, ad communes Reipublicae uſus, relictis neceſſariis ſubſidiis Clero, tranſferri, poſtulavit. Quae omnia decreta ſunt, fruſtra renitentibus Pontificiae

tificiae fectae Clericis. 6. Johannes Magnus, Upsaliensis Archiepiscopus, decreta exsequi detrectans, et propterea a Gustavo objurgatus, rebus suis occulte convasatis, antiquissimis etiam regni litteris, et annalibus, secum sumtis, secessit Dantiscum, inde Venetias, denique Romam, ubi *Gothorum historiam*, quae prostat, conscripsit. Regnum quoque deseruit Johannes, Lincopiensis Episcopus, seseque in Poloniam contulit, ubi in monasterio est defunctus. Denique 7. ultimam operi inposuit manum, post Dalacarlios, in motus seditiosos concitatos, aliosque turbulentos, in ordinem redactos, in Comitiis Arosiensibus a. 1527. Postquam in illis de Episcoporum in se injuriis, malitia, ac desidia conquestus esset, declaravit, non tantum, nisi rem ad finem adducerent, se regno esse cessurum, sed et, cum moras necterent, re ipsa fecit. Quando a Proceribus, ad pedes ejus provolutis, compulsus est precibus, ut coronam reciperet, et omnia in eam sunt redacta formam, quam et hodie habent Sacra et Ecclesiastica. Decretum itaque inter alia est, ut arces et feuda traderent Episcopi, bonorum Ecclesiasticorum pars in regni usum cederet, pars Proceribus, a quibus venerant antiquitus, redderetur, pars ad honestam Clericorum sustentationem inpenderetur: porro melior, et purior, Pontificia abjurata, publice obtineret religio. Quibus peractis, et effectui datis, Clerus in Comitiis a. 1529. Orebrogiae celebratis, constitutionem de reformatione Ecclesiae formavit, cujus praecipuum est caput, praedicatio Verbi Dei, et externi cultus quaedam correctio, multis ex vetere consuetudine servatis, abusibus, superstitiosis remotis, et vero usu restituto: ex. gr. *imagines sanctorum*, dicitur, *non retinentur propter cultum, sed propter memoriam Christi et sanctorum, ut imitemur vitam et pietatem illorum. Palmas non consecrarunt primitus religiosi propter fiduciam auxilii inde exspectandi, sed ad recordationem palmarum Christo substratarum. Candelis consecratis die purificationis Mariae non tribuitur sanctitas, sed lumini vero, Christo, in Templo Hierosol.*

 oblato,

oblato, quem candela consecrata designat. — — Usus campanarum tantum ad convocandam plebem adhibetur. — — — Consecrantur Templa, item sal et cibus, aliaque usui piorum destinata, non ut sint in se ipsis sancta, sed oramus, ut his rebus sancte utamur, ne prophanemus nomen Dei in Templo, aut circa usum rerum sacrarum occupati — — — Jejunium non est ipse cultus Dei, sed subtrahitur hoc modo voluptas carni, ut praeparetur animus pii hominis ad serium Dei cultum celebrandum. Feriae peraguntur, non propter specialem Dei cultum feriando peragendum, sed ut tempus detur, auditui Verbi Dei opportunum, et recreentur operarii laboribus defatigati. Ceterum, exhibuit quoque hanc formam reformationis Sueciae Ecclesiae Cl. Gerdesius in adpendice tom. III., historiae Reformationis. Quo ipso anno *manuale sacrum* edidit Olai, lingua patria, missae, seu coenae Dominicae, praescribens celebrationem, et articulum de Justificatione exponens. Hac ratione Suecia ad normam Saxonicam, seu Lutheranam, est reformata.

REFORMATIO DANIAE.

§. CLXXII. Reformationis Daniae historiam, quae ex Sculteto in Annal., et Seckendorfio in primis lib. III. sect. 8. et 20., ubi ex Conradi Aslaci *historia reformationis Daniae et Norvegiae*, eam summatim exhibet, petenda est, paucis quoque absolvere potero. Prima, sed exilia, purioris doctrinae semina sub ipso Christierno, cujus nomen, ob crudele regimen, adeo odiosum est Danis et Suecis, jacta sunt a Martino; qui, ad ejus petitionem, eo ab Electore Saxoniae, avunculo regis, missus est, a. 1520., et Hafniae cum adplausu docuit, et magno fructu, ut ex Huitfeldi Chronico Daniae refert Schultetus. Praeiverat quidem in hoc opere Paulus Eliae Carmelitarum Prior, ex Lutheri scriptis illustratus, qui a. 1519., reformationem agere coepit Hafniae, sed postea puriori doctrinae renunciavit, ejusque adversarius

adversarius factus est. Martinus vero majore cum successu id fecisset, si indecoris in concionando gestibus sese apud Clericos, et plebem, non fecisset saepe ridiculum. Quare inde sese alio vertit. Num vero Rex Daniae ex amore religionis, an Episcoporum odio, concionatorem requisiverit, in medio relinquitur. Illud constat, Arumboldum, Legatum Papae in Dania, aeque ac in Suecia, turpissimam exercuisse indulgentiarum nundinationem, multorumque animos commovisse, et a se abalienasse, ipsius quoque Regis, postquam ipsum arcana consilia contra Suecos, ipsi communicata, prodidisse intellexisset. Vid. Vertot *dans l'histoire des revolutions de Suede* P. 1. Sed serius, et severius, hoc opus promovit Fredericus, Holsatiae Dux, in locum Christierni, a Danis regno expulsi, Rex electus a. 1523., qui Georgium Johannis purius euangelium rursus docere fecit a. 1525., quem alii eo in opere secuti sunt, inter quos sunt Johannes Tausson, et Christianus Schroch. Quorum opera cum multi ad eam fidem essent adducti, praecipuae etiam Civitates Hafnia, Malmoia, Rypa, aliae, imo tota fere Dioecesis Wiburgensis, ut ex Huitfeldo docet Scultetus a. 1524., Episcopi vero et Clerici sese acriter opponerent, Rex, comitiis Othoniae in Fionia coactis a. 1527., seria admodum oratione de reformationis necessitate, et intolerandis Ecclesiae Pontificiae abusibus, Ordines certiores fecit, simul Lutheranismum dixit tam altas jam egisse radices, ut sine summa calamitate et ruina regni evelli nequeat, adeoque suam declaravit esse voluntatem, ut utriusque religionis liberum permitteretur exercitium, donec publicum haberetur Concilium. Decretum itaque est a Rege et Senatoribus, quicquid contra niterentur Episcopi, ut 1. liberum cuique sit, utri religioni, sive Lutheranae, sive Pontificiae, adhaerere velit. 2. nemo ob religionem in conscientia turbetur. 3 R[illegible] sua autoritate tuetur Lutheranos adversus omnem vim [illegible] tyrannidem hostium. 4. Monachis et Monialibus, ali[illegible] [illegible]cri ordinis, liberum sit claustra sua deserere, et quo[illegible]

lent se conferre, imo pro lubitu conjugium inire. Praeterea constitutum est, ne quisquam Episcoporum pallium Roma peteret, sed ab ipso Rege.

§. CLXXIII. Multi itaque, his constitutis, vitae monasticae miserunt nuncium, et reformatio ingentes fecit progressus. Cum vero a. 1538. Johannes Tausson monasterio Wiburgensi ab Episcopis expelleretur, quod Monachos puriorem doceret doctrinam, defensus et retentus est a civibus et Magistratu: Rege quoque, ne intestini motus inde orirentur, suam interponente autoritatem, et Taussonum incitante, quin jubente, ut in opere pergeret. Dein a. 1529. sequente abolita plane est Papistica religio Malmogiae in Scania, Rege adprobante, qui et decretum condidit de reditibus Clericorum istius loci ad Ecclesiae ministros sustentandos inpendendis, et ad gymnasium aliquod Theologicum ibi instituendum. Quod etiam factum est, tribus electis Professoribus, Olao Chrysostomo, Nicolao Andreae, et Lectore Francisco. Quo eodem anno Rex, publicato edicto, jussit, ut purior doctrina ubique adnunciaretur, misso quoque Taussano Hafniam, ut ibi doceret. Quando cerimoniis et cantionibus Papisticis abolitis Psalmi Davidici Lutheri lingua vernacula substituti sunt. Prodiit vero primum Psalmorum Danicorum exemplar Malmogiae a. 1528., postquam Novum Testamentum, Danice versum, jam ab a. 1524., quo Antverpiae prodiit, in Regno divulgatum esset. Quos progressus cum Praelati, et Pontificiae sectae addicti, aegre ferrent, et Euangelicos apud Regem accusarent, comitia ab eo sunt indicta a. 1530. Quibus cum Protestantes confessionem 43 articulorum, quae Latine versa a Johanne Pontano exstat in Henrici Muhlii comment. de reformatione in Cimbria, Pontificii vero 27 articulos contrarios obtulissent, hi vero ab Euangelicis essent refutati, quae omnia etiam recensita sunt tom. III. Cl. Gerdesii, decretum est, a Rege et senatoribus, ut Euangelici eodem pergerent pede, donec publico concilio de religione esset constitutum. Quod ip-

sum

sum strenue fecerunt Euangelici, eo etiam cum successu, ut Hafnienses a. 1531., sed facto impetu, imagines in aede B. Virginis destruxerint, multi quoque, anno sequente, variis in locis Monachatum deseruerint, et Templa Euangelicis dederint.

§. CLXXIV. Felicissimum hunc reformationis cursum tristissimus Regis obitus a. 1533. interrupit, et motus, eum secuti, haud parum represserunt. Episcopi etiam; et Praelati, hac captata occasione, effecerunt, ut in Comitiis eodem anno Hafniae habitis, hi quatuor articuli fuerint sanciti, 1. ut novi Regis electio in sequentem annum differretur 2. Templa et Monasteria in statu quo, ut dicitur, manerent 3. Christianus, filius Frederici maximus natu, regno excluderetur, ob suspicionem Lutheranismi, et Johannes, tunc octo annos natus, eligeretur, ac in Papismo educaretur. Denique 4. Johannes Tausson coram Comitiis causam diceret. Quo facto jussus est Tausson, ut a publico officio desisteret, et intra mensem excederet Selandia. Quod tamen ob populum tumultuantem effectui non potuit dari. Passa hac ratione est reformatio variis in locis haud exiguum detrimentum.

§. CLXXV. Sed tempestas feliciter discussa est per Christianum, regem factum, qui, haud exiguo labore, nec sine sanguine fuso, post Hafniam integro anno obsessam, fame pressam, et occupatam, in regni possessionem venit a. 1536. Quando, regni perturbatoribus oppressis, decretum est in Comitiis a. 1537., ut Episcoporum munus, quale, ad secularis principatus formam, more Episcoporum Germanorum, gesserant, aboleretur, oppidis, pagis, arcibus, et palatiis eorum in fiscum regni redactis. Quorum in locum Antistites, quos Superintendentes vocant, sunt suffecti. Vocatus porro in Daniam est, eo ipso tempore, Johannes Bugenhagius, Pomeranus, qui *Ordinationem Ecclesiasticam* non quidem conscripsit, sed a Doctoribus, ac praeconibus, a Rege convocatis, compositam, revisit, correxit, suppleivt, et publi-

cavit, uti docuit Grammius in praefatione ad Cragii historiam Christiani III. Ultima tandem manus reformationi est inposita a. 1539. in Comitiis Othoniae; quando Rex, et Senatores, non ore tantum, sed et manus subscriptione, se ei doctrinae, et constitutionibus Euangelicis, nunc receptis, constanter adhaesuros esse, professi, et testificati sunt. Quo eodem anno Academiae Hafniensis fundatio, et ordinatio, adprobata et perfecta est; egregiis Professoribus cum largo stipendio constitutis: ut ex Johanne Bugenhagio refert Seckendorfius.

REFORMATIO HOLSATIAE.

§. CLXXVI. Holsatia cum vicina non tantum sit Daniae, sed et Regibus ejus subjecta, ejus reformatio, quam tradit Seckendorfius l. cit., verbo est subjungenda. Semina reformationis ibi jam cito a studiosis, qui Wittebergae Lutherum audiverant, sparsa sunt. Primus vero id fecit Hermannus Tast, qui a. 1522. Husumi in coemiterio, sub tilia quadam, coram numerosa concione docuit, quique etiam biennio post Gardingae primam habuit concionem publicam. Quem alii sunt plures secuti, postquam decreto Frederici I., Daniae Regis, qui Provinciae Slesvicensis et Holsatiae Dux erat, libertas religionis esset concessa, a. 1524., qui illud opus promoverunt, uti Homerus Hansen, Laurentius Junsen, alii. Sed Dithmarsii, qui Regum Daniae, et Ducum Holsatiae, inperium non agnoscebant, sese vehementer opposuerunt, tanto etiam cum zelo, ut Henricum Mullerum, Zutphaniensem, igni tradiderint a. 1524. Vocatus ipse erat Dithmarsiam, cum Bremae biennium docuisset, a Nicolao Bojo, Dithmarsiae Superintendente. Postea vero in Holsatiam irrepserunt, qui Zuinglii doctrinam sectabantur; quorum praecipuus fuit Melchior Hofmannus, quocum Flunsbergii congressus est, a. 1529., Bugenhagius: cujus disputationis acta exstant typis excusa. Excedere dein hinc jussi

sunt

sunt Zuingliani. Accivit postea a. 1531. e Germania Doctores Christianus, Frederici filius, accepto a Patre Ducatus regimine, quorum opera Ecclesiae per Holsatiam sunt ordinatae. Inter quos sunt Eberhardus Widdensee, Gerardus Slewardus, Johannes Wendius, alii. Inter Dithmarsos autem, non obstante eorum oppositione, docuit inter alios Adolphus Clarenbachius, Coloniensis, opera in primis Nicolai Boji, Pastoris Meldorpiensis, et Superintendentis, sed Monachis in reformatione oppugnanda opem tulerunt Tribuni plebis, Regentes nuncupati: quae persecutio tamen brevi cessavit, occasionem singulari unius Regentum Harringi casu praebente. Ipse enim in aedes privatas, in quibus cognatus Boji docebat, ingressus infesto animo, ut coetum disturbaret, concionem non tantum adtentus audivit, sed et ea doctrina captus est.

REFORMATIO HELVETIAE.

§. CLXXVII. Transeamus nunc in *Helvetiam*, secundum aliam formam reformatam, antequam de aliis regionibus, magis minusve Saxonicam, vel Helveticam, confessionem amplexis, agam; eo magis, quod Helvetica reformatio vel ante, vel saltem eo ipso tempore, quo Saxonica, inceperit. Consulendus, praeter Hottingerum, et alios, in primis est nuperus reformationis Helveticae enarrator Ruchat, qui praeclare de hac historia meruit. Primi Doctores, qui purius euangelium in Helvetia, ejusque vicinia, docuerunt, sunt Ulricus Zuinglius, Wolfgangus Fabritius Capito, et Johannes Oecolampadius, eodem quippe fere tempore ab a. 1516. in eo opere versati. *Ulricus Zuinglius*, reformator Glaronensis et Tigurinus, natus in pago Toggiorum, dicto *domo sylvestri* a. 1484., ex antiqua et honorata familia, Patre etiam loci istius *Ammano*, quae tractus istius est dignitas summa, viro erudito et probo, studiis Bernae operam dedit sub Henrico Lupulo, maximi in Helvetia nominis,

qui politioris litteraturae ludum primus in Helvetia aperuit. Dein, poesi ibi in primis bene exculta, Viennam missus, Philosophiae incubuit, tandem Basileam, ubi ad Magisterii gradum est admissus, et se studiis tradidit Theologicis, usus Praeceptore Thoma Wittenbachio: quem magni semper fecit, quique jam eo tempore inpugnavit indulgentias, et in sola Christi morte redemtionem peccatorum quaesivit, sacerdotum conjugium etiam adfirmavit, testibus ejus thesibus in ejus vita, a Scheurero exarata, obviis. Studiorum cursu absoluto pastor electus est Glaronae a. 1506., ubi meliora studia privatim excoluit, Graecae scilicet linguae, quam sine Magistro didicit, et Patrum, sed in primis S. Scripturae. Placuit ipsi e Latinis autoribus Valerius Maximus, propter exempla virtutum et vitiorum, quem totum in succum vertit ac sanguinem, e Graecis vero Lucianus. Sed Epistolas Pauli Graece descripsit, et notis ex optimis Patribus illustravit. Eousque autem hic versatus jam profecit, ut purius euangelium a. 1516. docere inceperit publice, receptosque errores refutare, sed modeste, et sine vehementia, aliorumve refutatione. Vocatus dein a. 1517. est ad *eremum* Helvetiorum, vel virginis Eremitanae Templum, alias *Einsiedeln* dictum, locum propter imaginem S. Virginis valde famosum, ad quem locum ingens erat devotorum confluxus. Quo cum venisset, aegre a Glaronensibus dimissus, apertius, et majore successu, doctrinam suam promulgavit, maxime, cum loci Abbas, Conradus a Rechenberg, a superstitione, in primis sacrificio Missatico, esset quoque alienior. Denique, post brevis temporis moram, Antistes Tigurinus a. 1519. constitutus, studia ulterius perfecit, Leonem Judam, virum litteratum, et Scripturae studiosum, nactus socium, qui non quidem ejus, ut putatur, vicarius fuit in priore statione, sed eam ad Ecclesiam, Zuinglio jam Tigurum translato, se contulerat, ut Zuinglio, antiquo amico, esset propinquior, sicut ab aliis jam est observatum. Delectatus autem est ex Latinis autoribus Horatio, Salustio, et

Seneca,

Seneca, ex Graecis Aristotele, Platone, et Thucydide. Sed, quod majoris est, occasionem nactus opportunam, reformationis fundamenta jecit ipso primo anno 1519., quo Tigurum venit: ut mox patebit.

§. CLXXVIII. Eodem tempore, quo Zuinglius in *eremo* Helvetiorum puriorem docuit fidem, idem fecerunt Capito et Oecolampadius. *Capito* Haganiae, in Alsatia, natus a. 1478., medicinae quidem, vivo Patre, incubuit, sed, eo mortuo, ad Theologica se vertit, a quibus Pater ipsum abstraxerat, quod inprobam sacrificulorum vitam detestaretur, eo cum successu, ut summos in Theologia honores consecutus fuerit a. 1504. Deinde, postquam Brusellae, agri Spirensis oppidulo, per triennium esset concionatus, Basileam est a Senatu vocatus, et summo Templo ibi aliquot annis praefuit. Huc vero cum venisset, a. 1512., et epistolam Pauli ad Romanos explicaret pro concione, oculi ejus sunt, per ejus meditationem, aperti, adeo, ut sub finem a. 1517. Missam recusaverit dicere. Jecit itaque, concionando et disputando, purioris doctrinae fundamenta Basileae. Quo in opere eximium nactus est adjutorem, circa a. 1515., *Johannem Oecolampadium*, Germanice Hausschein. Ipse, Wispergae in Franconia natus a. 1482., studiis Heidelbergae, et alibi, tanta cum laude operam dedit, ut ab Electore Palatino fuerit liberorum ejus educationi, ac institutioni, admotus. Dein, Winspergae concionator factus a. 1514., magno cum adplausu docuit, admixta tamen adhuc aliqua superstitione. Denique, adnitente Capitone, Basileam est vocatus, et paroeciae primi Templi praefectus, a. 1515., posteaquam linguas Hebr. et Graecas a Johanne Reuchlino didicisset, et in Scriptura S. majores fecisset progressus. Juvit vero Basileae Erasmum in Novo Test. edendo, quod a. 1516. prodiit, eodemque anno Doctor Theologiae a Capitone renunciatus est, simul a Canonicis primi Templi Augustae vocatus, ut sacris praeesset concionibus.

§. CLXXIX. Purius euangelium, licet jam ab a. 1516., coeperit

coeperit a Zuinglio adnunciari, ut ex dictis patet, superstitioni tamen Papisticae sese, cum aliquo studio, non opposuit, nisi ab a. 1518., quo indulgentiarum nundinationes sunt, jussu Leonis X. Papae, per Helvetiam institutae, per Samsonem Mediolanensem, Franciscanum, jam antea in hac mercatura exercitum, qui, antequam Tigurum venerat, populum jam centum viginti aureorum millibus emunxerat. Iter ejus per Helvetiam, et inprobos excessus, in lucem protraxit Hottingerus hist. Eccles. sec. XVI. tom. VII. Cum ipse, in pago Suiziae, unde genti nomen est, merces suas venditaret, sese ei strenue opposuit Zuinglius, pastor in illustri monasterio Eremi, et ab eo tempore infamibus hisce nundinationibus contradixit non solum, sed insuper populum de inutilitate ac superstitione peregrinationis sacrae, et visitationis Mariae Eremiticae, admonuit. Dein ad pagum Tugi (Zoug) profectus nundinator populum tanta copia ad se adtraxit, ut ipsi monachi se a contemtu nequiverint continere: audita utique est vox famuli, *ne, quaeso, vobis mutuo ita molesti sitis: illis primum pateat aditus, qui pecunia sunt instructi; pauperum postea habebitur ratio.* Bernae cum diplomata majore minoreve pretio vendiderat, tandem discessurus, tres Pontificis gratias promulgavit solenniter. Quarum *prima* omnibus praesentibus, qui flexis genibus peccata confiterentur, orationem Dominicam cum salutatione Angelica ter recitarent, concessit ex superabundanti Christi, et omnium sanctorum, thesauro remissionem a culpa et poena: *secunda* promisit, ut, qui ter quotidie Templum majus orantes circumirent, potestatem haberent animam, quam vellent, eripiendi purgatorio. *Tertia* erat prodigialis; postquam enim singuli, flexis genibus orationem Dominicam cum salutatione Angelica quinquies recitassent, in defunctorum subsidium ipse clara voce edixit, *ab eo momento omnes Bernensium defunctos, ubicunque excessissent, simul liberatos esse a purgatorii et inferorum cruciatibus, et in coelum translatos.* Interea cum Helvetiam peragraret, suasque indul-

indulgentias summa cum inpudentia venderet, non defuerunt, qui se ei objecerunt. Vetuit quidem ipse Episcopus Constantiensis, eum per dioecesin suam recipi, sed unice, quod se inconsulto id faceret. Saniore usus judicio Henricus Bullingerus, Decanus Bremogartensis, summo ei restitit studio, spreta etiam ejus excommunicatione, quam propterea incurrere debuit, Zuinglius vero jam Tigurum vocatus, populum in ipsum concitavit. Quae tandem effecerunt, ut Ordines Helvetiae, tunc Tiguri congregati, eum, cum Tigurum venisset, a. 1519. repulerint, apud Papam quoque de ejus excessibus conquesti; quare Papa eum revocavit, sed ita, ut potestatem suam distribuendi indulgentias defenderit, et sub poena excommunicationis illud credendum injunxerit Helvetiis.

ANN. 1520.

§. CLXXX. Insignem hoc anno fecit *Tiguri* progressum reformatio, ubi ad duo millia, teste Zuinglio in epist. apud Hottinger., jam numerabantur, quos Zuinglius erat lucratus, opera quoque Jacobi Ceporini, ad professionem linguae Hebr. et Graecae vocati, usus. Sed majoris est, quod omnibus suae ditionis pastoribus mandaverit Senatus Tigurinus, ut, missis traditionibus humanis, Verbum Dei pure et libere docerent. Qui primus ibi fuit reformationis gradus, quem Senatus fecit. Nequicquam etiam se opposuit Hugo, Episcopus Constantiensis, publicato edicto, quo omnibus injunxit, ut religioni Romanae Ecclesiae adhaereant, donec concilium celebretur: se enim suaque praeclare tuitus est Zuinglius. Crevit quoque *Basileae* eorum numerus, qui puriorem fidem sunt amplexi, teste Epistola Capitonis apud Scultetum. Deseruit quidem eam Ecclesiam Capito, ab Alberto, Electore Moguntino, in aulam vocatus, ut ei a concionibus esset et consiliis: quam conditionem sub spe Moguntinum convertendi suscepit, sed, cum ea excidisset, post

triennium secessit Argentinam; verum ipsi Basileae successit Casparus Hedio, Etlingae, in Marchionatu Badensi, natus, qui, Theologiae Doctor creatus Basileae, purius ibi docuit euangelium. Eundem lapidem volvit *Lucernae* Oswaldus Myconius, magno successu, et *Bernae* Bertholdus Hallerus, Helveticus, qui, gradum Doctoratus Coloniae adeptus, Canonicus et Concionator Bernae est constitutus. *Constantiae* quoque id egit, praeter duos Blaureros fratres, Sebastianus Hofmeisterus, Minorita, natus Schafhusae, Lector Theologiae Tigurinus, inde Constantiam profectus. Sed secessit hoc anno Oecolampadius, Monachus factus, in coenobium Salvatoris, prope Augustam, stipulatus studiorum, et fidei, libertatem, eo scopo, ut studiis liberius incumberet: quod unum tamen annum tantum duravit.

ANN. 1521.

§. CLXXXI. Inter pauca, quae hoc anno, quoad religionem, acciderunt, memoratu dignum est, quod Wilhelmus Roeblinus, Pastor ad S. Albanum Basileae, cum superstitionem Papisticam acriter inpugnaret, et in Christi morte doceret causam vitae unice esse collocandam, fuerit a Senatu, instigante sacrificulorum turba, expulsus Basilea, frustra se opponente populo; nec non, quod in oppido S. Galli doctrinam euangelicam professi fuerint Benedictus Burgarerus, et Wolfgangus Weterus, concionatores, per Lutheri libros conversi, et a Joachimo Vadiano, viro docto, adjuti.

ANN. 1522.

§. CLXXXII. Zuinglius cum hoc anno strenue opus reformationis urgeret, duos etiam nactus socios, Leonem Judae, hoc anno Tigurum vocatum, et Johannem Stumphium, celebrem illum Helvetiae historicum, acerrimos sibi concitavit adversarios, Episcopum Constantiensem, ejusque Vicarium

carium Johannem Fabrum, una cum Monachis. Qui omnes nunc ingente zelo sese movere coeperunt contra Zuinglium, aliosque *novae doctrinae*, ut dicebatur, doctores. Contra quos litteras scripsit Hugo, Episcopus Constantiensis, ad Senatum Tigurinum, dein ad collegium Canonicorum, denique, cum apud Senatum parum proficeret, ad ipsos Helvetiae Ordines, in conventu Badensi. Adjuncta fuerunt litteris ad Canonicos edicta Leonis. X., et Caroli V., contra Lutherum, ejusque adseclas. In litteris vero ad Ordines conquestus est de Tigurinorum inobedientia, et opem Cantonum ad haeresin illam evellendam inploravit. Familiae denique Monachorum Tiguri accusarunt Zuinglium, quod ordines Monachales traduceret, simul petere non erubuerunt, ut ex Thoma et Scoto sibi liceret concionari: quod sapienter recusavit Senatus, et, ex Verbo Dei id facere, jussit. Zuinglius, neutiquam quiescens cum sociis, defendit primum causam euangelicam coram Senatu, contra Episcopi legatos, qui ceremonias, in specie jejunia, violari querebantur, ostendens, in iis non esse summam religionis Christianae: cujus defensionis summam ipse exhibet in epist. ad Erasmum Fabritium. *Apologetico* dein edito respondit ad litteras Episcopi paraeneticas ad Canonicos, quem adpellavit *Archetelem*, seu principium et finem, quo sexaginta novem ejus articulos refellit, sed ita, ut summam omnium capitum controversorum pertractet, eaque ratione controversiam sibi visus fuerit finire posse. Denique, suo et sociorum nomine scripta ad Episcopum Epistola, eum serio admonet, ne se induci patiatur ad doctrinae euangelicae nocendum, Clericorum conjugia inhibenda, aut scortationi praebendum patrocinium. Tandem eandem in mentem ad communem Helveticam scripsit Civitatem, quae Euangelicorum doctrinam, ejusque adnunciationem, decreto publicato jam prohibuerat. Haec itaque belli intestini Ecclesiastici in Helvetia fuerunt initia. Eandem serram reciprocarunt Episcopus Lausannensis et Concionatores Bernenses, adeo etiam ut

Hallerus, horum praecipuus, vehementem non amplius ferens oppugnationem, de discessu cogitaverit: a quo, litteris ad eum scriptis, apud Scultetum in Annalibus, eum abstraxit Zuinglius, ipsum ad constantiam et patientiam hortatus, sed simul ei moderationem in opere Domini agendo suadens. Quae litterae legi merentur.

§. CLXXXIII. Exorti interea ubique sunt per Helvetiam purioris doctrinae praecones, et Basileam quoque repetiit Oecolampadius, postquam annum trivisset in monasterio, dein, eo, quod doctrinae suae causa ibi tutus non esset, deserto, biennium in aula Francisci à Sickingen in Alsatia, ubi missam repurgavit, ut ipse apud Scultetum narrat. Basileam redux professionem S. Scripturae accepit a Magistratu, sed et adjutorem, egregium, pro illo tempore, commentatorem Scripturae, Conradum Pellicanum, ex Alsatia oriundum, et Monachum Franciscanum, qui proprio primum marte linguam didicit Hebraeam, dein sub Reuchlino magis excoluit. Explicuerat jam antea in conventu sui Ordinis in Alsatia paraphrasin Erasmi in Novum Test., Basileae vero ad reformationem contulit haud parum. Fecit quoque Tiguri aliquos progressus Zuinglius, quod erectionem Scholae in usum juventutis obtinuerit, cui Oswaldus Myconius praefectus est, ut et foeminarum prostitutae vitae expulsionem, nec non asylorum destructionem. Quas ob causas in tantum incurrit odium, ut vitae ejus fuerint insidiati. Primus vero apertam in Helvetia persecutionem passus est Urbanus Wys, pastor in pago Wisslitzbach, prope Badenam; qui, contra sanctorum invocationem concionatus, in carcerem est jussu Cantonum conjectus, et in eo diu detentus. Prohibuerunt etiam denuo duodecim Cantones conciones contra Ecclesiam Romanam, simul Tigurinos et Basileenses exhortati sunt, ut novorum librorum inpressionem inhibeant. Erant, ut illud obiter observem, duabus tantum in urbibus illis praela, et Frobenius libris Lutheri et Erasmi inprimendis Basileae incumbebat totus, ibique jam a longo

fuerat

fuerat praelum: quod Tiguri demum a. 1519. incepit per Froschamerum, primum typographum Tigurinum. Denique Schaphusii Sebastianus Hofmeisterus tanto cum adplausu in Missam et Transsubstantiationem publice declamavit, ut populum non tantum, sed et nonnullos ex concionatoribus, in partes suas traxerit. Accusatus vero a sacrificulis, se tueri non potuit, nec ad docendi munus amplius admissus est, fremente populo; qui ab ejus ore jam pendere coeperat.

ANN. 1523.

§. CLXXXIV. Habita sunt hoc anno Tiguri duo inter Pontificios et Euangelicos *colloquia*, quae reformationis caussam valde promoverunt. Cum accusationem haeresios diutius ferendam non esse censeret Zuinglius, colloquium obtulit liberum et publicum de suggestu, quo se defendat, vel convictus corrigat: Senatus etiam ad motus, qui indies majores fiebant, compescendos, edicto publicavit colloquium, et quoscunque Doctores, pastores, et Magistratus ad illud invitavit: quod die 29 Januar. habitum est. Cujus ut esset materia, Zuinglius sexaginta septem concinnavit articulos, seu *conclusiones*, quibus totam suam doctrinam, Pontificiis oppositam, comprehendit. Sunt etiam inter eas quaedam, quae ad schismata vitanda, et tolerantiam, spectant, valde notabiles. Habet XXVII. thesis, *omnes Christiani fratres sunt Christi, et fratres inter se, Patrem ergo super terram vocare non debent. Hic cadunt factiones et sectae.* Thesis XXXII. refert: *nemo potest, nec debet, excommunicari, quam is, qui sceleribus suis publice offendit.* Denique LXV. haec est. *Qui errorem non agnoscunt, nec ponunt, Deo sunt relinquendi, nec vis corporibus illorum inferenda, nisi tam enormiter ac tumultuose sese gerant, ut parcere illis Magistratui, salva publica tranquillitate, non liceat.* Ceterum exstant inter opera Zuinglii tom. I. Convenerunt quoque tempore statuto Episcopi Constantiensis Legati, inter quos erat Jo-

 hannes

hannes Faber, ejus Vicarius, aliique; ſive caeteri, ſive ex Cantone Tigurino, ad 600 uſque, ſed Pontificii, diſputandi licentia licet a Magiſtratu data pleniſſima, declinarunt diſputationem, praetendentes, eam hujus non eſſe loci, ſed vel in Academia faciendam, vel Concilio relinquendam. Provocati vero a Zuinglio et aliis, et incitati, ut ſanctorum invocationem e Scriptura demonſtrent, confugerunt unice ad traditiones, et Eccleſiae, ac Conciliorum, autoritatem. Intra hos limites conſtitit tota diſputatio, et Pontificii diſputationem ex Scriptura penitus repudiarunt. Quid? quod Faber eo proruperit audaciae, ut his verbis finiverit: *amice ſimul et pacifice vivi poſſet, etſi nullum evangelium exſtaret.* Alii ſacrificuli, de Scriptura legenda moniti, reſponderunt; *quid vero illi agendum fuerit, cui ſacerdotii reditus ſunt tenuiores, quam ut hujuſmodi libros*, Teſtamentum videlicet, *emere poſſint.* Terminato itaque hac ratione colloquio, Senatus decretum eſt vulgatum, Zuinglium, quia nemo eum haereſios convincere auſus fuerit ex Scriptura, in opere perſeveraturum, et alios per urbem et Cantonem Tigurinum paſtores nihil docturos, quod ex Scriptura demonſtrare nequeant.

§. CLXXXV. Hoc colloquium uberiorem quidem aliquam produxit reformationem, Zuinglio in Scriptura explicanda luculenter et libere pergente: capitulum enim Canonicorum multis modis eſt reformatum, ut abuſus in bonis Eccleſiaſticis inpendendis tolleretur, illaque in utiliores diſtribuerentur uſus; linguae quoque Latinae uſus in officio ſacro eſt abolitus; ſed, ut Miſſa quoque et Imagines eandem ſubirent ſortem, nova inſtituta eſt diſputatio publica. Cum enim nonnulli cives Miſſam peterent e medio ſublatam, tanquam Scripturae adverſam, aliqui etiam, nimio zelo acti, inter quos erat Nicolaus Hottingerus, *crucifixum* in loco publico confregiſſent, eoque nomine accuſati, et carceri mancipati eſſent, ſed a concionatoribus defenderentur, quod, licet inprudenter, nihil contra Scripturam egerint: Magiſtratus publicam

publicam indixit disputationem de *Imaginibus* in primis et *Missa*. Invitati sunt ad Colloquium, quod Mens. Octobr. habitum est, praeter alios Episcopi, Constantiensis, Curiensis et Basileensis, una cum Universitate Basileensi, ipsi etiam duodecim Cantones, ut viros doctos mitterent. Sed venerunt ex solo Schaphusano, et Sangallenses ablegarunt Joachimum Vadianum Consulem, ac Burgaverum Pastorem. Habita est disputatio lingua Germanica, Praeside cum duobus aliis Vadiano, coram nongentis auditoribus, inter quos 350 erant sacrificuli. Examen primo subiit thesis de *Imaginibus*, quae habebat, eas *adversari* Script. S., *adeoque nec faciendas, nec erigendas, nec colendas esse*. Quam cum Leo Judae probasset e Scriptura, et objectiones, a tribus Ecclesiasticis factas, refutasset, rogante Praeside, num quis imagines e Scriptura defendere vellet, omnes pastores et concionatores urbis, et Cantonis Tigurini, se nolle responderunt. Quando hujus diei sessionem conclusit Praeses, Deo pro successu gratias agens, et a Magistratu petens, ut abolerentur imagines, et incarcerati liberentur. Dein alteram thesin, *missam non esse sacrificium, nec hodiernam ejus celebrationem convenire institutioni*, in medium prolatam, cum Zuinglius e Scriptura S. probasset, praecipui Ecclesiasticorum, de sententia interrogati, alii nihil responderunt, alii ad spuriam Clementis Romani epistolam ad Jacobum provocarunt, alii consensum declararunt, nemo ejus suscepit e Scriptura refutationem. Pronunciarunt itaque Praesides, Coenam esse tantum commemorationem mortis Christi, et Sigillum fidei, adeoque Missam cum suis cerimoniis non esse ferendam. Quibus peractis, confirmatum est Praesidum judicium a Magistratu, et executioni mandatum, incarceratis quoque liberatis, tantum Hottingero, quod inprudentius et fervidius egisset, in exsilium in biennium misso. Permissum tamen iis, qui nondum convicti erant, est Missam facere, modo id decenter fiat, et Scripturae conformiter, porro utrique parti, ut concorditer vivant, injunctum est. Licet

vero Missa non fuerit publice prohibita, aut imagines e medio sublatae, declaravit tamen Magistratus, ut Hospinianus hist. sacrament. p. II. refert, *tempus jam esse, ut pro suo officio ea tolleret, quae jam didicerat apertissime cum Verbo Dei pugnare. Primo itaque omnium mandavit sacerdotibus et monachis, ne posthac ullas publicas Processiones instituant, et praesertim, ne consecratum panem in pompa per urbem et agrum circumferant, aut in Templis adorandum proponant: quod haec manifeste primae coenae institutioni adversentur. Praeterea delecti e Senatu, una cum ministris e praecipuis urbis Templis, tumbas, in quibus dicebant, corpora Martyrum, vel reliquias eorum esse reconditas, sustulerunt, et, his apertis vel nulla prorsus ossa, sed nescio quas quisquilias repererunt in quibusdam, vel in aliis aliqua sunt inventa, quae reverenter terrae mandata, non, ut multos dicere non puduit, abjecta, aut contumeliis adfecta, sicut sacerdotibus quoque mandatum est, ne organis posthac ludant in Templis, ne campanarum pulsu funera plangant, aut tempestates averruncare, seu arcere, conentur, ne palmarum ramos, sal, aquam, cereos, et similia consecrent, neve morituros oleo inungant, quem novissimum baptismum vocare solent: haec enim omnia superstitiosa esse, et cum expresso Dei Verbo pugnare.*

§. CLXXXVI. *Bernae* insignes hoc anno progressus fecit reformatio. Concionatoribus enim nimium divisis, et se mutuo inpugnantibus pro concione, jussit Magistratus publico edicto, ut euangelium in urbe et pagis libere et palam adnunciarent, sed sibi solicite caveant aliquid proferre, quod e Scriptura probare nequeant. Mansit quidem divisio, et antiquae fidei adhaerere perrexit maxima pars; attamen pati noluerunt Bernenses, ut Episcopus Lausannae dioecesin suam, ad quam et ipsi pertinebant, visitaret, eo scopo, ut eam ab haereticis purgaret. Crevit interea Euangelicorum numerus quotidie, multum eo tribuente Nicolao de Watteville, Praeposito Capituli. Idem accidit *Basileae*, ubi publicis fungebantur muneribus, sub tutela Magistratus, Oecolampadius et Pelli-

Nicolaus Hottingerus, exul Tigurinus, nunc Badensae versatus, et pro reformatione continuo loquens; qui propterea captus, damnatus, et morte adfectus est, gerens se Christiano martyre dignum. Miserunt praeterea Cantones illi, excepto Schaphusano, communi nomine, ad Tigurinos legatos, qui eos ab incepto dehortarentur, additis etiam minis. Sed masculum ac pium retulerunt responsum, se nihil peccasse, omnia ordine egisse et secundum conscientiam, nec nisi rectius instruantur, quod semper petierunt, et adhuc petunt, posse aliter. Miserunt etiam Episcopi, Constantiensis et Basileensis, prolixum pro Imaginibus et Missa scriptum, a nonnullis Universitatibus adprobatum, simul inpressum: sed quod prolixe est a Tigurinis refutatum: qui etiam in reformatione summo studio perrexerunt, adeo ut fere absolverint. Inhibitae sunt processiones, festum corporis Domini est abolitum, sanctorum, seu reliquiarum arce aperta, et reliquiae honeste sepultae, uti modo ex Hospiniano narravi: alii denique abusus, et ritus superstitiosi, una cum Imaginibus et Missa, loco moti sunt. Ad quae conjugium accessit Zuinglii cum Anna Reinharta, vidua Viri nobilis Johannis Meieri; ex quo natus est filius Ulricus, qui deinceps fuit Archidiaconus et Canonicus Tiguri, et filia Regula, quae viro eximio Rudolpho Gualtero nupsit.

§. CLXXXVIII. Eodem fere tempore nuptias iniit Stephanus Stoer, qui ingente cum fructu purius adnunciavit euangelium in oppido ditionis Basileensis Lichstal.; quam ob causam cum male audiret, et conviciis proscinderetur, theses contra Clericorum coelibatum, ejusque pessimos fructus, publice, consensu Magistratus inpetrato, defendit Basiliae, sine ulla fere oppositione, et magno cum adplausu. Totus quoque in reformatione propaganda ibi fuit Oecolampadius, et, Pastor factus ad S. Martinum, paedobaptismum lingua vernacula fecit administrari, et S. coenam sub utraque specie, consensu Senatus: Missam denique, Purgatorium, aliaque superstitiosa strenue refellit; adeo ut illa

sensim

sensim fuerint collapsa. Gulielmus etiam Farellus, e Gallia profugus, de quo postea plura, Basileam hoc tempore adpulsus, tredecim theses, quas recenset Scultetus, contra varias illas superstitiones, publice defendit Basileae, potestate a Senatu inpetrata, frustra renitente Vicario Episcopi, et Rectore Academiae. Effecerunt nihilominus Pontificii, ut urbe haud multo post excedere debuerit. Quorum insultus quoque expertus est Oecolampadius cum sociis, quos omnium odio conati sunt exponere, publice in eos pro concione debacchando, eosque injuriosis epithetis, quod zelotis in more est, haereticorum et sceleratorum, prostituendo. Quibus ut obviam iret Magistratus, Edicto injuriosas omnes vetuit declamationes, jussitque, omnes veritatem e Scriptura pacifice docere.

§. CLXXXIX. Inter *Bernenses* lente processit reformatio, cum mediam tenuerit viam Magistratus, qui euangelium ab altera parte pure jussit docere, indulgentiis quoque, dispensationibus Papalibus, et excommunicationibus, spretis, sed ab altera Clericis conjugia et concubinatus interdixit, abstinentiam a cibis vetitis tuitus est, multasque injurias, caussa religionis, vetuit. Sed religionem Pontificiam aliis Helvetiae pagis vi obtrudi, declaravit a se plane inprobari, singulis de religione disponendi relicta potestate. Interea in opere reformationis ibi, praeter Hallerum, laboravit Sebastianus Maierus, qui libellum retractationis, quo theses suas Papisticas, apud Scultetum obvias, quas Argentinae docuerat, revocat, scripsit, et ad Senatum Argentinensem misit, quo multi in reformationis doctrina sunt confirmati. Meliorem longe successum habuit reformatio in pago *Schaphusano*, ubi maxime promota est. Legati Schaphusani, a colloquio, praecedente anno Tiguri habito, ad quod ablegati erant, reversi, omnia in favorem Zuinglii retulerunt, adeo ut Abbas, etiam Erasmus Ritterus, ad euangelium purius oppugnandum e Bavaria vocatus, manus ei praebuerit. Deseruerunt itaque Monachi cum Abbate, permissu Sena-

tus, vitam monasticam, uxores duxerunt, et bona monasterii tradiderunt curae Magistratus. Quod idem fecit Abbatissa cum suis, inter quas nobilis fuit virgo, dein mater facta viri docti Conradi Cochii, Pastoris Schaphusani. Ritterus quoque magno docuit doctrinam euangelicam studio, sibique adjunctos nactus est Wolfgangum Bedermannum, Rotvilanum, Beatum Geranum, Tigurinum, et Benedictum Burgaverum, Sangallensem. Ut autem pedetentim progrederentur, imagines, altaria, et alia similia, manserunt ad aliquod tempus. Fulminanti in eos Constantiensi Episcopo regesserunt modeste, se petere, ut *Verbum Dei permittat apud se pure doceri.* Eadem quoque lux exorta est *Sangallensibus* per Johannem Kesserum, et Wolfgangum Ulmannum, nuper monachum Curiensem; quo multum contulerunt Leo Judae, et Sebastianus Hofmeisterus, qui illuc transeuntes concionati sunt. Unde brevi post factum est, ut statuae fuerint de nocte clam sublatae, autoritate Senatus. Denique *Apecellenses*, eadem luce collustrati, per plurima in conventu populi hoc anno decreverunt, ut Doctores, sub poena exilii, nihil nisi quod e Scriptura probare possent, doceant, quo Missa brevi cessavit: sed ad exiguum tempus, divisione populi exorta.

§. CXC. Qua ratione cum reformatio per multa Helvetiae loca triumphare inciperet, Catholici, ad hunc progressum sistendum, junxerunt manus. Decem utique Cantones, litteris Clementis VII. Papae excitati, legatos ad Tigurinos, Schaphusanos, et Apecellenses, miserunt, ut eos ab hoc incepto abstraherent, addentes etiam, sibi fixum esse propositum, Lutheranos omni modo puniendi et destruendi. Imo sex Cantones ad Tigurinos scripserunt litteras, quibus, se eos in Comitiis amplius non esse toleraturos, declararunt, nisi novae doctrinae renunciarent. Ad quas minas accessit persecutio, quam, religionis causa, ad mortem usque passi sunt Badenae duo Wirtii, Pater et Filius, nec non Ruteman. Denique, ut majore cum specie obviam irent refor-

mationi euangelicae, capita nonnulla reformationis, salva doctrina et religione Catholica, quae exhibet Ruchat, decreverunt, quae tamen non nisi a Bernensibus, sed cum insigni mutatione, ad reformationem veram propius accedente, recepta sunt, reliquis Cantonibus Catholicis ea repudiantibus, praeterea colloquium proposuerunt inter Catholicos et Reformatos, Eckio et Zuinglio ad id invitatis; quod a. 1526. demum est institutum.

ANN. 1525.

§. CXCI. Reformationis opus hoc anno fere apud *Tigurinos* perfectum est. Monasteria utique sunt reformata, consistorium ibi in causis matrimonalibus, quae alias ad Episcopi Constantiensis tribunal deferri solebant, erectum est, Biblia Sacra in linguam Germanicam, opera in primis Leonis Judae, et Casparis Grosmanni, translata sunt, ita ut Pentateuchi, et librorum historicorum, versio sit Lutheri correcta, sed Hagiographorum, et Propheticorum, nova e textu Hebraeo facta: denique Missae, penitus abrogatae, substituta est eucharistia, decreto Senatus, post praecedaneam Zuinglii disputationem cum Vice-Scriba Senatus, Catholicae religionis studioso, et ad petitionem praeconum Euangelicorum Zuinglii, Engelhardi, Leonis Judae, Casparis Megandri, alias Grosman, et Myconii. Cum vero de sensu verbi *est*, in verbis institutionis, *hoc est corpus meum*, disputaretur, quod Zuinglius per *significat* interpretabatur, simul exemplis ex Matt. XIII. *semen est verbum*, *ager est mundus*, illustrabat, nec tamen aut sibi, aut aliis, satisfaciebat, quia oratio ibi praecesserat parabolica; de nocte in somnio vidit, et audivit, monitorem, ipsum ad Exod. XII., *agnus est Pascha*, ablegantem: expergefactus locum inspexit, et sequente die publice explicuit, eo cum effectu, ut in eo acquieverint, et in decretum Senatus consenserint, paucis exceptis, quibus Missam aliis in locis audire permissum est. Cum vero

in somnii narratione, dixisset Zuinglius de hoc monitore, ater an albus sit, nescio, adversarii ejus, Pontificii ac Lutherani, illud odiose sunt interpretati, acsi a Diabolo eam recepisset doctrinam; valde absurde et calumniose, cum non de doctrina ipsa, quam jam ante explicuerat clare in libro de *vera et falsa religione*, hoc anno publicato, sed de simili phrasi tantum id dixerit, nec de Angelis aut Spiritibus, sed de monitore aliquo loquatur, denique satis nota sit, vel ex Adagiis Erasmi, locutio proverbialis, quae hominem simpliciter denotat ignotum. Vid. Hottinger. hist. Eccles. tom. VIII., et disputationis, ac Missae abrogatae, historia apud Scultetum in Annal.

§. CXCII. Tigurinorum exemplum imitati *Vitodurenses* vicini, altaria et Missas, cum imaginibus, loco moverunt. *Schaphusae* quoque abolitae sunt imagines, sed tumultuose, ansam tumultus praebentibus nimis fervidis concionibus Hofmeisteri et Hofmanni, qui propterea dimissi sunt. Processit quoque opus reformationis in aliis pagis, sed pedetentim et inter majores divisiones, ut Bernae, Basileae, Toggiorum, et alibi. Quo multum contulit vir plane insignis Henricus Bullingerus, qui a. 1523., in monasterio aliquo, prope locum Tigurinum, praelegere incepit Theologiam, quod opus per sex annos continuavit, variosque scripsit tractatus, hoc vero anno per diversa Pagi loca, consensu Synodi, concionatus est. Ceterum filius fuit Henrici Bullingeri, pastoris Bremgartensis, anno 1504. natus, et studiis operam dedit Coloniae. Cum vero e Petri Lombardi lectione, eum Patres frequenter exscribere, observasset, ad eorum lectionem adsiduam se adplicuit, sed et adjunxit libros Lutheri et Melanchtonis, ad Patres propius accedentes: tandem ad Scripturam S. hac via ductus, eam noctes diesque legit, et inde puriorem hausit doctrinam. Nonnulla, ad vitam, vel studia, ejus pertinentia, ipse profert in epist. aliqua in Bibl. Brem. cl. III.

§. CXCIII. Duo cum fuerint mala inter adversa Reformationis,

nationis, praeter reliquorum Cantonum oppositiones, supra memoratas, hoc anno etiam graviores factas, quae ei multum nocuerunt, motus nimirum causa fanaticorum et Eucharistiae: de illis quaedam sunt dicenda. Primi et praecipui in Helvetia autores *anabaptismi* fuerunt Balthasar Hubmaierus, Pacimontanus, concionator Walshutensis disertus, Felix Mantzius, et Conradus Grebelius, Tigurini, qui cum paucis aliis hanc sectam didicerant a Munzero, qui Saxonia expulsus venerat in Helvetiam. Inter Sangallenses vero propagarunt Laurentius quidam, Tiguro ejectus, et Wolfgangus Ulmian, ab ipso infectus, et a Grebelio in eo confirmatus. Initium fecerunt a paedobaptismo oppugnando, et anabaptismo introducendo. Infantum baptismum ex eo refutarunt, quod pueri ejus non sint capaces, mysterium non intelligant, fide careant, nec ab Apostolis sacro lavacro tincti fuerint. Deinde, erroris a Zuinglio in legitima disputatione, ut putabatur, convicti, habitum induerunt propheticum, revelationes praetenderunt, Euangelicos litteralis et carnalis religionis accusarunt, praeterea per vicos et plateas discurrentes *vae* ubique denunciarunt civibus, simul vitae, morumque, severitatem prae se tulerunt, et justitiam aliquam operum urserunt. Magistratum denique, a quo vexabantur, et expellebantur, propterea dixerunt esse illicitum, et Christianismo adversum, novam quoque introduxerunt sectam, cum bonorum communione, libris etiam Vet. Test. repudiatis; ne alios, ad quos prolapsi dicuntur, errores memorem, aut vitam luxuriosam, et libidinosam, cujus rei aguntur. Hisce cum hominibus fanaticis una alterave vice congressus est Tiguri Zuinglius, Basileae Oecolampadius, et apud Sangallenses Keslerus et Vadianus. Imo Edicta contra eos publicavit Magistratus plane sanguinaria, exilii vel capitis poena in eos statuta: quam etiam multi eorum summa constantia subierunt, Martyrii corona ab ipsis subinde Reformatis honorati. Balthasar Hubmaier, oppido ejectus, Anabaptistis in Moravia adsociatus, captus

et Viennam cum uxore ductus, igne est exustus, uxor aquis submersa, Ulmian quoque, urbe ejectus, poenam mortis cum quinque aliis subiit a Catholicis. Ceterum diversi fuerunt generis Anabaptistae, quorum nonnulli ad Socinianismum deflexerunt, alii ad pravos mores, praetextu libertatis, et communionis bonorum. Esse narrantur, qui tenebant, se non peccare amplius, quicquid facerent, quia non in carne, sed Spiritu erant. Aliqui etiam sese ineptis motibus et gestibus praestiterunt plane ridiculos. Aurifaber aliquis ex. gr. apud Sangallenses dicto Domini, *nisi fiatis ut parvuli*, abusus, se et alios eo adduxit, ut pueris sese sermone, moribus, et gestibus, gesserint conformes. In ipso oppido ad S. Gallum, Magdalena Molerina, casta virgo, modo se Christum jactabat, modo meretricem illam Apocalypticam, quae Antichristum pareret; seditque nuda coram sociorum oculis etc. pudet enim plura proferre. De bello sacramentario, altero reformationis scandalo, vel obstaculo, quod hoc anno incepit, inter Saxonicos et Helveticos, cum supra, suo loco, exposuerim in historia reformationis Germaniae, dicta non repetam.

ANN. 1526.

§. CXCIV. Annum cum duo colloquia religiosa, inter Catholicos et Reformatos, *Badense* et *Rhaeticum*, in primis nobilitarunt, eorum praemittenda est notitia, ex autoribus supra citatis, Hottingero, Schulteto, et Ruchat petenda. Occasionem praebuerunt cum Tigurini, responso suo ad reliquorum Cantonum postulationes, de nova religione deserenda, quo se ad id paratos esse iteratis vicibus declararunt, si erroris convincerentur, tum Eckii Ingolstadiensis inportunius zelus, quo, a Cantonibus ad disputandum evocatus, Zuinglium, et dein Oecolampadium, haereseos non tantum accusavit, sed et multis proscidit convitiis, ac ad disputandum provocavit, postulans a Cantonibus locum opportu-

num; vel Lucernam, vel Badenam. Quibus locis cum se Tigurini cum Zuinglio opponerent, et Tigurum substituerent, a quo abhorrebat Eckius, tandem *Badenae* habendum colloquium decreverunt duodecim Pagi, Tigurino recusante, et Zuinglio quoque renunciante, quia in medio hostium erat locus, nec sufficiebat ad eum securum reddendum salvus conductus, oblata etiam Berna, Tiguro, vel S. Galli civitate. Praevalente vero Cantonum decreto, institutum ibi est colloquium, ad quod e Catholicis venerunt Faber, Eckius, et Marnerus, cum legatis Episcoporum; ex Euangelicis Oecolampadius, Bertholdus Hallerus, Wolfgangus Wissenburgius, aliique concionatores, exceptis Tigurinis. Materiam colloquii hae septem Eckii praebuerunt theses. 1. Verum Christi corpus et sanguinem adesse in coena Domini. 2. pro vivis et mortuis vere in Missa offerri. 3. Virginem Mariam, reliquosque divos, pro intercessoribus esse invocandos. 4. Divorum imagines non esse tollendas, 5. Post hanc vitam esse purgatorium. 6. Infantes in peccato originali nasci, et denique 7. baptismum non Johannis, sed Christi illud tollere. Duabus postremis, quibus nemo se opponebat, missis, de reliquis disputatum quidem fuit inter Eckium et Oecolampadium, sed modo iniquo, quippe ita instituto, ut Catholicorum religio majore cum specie triumpharet. Euangelici enim saepe sunt interpellati, nec rationibus, sed clamoribus, obruti. Finito colloquio, cum mentem suam subscriptionibus declarare juberentur Doctores, Catholici accesserunt Eckio, Euangelici secum dissenserunt. Nonnulli Oecolampadio adsurrexerunt, pauci primam thesin adoptarunt, aliqui se clam subduxerunt, ne aliquid definirent, unus et alter se dominorum suorum judicio submisit. Conclusum vero est a novem pagis, Zuinglium, qui non comparuit, et reliquos, qui in colloquio ad saniorem non redierant mentem, esse excommunicandos, religionem Pontificiam in suis retinendam esse ditionibus. Libri etiam Lutheri, Zuinglii, et aliorum, sunt prohibiti.

§. CXCV. Alterum colloquium est apud *Rhaetos habitum*; ab iisdem autoribus descriptum, hic strictim enarrandum. Euangelio puriore indies inter Rhaetos crescente, postquam annis superioribus mandassent sacerdotibus suis, ut, missis traditionibus, ac Scholasticorum commentis, ea solum docerent, quae sacris litteris censuerint consona, ita ut a. 1525. jam cum Johanne Comandro, Pastore Curiensi, praecipuo eorum locorum reformatore, supra quadraginta Doctores euangelici fuerint, odio et invidia stimulati Catholici adeunt Ordines Rhaetorum, Abbas S. Lucii, et Decanus cum Capitulo Curiensi, Comandrum cum sociis haereseos reum egerunt, ut qui sacramenta, Missam, et cerimonias destruant, Scripturamque sacram misere contorqueant, et petierunt, ut e functionibus moveantur. Sed Euangelici coram Ordinibus se excusarunt, seseque mandato eorum de Verbo Dei docendo esse obsecutos, et ad rationem fidei reddendam profitentur paratos, adeoque Christianum petunt colloquium. Quo admisso, colloquium hoc anno indictum est, et institutum. Quo fine octodecim quidem theses, materiam colloquii praebiturae, formatae sunt a Comandro, quae praecipua capita controversa continebant, sed de Ecclesia et Purgatorio tantum est disputatum, et abruptum potius, quam finitum, colloquium. Vicarius enim Episcopi Curiensis, et Abbas S. Lucii, postquam, nunc hoc nunc illud praetexentes, colloquium frustra conati essent evitare, tandem, post disputationem de modo memoratis capitibus, orationem adeo prolixam et taediosam de sacramentis et Missa habuerunt, ut Ordines, altercationum pertaesi, abruperint disputationem, protestante Comandro, qui primas hic tenebat partes, facultatem sibi praeripi respondendi. Effectu nihilominus non caruit colloquium. Concionatores enim non tantum in opere suo perrexerunt, sed et obtinuerunt, ut in maxima ditionis confoederatorum Rhaetiae parte viluerit Missa, Ordines quoque duabus religionibus liberum concesserint locum, imo aliquos reformationis publicarint articulos.

§. CXCVI.

§. CXCVI. Crevit etiam aliis in Helvetiae pagis reformatio, licet in nonnullis quid detrimenti passa sit. *Tigurini* ultimam ei coeperunt inponere manum, festis in honorem creaturarum abolitis. Inpetrarunt quoque Conradum Pellicanum scholae suae Rectorem, mortuo Ceporino, qui se eo passus est permoveri, quod Basileae tardius procederet reformatio, et ipse inter fratres Minoritas dissentientes minus esset tutus. *San-gallenses*, eorum secuti exemplum, magno studio urserunt reformationem, imagines enim sustulerunt e Templo, festa multa aboleverunt, consistorium erexerunt, et Missa sensim desiit celebrari, anno etiam sequente reformata. *Capellae*, ubi docuit Bullingerus, Missa cessit caenae Domini, et cantus Monachalis abrogatus est. *Basileae* animi fuerunt valde divisi, obtinuit tamen Oecolampadius, ut Psalmi lingua vernacula cantarentur: praeterea, cum actorum Badensis colloquii visio ipsi negaretur, permissa fuit librorum Oecolampadii, aliorumque Protestantium, inpressio, negato insuper praefationi et conclusioni actorum consensu. *Schaphusani* etsi ad reformationem inclinati, eam non fuerunt ausi introducere, concessa tamen Missam adeundi, vel non, libertate. Quod idem fecerunt *Apecellenses*, abolitis tamen imaginibus, et Missa in loco extra urbem. Denique *Bernenses*, cum omnia ibi ad motus spectarent propter religionem, eo sunt a septem Cantonibus Pontificiis adducti, ut decretum per plurima formarint vota, a vetere religione non esse recedendum, nec tolerandos aut sacerdotes conjugatos, aut libros contra religionem receptam. Ad quod decretum observandum se sacramento obstrinxerunt, Hallero tamen a Missa celebranda inmuni facto, sed ea conditione, ut Scripturam huic decreto convenienter explicaret.

§. CXCVII. Cantones interea septem, religionis Catholicae studiosi prae reliquis, Lucernenses, Urani, Switenses, Unterwaldii, Tugiani, Friburgii, et Solodurii, omnibus viribus conati sunt reformationem opprimere. Quem in finem

nem cum Tigurinis, Basileensibus, Sangallensibus, et Mulhusinis recusarunt foedus renovare. Unde variae in Helvetia ortae sunt divisiones. Bernenses enim, Glareani, Schaphusani et Apecellenses foedus cum quatuor illis exclusis inierunt, zelotae Pontificii Cantones bellum Tigurinis inferendum animo coeperunt volvere, sed effectui nondum potuerunt dare, Ferdinando bello Turcico, et Carolo V. Gallico occupato. De turbis vero Catilinariis Tiguri, earumque inquisitione, vid. epistola Zuinglii in Bibl. Brem. cl. VI.

ANN. 1527.

§. CXCVIII. Causa reformationis, quae superiore anno multum perdiderat *Bernae*, tantum hoc anno cepit ibi incrementum, ut a plena reformatione parum afuerit per totum Cantonem. Offensi enim Bernenses, quod colloquii Badensis acta commissa essent Lucernae inprimenda Thomae Murnero, acerrimo hosti, quodque praefatio et conclusio in odium reformatorum adderetur, denique vi vellent reliqui Cantones causam Pontificiam agere, et videntes, Hallerum indies facere majores, per Euangelii purioris adnunciationem, progressus, superius edictum abrogarunt, et prima de euangelio purius docendo renovarunt. Quando Franciscus Colbio Bernas, qui ab a. 1512. ibi concionatorem egerat, sed postea, ob mercenariam eorum militiam, quam ferre non poterat, inde discesserat, rediit, et euangelio promulgando cum Hallero, et Sebastiano Maiero, incubuit. Indixerunt praeterea novum colloquium, Bernae habendum, quod anno sequente processit, et plenam produxit reformationem. *Basileae* cum populus contrariis distraheretur concionibus, praecipue de Missa, jussit Senatus, ut concionatores rationem redderent, Pontificii, quare Missam tantopere [illegible], Reformati, quare eam adpellent abomina[illegible] [illegible] facto, ab illa parte per Augustanum Marcum, ab

ab hac per Oecolampadium, decrevit quidem Senatus, rem ad Concilium esse differendam, sed cives, motuum pertaesi, cum illud aegre ferrent, statuit denuo, utrique parti concionum et fidei libertatem esse permittendam, salva concordia civili. Sed festorum, quorum ingens erat abusus, numerum aboleverunt.

§. CXCIX. Motus *Anabaptistici*, inter adversa reformationis locum tenentes, cum hoc anno Ecclesias per varia Helvetiae loca turbarent, et nec per colloquia, quae Basileae cum illis habuit Oecolampadius de paedobaptismo, juramento, et aliis capitibus, Bernae Hallerus et Colbius, nec per edicta reprimi possent, Magistratus severius censuerunt cum iis, ad, haud imitandum, exemplum Pontificiorum cum haereticis, agendum esse; sicut per mulctam, et exilium, non tantum, sed per ipsam mortis poenam, reapse fecerunt, quod valde dolendum, ipsi Reformati. Tiguri utique martyrium propterea passus est Felix Mansius, in aquam submersus, et suffocatus, summa cum constantia et laetitia, inter pios cantus, adeo ut jam moriturus cecinerit Psalmica illa, *in manus tuas Domine! commendo Spiritum meum*. Georgius vero Jacobi, cognomento Blaurock, fustigatus est, et urbe ejectus. Negari tamen nequit, fuisse inter eos homines fanaticos, qui seditiosam etiam disseminabant doctrinam contra Magistratus, subinde etiam cum horrendis sceleribus conjunctam. Sangalli, ex. gr. anno superiore aliquis, fanaticismo actus, fratri suo germano praesente, Patre et Matre, cervices et caput abscidit, divinum praetendens mandatum; ut refert Sleidanus L. VI.

ANN. 1528.

§. CC. Omnium celeberrimum fecit annum illustris disputatio publica *Bernensis*, eo scopo a Bernensibus instituta, ut civium divisio e medio tolleretur, quidque in religione publice tenendum sit, enitesceret. Accessit, quo ad colloquium

[illegible] magis incitati sunt, quod authentica Badensis acta ce- [illegible], et suspectae fidei viro, ut supra tetigi, com- [illegible] licet Episcopi et Cantones, ipse Carolus [illegible] egerint ad illud vel avertendum, vel inglorium [illegible] faciendum, nihil profecerunt, Bernenses enim [illegible] perstiterunt, civitatesque liberas cum Episco- [illegible], ut viros doctos ad disputandum, vel adsis- [illegible] mittant. Nemo quidem Episcoporum accessit, Can- [illegible] Catholici recusarunt non tantum aliquos able- [illegible] et transitum per terras suas, verum Basileenses, [illegible], Abbacellenses, Sangallenses, Mulhusiani; et Rhae- [illegible] Argentinenses, Ulmenses, Augustani, Lindavii, [illegible], et Isnenses, illud fecerunt, ita ut incredi- [illegible] frequentia. Materiam disputationis constituerunt [illegible] apud Scultetum etiam obviae, quas Ecclesiae [illegible] Capito et Hallerus, profitebantur, quae [illegible] Ecclesiae capite, verbo Dei unica fidei [illegible] unica salutis causa, contra cor- [illegible] in coena praesentiam, et Missam, de Christo [illegible], et invocando, agunt, et contra purga- [illegible], ac coelibatum Clericorum. Continuavit [illegible] ad 27. Januar., totos novendecim dies con- [illegible] ejus fuit liberrimus, ad unicam Scriptu- [illegible]. Praecipui actores fuerunt a parte Catholi- [illegible] Grad Dominicalis, Tregarius Friburgensis, Li- [illegible] Zolfingensis, Hauterus Abbacellensis, prae- [illegible]; a parte Euangelicorum Hallerus, Zuingli- [illegible], Oecolampadius, Capito, et Bucerus: quibus addendus [illegible] Althamerus Nurenburgensis, qui se delegi a [illegible] passus est, ad corporalem praesentiam Christi [illegible] defendendam. Acta prolixe recenset Ruchat, [illegible] Scultetus, qui ex Bucero, in epistola [illegible] Magistratus et Euangelii praecones Bernenses, [illegible] ejus ad Euangelium Joh., et Jacobo Mo- [illegible] Soludurienfi, in epist. ad Sigismun-

dum

dum Trudonem, Canonicum Moguntinum, illo euangelico, hoc Pontificio, clarum eorum dedit intellectum. Fatetur vero Jacobus, zelota licet Pontificius, qui praesens adfuit, causam euangelicam hic triumphasse, sed ineptorum disputatorum ex Pontificiis culpa; addit, *malum hoc praecaveri potuisse, si studiorum, quam scortorum, Episcopi essent amantiores.*

§. CCI. Finita hac ratione disputatione, Bernenses mox plenae, et perfectae, reformationi, in doctrina, cultu, et moribus, manum admoverunt, edictis, cum populi communitatis consensu, publicatis, et Bernae primum, dein per totum Cantonem, missis deputatis, reformatione introducta, et cultu Pontificio penitus abrogato; monasteriis et coenobiis in scholas conversis, et Bernae erecta Academia, ipsa militia peregrina prohibita. Denique, in laeti ac grati animi signum, duobus seditiosis vitam condonant, proscriptis reditum concedunt, idque in honorem Christi Regis, ad se reversi, monetam quoque cudunt, et abolitae religionis Pontificiae *diem et annum aureis litteris in columnam inscribunt*, ut narrat Sleidanus lib. VI., tacentibus scriptoribus Helvetiis. Ceterum haec tam notabilis mutatio fuit tanta peracta prudentia et moderatione, ut nulli fuerint orti graviores motus. Seditionem quidem aliquam, quae initia peperit belli, postea secuti, moverunt contra Bernenses, Magistratum suum, Haslenses, Briecenses, et Undenscenses; sed conspecto exercitu Bernensium, pacis acceperunt conditiones.

§. CCII. Bernatum exemplum secuti sunt plures, et ingentes per Helvetiam progressus fecit reformatio, multas licet inter difficultates. *Glaronae*, quae causa religionis in partes erat scissa, obtinuerunt Euangelici, et nonnullis in locis sublatae sunt imagines. *Basileae*, cum reformatio lentius, quam cives volebant, procederet, nonnulli eorum imagines sustulerunt in Templo Martiniano, et Augustiniano, inscio Senatu, propterea in carcerem conjecti: sed multorum civium facto concursu, qui tribulium liberationem, ac Euan-

gelii patrocinium petebant, decrevit Senatus, ut imagines e Templis auferrentur, exceptis illis, in quibus Missa adhuc celebrabatur. Quae eadem fors imaginibus contigit apud Sangallenses, et alibi, variis in locis. *Sangallenses*, qui jam biennio ante ejecerant imagines, et idola, Templo Parochiali, idem nunc fecerunt in Templo Magno; Senatu etiam eos movent, qui reformationi adversabantur, vetant insuper sacerdotibus celebrare Missam, et Catholicis inperant, ut euangelicas audiant conciones. Idem accidit in Comitatu *Toggenburgico*, nonnullis Turgoviae locis. *Constantiae* quoque imagines, et arae cum Missa, aliisque ceremoniis, sunt abolitae: ubi Ambrosius Blaurerus, antea Monachus Alperspaci in finibus agri Wirtenbergici, per libros Lutheri conversus, docuit. Nec aliam tenuerunt viam *Rhaeti*, Helvetiis vicini, frustra Paulo Zieglero, Episcopo Curiensi, renitente, qui propterea sedem suam deseruit. Qua occasione Catholici, in euangelicos Curienses conspirantes, eos inproviso trucidassent, nisi detecta fuisset conspiratio. Denique speciale pactum confoederationis, ad reformationis defensionem, inierunt Bernenses et Tigurini, quo sese ad mutuam obligarunt defensionem, relicta tamen aliis libertate religionis, et salva societate cum reliquis Cantonibus, in rebus ad religionem non pertinentibus, ad quam confoederationem hoc anno accesserunt Sangallenses, et alii, sicut sequente Basileenses.

ANN. 1529.

§. CXIII. Celebravit hunc annum, praeter colloquium Marpurgense, de quo supra exposui, in historia reformationis Germaniae, perfectior Basileae et Schaphusii, praeter alia Helvetiae loca, reformatio, indeque ortum bellum, sed mox pace inita finitum. *Basileae* cum maxima civium pars faveret reformationi, Senatus maximam partem Pontificiae religionem, motus inde orti aliquatenus sunt sedati, majore libertate

libertate concessa Euangelicis, et spe controversiae per colloquium terminandae facta. Sed cum doctores Pontificii indies fierent vehementiores, ac in Euangelicos declamarent, hi in unum coacti a Senatu postularunt, ut Senatores Catholici loco moverentur, et pacificationis decretum exactius observaretur. Consensit quidem Senatus in postulata, sed non perfecte; quare praecipua loca tenent occupata cives, et reformationem ardentius petierunt. Moras vero trahente Senatu, casu contigit, ut aliqui civium, urbem sociorum mandato circumeuntes, ut omnibus rebus provideant, Templum primariam intrarint, eorumque unus statuam alicujus sancti hasta sua revelleret, quae in terram delapsa et confracta est: absque ut aliud quid tentarint, sacrificulis intervenientibus. Rumore vero de motibus in Templo ad reliquos cives delato, illi, ut suis opem ferrent, accurrerunt, et, licet nihil motuum deprehenderent, ne nihil agerent, reliquas statuas et imagines demoliuntur, idemque mox in aliis faciunt Templis. Senatui vero, eos dehortato, responderunt, *quod vos totum jam triennium deliberatis, an fieri debeat, illud nos una perficiemus hora, ne propter idola sit ullum posthac inter nos dissidium.* Quo in rerum statu Senatus in omnia consensit, et duodecim Senatores loco sunt moti, cusumque est decretum, ut Missa, cum omnibus idolis, per universum aboleretur Cantonem, denique, ut Senatus ducentos et sexaginta e civibus in posterum adhibeat in consilium. Tertio post die, qui erat *Cinerum*, novem statuae ligneae, compositis struibus ante aedem primariam, flammis sunt traditae, et in Cinerem redactae. Qua singulari rerum facta mutatione, plurimi, inter quos Erasmus et Glareanus, ex urbe discesserunt, et, Academia denuo instaurata, vocati sunt ad linguae Hebraeae professionem Sebastianus Munsterus, et Graecae Simon Grynaeus, viri egregii; et nemini non noti. De Grynaeo, qui linguae Graecae antea fuerat Professor Heidelbergae, et singulari ejus casu Spirae, vid. Altingius de Ecclef. Palatin. cap. 16. Deinde publicata est

[illegible] reformatae *Ordinatio*, apud Scultetum [illegible] VI., et Basileenses ad foedus Tigurinum, ac [illegible] cum Mulhusianis.

[illegible] Basileenses sese totos quoque reforma- [illegible] *Mulhusani*, adversae partis studiosis vel [illegible] vel discedentibus. Missa itaque est abroga- [illegible] idolis sublatae sunt, in specie crassum il- [illegible] *Numen* dictum. Adjunxerunt [illegible] Cantonum Euangelicorum. Exornata prae- [illegible]ummata, reformatio inter Tigurinos et San- [illegible] quoque ab aliis per Helvetiam Ecclesiis [illegible]aviae, in ditione Abbatiscellana, Episcopi- [illegible], et in provinciis liberis in Wagenthal. [illegible] citati. Quos progressus licet Pontificii, [illegible], aegerrime tulerint, seseque ad euangelicos [illegible]cinxerint, pacto etiam cum Ferdinando Rege [illegible]ervaldios, quibuscum acerrimae erant Tigurinis [illegible]llum spectantes, adjuverint, attamen res cum [illegible] est composita. Tigurini, a Bernatibus ad- [illegible] indixerant, caussis edito scripto expositis, [illegible] quod Suitenses cives Tigurinos, debitam [illegible]pescentes, verberibus exceperint, et Un- [illegible], ut et Bernatum, insignia ad patibulum suf- [illegible]roductis utrinque copiis, causa, interventu [illegible] pacifice finita sine sanguinis effusione. In- [illegible]onditiones, quas omnes Ruchat recenset, [illegible] esset inter ipsos, aut alter alteri noceret, [illegible]omnisque violentia, ejus respectu, cessaret, [illegible]abstinerent maledictis. Nec tamen fida fuit [illegible] pars contenta fuit: ut eventus docuit.

[illegible] perversum suum zelum etiam exerue- [illegible]llae, urbis Inperialis, ad sinistrum Nie- [illegible]ium, latus, societate junctae Helvetiis, [illegible] magno ibi erant numero, ope Conra- [illegible] conversi, se numero superiores existi-

mantes

tantes definiri per plura voluerunt, essetne missa abolenda, nec ne? Sed decepti sunt, et causa ceciderunt, non tantum, verum, jussu Senatus, expulsi sunt numero trecenti et octoginta quinque. Acciderunt et alia adversa, cum per quaestionem sacramentariam, de qua supra suo loco egi, tum per motus Anabaptisticos, qui adhuc durarunt, una cum eorum persecutione ab ipsis Reformatis. Pontificii eos mox poena mortis adficiebant, sed Reformati primum expellebant, data fide se non esse reversuros, si redirent carceris taedio ad juramentum praestandum cogebantur; si et sic pedem retraherent, gravius plectebantur. Basileae novem Anabaptistae in carcerem conjecti sunt, quibuscum contulit Oecolampadius; quorum tres ad meliorem mentem se receperunt, reliqui, qui sibi vindicabant victoriam, in exilium pulsi sunt. Bernae tres sunt aquis suffocati, quia tribus vicibus ejecti sunt, et reversi contra juramentum, et mandatum Magistratus. Eandem poenam unus subiit apud Tugios, quod juramentum exilii nollet praestare, Ludovicus Hetzerus, de quo plura habentur in Mus. Helvet. p. XXI. Constantiae ob crimina, ex propria confessione, capite plexus est.

ANN. 1530.

§. CCVI. Praeterquam quod ultima manus fuerit reformationi inposita apud Glaranenses, Schaphusios, et Basileenses, et purior doctrina per Helvetiam Romanam, vel Gallicam, maxime opera Farelli, de quo postea, fuerit propagata, insignem progressum fecit inter *Soloturios*, quibus eam ab aliquo jam tempore adnunciaverat Philippus Grotius. Graves cum ibi anno praecedente fuissent propterea motus, dum cives et sapientes a parte Euangelicorum, Magnates et Canonici a parte Pontificiorum, starent, inpetrarunt Euangelici, ope Deputatorum Bernae et Tiguri, libertatem conscientiae et religionis, publico firmatam edicto, pro se

omnibus per totum Cantonem; regarent singulas Ecclesias, vellentne quando triginta quatuor paroe- sent, et decem Missam. Re- maxime postquam Hallerus Ber- venisset, et sudorem S. Ursi, tunc, superstitiose de sancti sollicitudine essent interpretati, denuo missi sunt ad eos sedandos. Quando a Senatu de- reformati Templum haberent, in quo re- exerceant, 2. disputatio religiosa hoc aliquot menses, institueretur. Quem in fi- sunt ab Euangelicis oblatae Senatui, con- purgatorium, traditiones non Scripturarias, i- praesentiam corporalem in Coena. Canonici illis capitibus scripto explicuisse contenti tanquam inutilem, evitarunt. Quare res eo ad annum sequentem fuerit dilata disputa- euangelicorum, qui interea multa sunt

Nocuit etiam reformationi, praeter motus A- disputatio inter ipsos euangelicos orta de *disci-* seu excommunicatione, essetne ea intro- pravorum morum coercitio, et punitio relin- Christiano? Prius, ope Oecolampadii, Basileenses, sed posterius, ope Zuinglii, Turgovios, et alios. Ratio vero, quare ratione fuerint multi alieniores, ab Anabap- qui potestatem puniendi malos mores Ma- et Ecclesiae unice adsertam volebant: qua- tionis patroni in suspicionem Anabaptismi, potestatis Magistratuum, inciderunt. Turba- Helvetiam Anabaptistae, ingensque crearunt re- praejudicium, acsi a censu, decimis, omnique Magistratui debito, abstrahere homines in animo haberent,

haberent, nec negari potest, varios eo scopo acceptasse reformationem. Quae etiam ratio est, inter alia, quare Cantones euangelici in eo fuerint toti, ut hanc sectam, edictis publicatis, ac poenis, etiam gravioribus, inflictis, funditus exstirparent, subinde etiam inter anabaptistas bonos et malos nullo facto discrimine.

ANN. 1531.

§. CCVIII. Fuit hic annus, prae omnibus aliis in hac historia memorabilis, in initiis funestissimus, per bellum inter quinque Cantones Catholicos, et Tigurinos ac Bernatus, Zuinglii ac Oecolampadii obitum, deinde faustus per stabilem reformationis sedem, pacto inter Cantones inito, ortam. Quam historiam adcurate et prolixe narrat Ruchat lib. VIII. Multi hoc et superiore anno acciderunt casus, qui animos, religionis causa divisos, valde exacerbarunt, quos recensere longum foret. Quinquepagici adeo aversabantur reformationem, tantisque ejus studiosos adfecerunt injuriis; ut omnes reformatae urbes commercium cum illis interdixerint, simul reapse intercluserint: unde res in bellum brevi erupit. Intercesserunt quidem Glareani, Friburgii, Solothurii, et Apecellenses, cum ipso Rege Galliae, pacis propositis conditionibus, sed in cassum. Catholici enim aliquid in praejudicium religionis plane recusarunt concedere: erat enim inter eas pacis conditiones, ut euangelium adnunciari permitteretur, et ejus causa nemini fieret injuria. Tigurini vero commercii interclusionem, sine quo de pacificatione nihil audire voluerunt Quinquepagici, auferre abnuerunt. Interea cum in eo essent mediatores, ut bellum praevenirent, ipsi Euangelici secum aliquatenus fuerunt divisi, cum Tigurini omnes respuerent moras, et reliqui socii novum vellent conventum.

§. CCIX. Qua arrepta occasione, quinque Pagi Catholici, ad arma concurrentes, commercium per Tigurinos in-

terceptum, qui loca et clauſtra viarum tenebant occupata; vi armata aperire adgreſſi ſunt. Praemiſſa itaque declaratione belli contra Tigurinos, ut eos ſolos viderentur adpetere, eorum fines ſine mora invadunt, et praeſidium militum Tigurinorum, circiter mille, prope monaſterium Cappellae oppugnant. Quo audito, feſtinate, ſed ſine ordine, ex urbe advolant Tigurini, ut ſuis opem ferant; ſed, pugna facta, inferiores cum magna clade diſceſſerunt. Quod idem fatum eos in altero feriit praelio, paulo poſt habito, inter quinque Pagorum exercitum, et aliquot ſigna Tigurinorum, ex omni numero ſelecta, in monte prope Mencingum. Quae infelicitas a neglecta diſciplina militari maxime ſolet repeti. Quibus malis, aliiſque moleſtiis, fracti Tigurini, poſt nonnullos alios ex ſociis, ſeparatam fecerunt cum hoſtibus pacem, cujus primarius articulus comprehendit mutuam religionis tolerantiam, exacte utrinque obſervandam, abſque ut alii alios propter religionem aut verbis aut factis infeſtent. Quam excellentem, civitatibus et ſingulis hominibus tam utilem et neceſſariam, et vere Chriſtianam, virtutem, cujus neglectus tot innumera per omnia ſecula, in Chriſtianiſmi opprobrium et detrimentum, peperit mala, tandem damno ſuo diſcere debuerunt Tigurini, in reformatione propaganda nimium fervidi. Sed ſingulare eſt, quod religionem Catholicam paſſi fuerint in pacis inſtrumento adpellari *antiquam*, *veram*, *et indubitatam fidem*, reformatam vero ſimpliciter novam. Quod tamen ſtilo Catholico, quo conditiones ſunt exaratae, unice eſt acceptum ferendum. Unde rumor ſparſus eſt, Tigurinos fidem ſuam abnegaſſe. Bernenſes quoque, qui cum Tigurinis bellum contra Cantones Catholicos gerebant, a ſociis deſerti, exercitu etiam aliquatenus dilapſo, multaque metuentes mala, eaſdem fere in conditiones haud diu poſt fecerunt pacem Ceterum haec ipſa pax *nationalis* dicta Helvetiae, quia omnes Cantones in ea partes habuerunt, et in eam conſenſerunt, per duo fere ſecula pro norma fuit inter Helvetios habita, uſque ad a. 1712.

§. CCX.

§. CCX. Praeter hoc bellum alius accidit Reformatis casus tristis, in duorum virorum, qui primas in reformatione tenebant, *Zuinglii et Oecolampadii*, praematuro obitu, illius in priore praelio Tigurino, hujus paulo post ex aegritudine animi, propter mala ingruentia. De quo legendus est Scultetus. Commercia interclusa, aliaque inprudenter acta, licet inprobaverit Zuinglius, adeo etiam, ut, multis a longo invisus, quod externae militiae sese semper strenue opposuerit, Tigurum deserere voluerit, retentus per instantias Senatus, se passus est permoveri, ut suos in bello comitaretur, non tam sponte, quam coactus, partim jussu Senatus, partim invidorum clamoribus, qui mollitiem animi ipsi objiciebant. Egressus autem est ad militiam ex more Helvetiorum, qui praeconem euangelii semper secum ad bellum ducebant, adeoque non tanquam miles, sed suorum adhortator, et consolator, qui in dubiis et difficilibus suis adesset, attamen armatus in sui defensionem. In quo itaque nihil commisit, quod, sicut hostes nihilominus fecerunt, carpi queat. In priore autem praelio Cappellano lapide ictus, et prostratus, sese quidem ter in pedes erexit, sed, fugientium et prementium multitudine tandem oppressus, et fixus cuspide sub mento, in genua prolapsus, dixit; *ecquid hoc infortunii? age, corpus quidem occidere possunt, animam non possunt.* Vivus adhuc, sed animam agens, et supinus jacens, complicatis manibus, et oculis in coelum intentus, sed non cognitus, ab hostibus deprehensus est: cum vero ad confessionem, et Mariae invocationem, frustra excitaretur, lethale a quodam accepit vulnus, et exspiravit. Ubi vero, eum esse Zuinglium, constitisset, condemnatus post mortem tanquam haereticus, et in ejus corpus saevitum est, quod in quatuor partes sectum, et flammis est combustum; corde postea reperto illaeso. Dici nequit, quot quantisque fuerit calumniis post mortem, et ejus quoque respectu, proscissus, a Catholicis non tantum, sed et, quod dolendum, ab ipsis reformatis Lutheranis, qui cladem hanc

vindictae Divinae non erubuerunt adscribere ob negatam praesentiam Christi corporalem in S. coena. Mortuus est annos natus 44., et multa reliquit scripta, quae quatuor vol. in fol. prostant. Vir fuit sine dubio magnus, eruditus, et eloquens, Theologus eo nomine dignus, et moderatus, ubique etiam terrarum aestimatus. De quo vid. Hottingerus hist. sec. XVI. p. II. cap. 3. Male multis audit ob opinionem de salute nonnullorum Gentilium. De qua, et aliis ejus opinionibus, hic non est agendi locus. Fuit praeterea in ea opinione, malas actiones hominis esse materialiter a Deo, sed formaliter ab homine, adeoque hujus respectu vitiosos, non Dei, quia non est legi subjectus. Vid. libellus ejus, cui titulus est, *anamnenia de Providentia Dei.*

§. CCXI. Haud diu post defunctus quoque est Johannes Oecolampadius, annos natus 49., Basileae, ubi novem vel decem annos concionatoris munere functus est. Zuinglii, integerrimi et familiaris amici infelici fato valde discruciatus, ex anthrace, post quindecim dierum decubitum, mortuus ipsis Kalendis Decembr., inter sancta cum liberis, et Ecclesiae ministris, colloquia, pie et in fide constans, ut ex Simone Grynaeo, qui adfuit, et obitum ejus descripsit, constat. Calumniose admodum scripsit Lutherus in libro *de missa privata*, eum, *ignitis Satanae telis et hastis confossum subitanea morte periisse*: falso etiam alii, eum sententiam de S. coena mutasse, teste dialogo ejus, paulo ante mortem scripto, testibus etiam ultimis ejus verbis apud Scultetum. Encomium ejus exstat apud Bullingerum in praef. ad Jesaiam Oecolampadii, nec non apud Myconium in praef. ad ejus Prophetas Minores. Epitaphium, sepulchro ejus insculptum, exhibet Ruchat. Vir sane fuit egregius, et sano praeditus judicio, et in opere strenuus.

§. CCXII. Multi vero, his calamitatibus fracti, vel defecerunt a fide euangelica, vel remissius egerunt et timidius, nonnulli etiam de conciliatione cum Saxonibus deliberarunt, uti fecerunt Argentinenses, inprimis Bucerus, qui omnibus

nibus

nibus ab hoc tempore conatus est persuadere, Zuinglium et Lutherum idem reapse sensisse, in verbis tantum discrepantes: quod idem de Oecolampadio vulgavit. De Zuinglio autem cum illud scripsisset ad Ecclesiae Tigurinae ministros, Bullingerum et Leonem Judae, hi ipsum reprehenderunt, et ad constantiam hortati sunt; quod etiam fecerunt ad Sueviae Doctores. Sed Cantones Pontificii nihil non egerunt, ut Catholicismum ubique instaurarent, nec in multis locis sine successu. Restitutus enim est apud Bramgertenses, ejectis Bullingeris et Gervasio Scholastico, ut et apud Wilenses, Rapporsweilenses, Meillingenses, et praefecturas liberas. Sed Glareani manserunt constantes, nisi quod duabus in Ecclesiis renovata sit religio Catholica. Constantiores se praestiterunt reliqui Cantones Euangelici. Tigurini, praeterquam quod Zuinglio suffecerint Theodorum Bibliandrum in professione Theologica, et Henricum Bullingerum in munere Episcopali, sese ad constantem fidei Euangelicae professionem solenniter obstrinxerunt, instaurata etiam Schola Cappellana, cui Petrum Semlerum praefecerunt. Quam eandem constantiam praestiterunt Bernenses, qui nonnullos, ad Catholicam religionem inclinatos, Senatu moverunt, et se in fide sua confirmarunt. Denique Basileae Oecolampadio successit Oswaldus Myconius. Denique Anabaptistae, cum Ecclesias Helveticas turbare pergerent, repressi sunt, colloquiis et edictis adhuc severioribus: unus ex eorum Coryphaeis Pfistermeierus, qui multa movit, Bernae publico colloquio convictus resipuit. Plura qui velit, adeat Ruchat.

ANN. 1532.

§. CCXIII. Viguerunt cum maxime hoc anno, praeter quaestionem Sacramentariam, motus Anabaptistici, quorum historiam mox pertexam. Habita sunt duo cum ipsis colloquia, unum apud Sangallenses, alterum Zophingae. Prius fuit cum Marquardo, licet invito, sed jussu Senatus, nullo

cum fructu, nisi quod eorum obstinatio magis eluxerit, et multorum oculi fuerint aperti. Ejectus ergo est Marquardus. Alterum fuit solennius Zophingae, in Cantone Bernensi, salvo quoque conductu concesso Anabaptistis, qui numero viginti tres comparuerunt: quibuscum, sub praesidio deputatorum Politicorum, disputarunt Ministri euangelii Bernenses per novem dies, de Ecclesia, excommunicatione, Magistratu, decimis et censu, juramento, sustentatione Ministrorum, et baptismo: sed cum exiguo fructu, Anabaptistis non repressis, qui expulsi, sed reversi sunt, quare rigidius cum iis est actum, et poena mortis, per submersionem in aquas, adfecti sunt. Qua via, minus Christiana, cum parum etiam proficeretur, tandem decretum est, ut, si se quietos tenerent, nec promulgarent opiniones, aut sectas facerent, tolerarentur; ceteroquin in perpetuum conjiciendi carcerem. Quam etiam subirent poenam, si conciones adire, et infantes baptizare, recusarent.

§. CCXIV. Sed Cantones Euangelici, ut ad eorum nomina veniam, Bernae, Tiguri, et Basileae, res religionis, haud parum per superiores motus turbatas, instaurare, confirmare, etiam in sede stabili collocare, laborarunt, eoque fine Synodos convocarunt, formam religionis et disciplinae composuerunt, et Missam, statuta poena, interdixerunt omnibus, per edicta. Unde novi sunt orti motus, praecipue apud Tigurinos, Catholicis per nuncium Papae, Ennium, contra eos concitatis; sed qui effectu caruerunt. *Appecellenses* etiam per plurima decreverunt pro reformatione. Sed nihil est Synodo Bernensi, initio anni, memorabilius, cui ducenti triginta Ministri interfuerunt. Concinnatae enim in ea sunt regulae, in ministerio observandae, et confirmatae, quas Wolfgangus Capito, Theologus Argentinensis, composuit, et Simon Schulzerus Latine vertit, qui hoc tempore Basileae versabatur, et sequente Professor linguae Graecae Bernensis factus est, cujus singulare fatum, quo studia sua promovit, enarrat Ruchat. lib. X., qui etiam canones Bernen-

ses,

ses, omni animadversione dignos, una cum actis Synodi, recenset ad calcem ejus libri.

ANN. 1533.

§. CCXV. Bernenses et Basileenses sese hoc anno arctiore junxerunt foedere, cum innotuerit, Quinquepagicos, cum Papa et Valesiis, foedus ad tuendam religionem Catholicam pepigisse, quod foederi pacis, paulo ante facto, quo cum exteris pactum inire vetitum erat, adversabatur. Sed insigne accepit reformatio decrementum per Soloturiorum reditum ad Papismum. Admiserant quidem jam ab a. 1531. liberam Euangelii adnunciationem, eo cum successu, ut ex quadraginta quatuor dioecesibus hoc tempore fuerint triginta quatuor, quae reformationem per plura receperunt. Sed, praeter funestas ministrorum circa nonnullos ritus dissensiones, et Anabaptistas, qui magno ibi erant numero cum Euangelicis confusi, ardens Quinquepagicorum studium pro religione Catholica tantum valuit, ut reformatio fere hoc anno ibi fuerit pessundata: multis motibus, ad bellum spectantibus, inde ortis. Quam historiam prolixe narrat Ruchat lib. X.

ANN. 1534.

§. CCXVI. Praeter edicta nova contra Anabaptistas, se continuo multiplicantes, promulgata, hunc annum celebravit, quod *Catecheticae* institutiones, ad Ecclesiarum Germaniae exemplum, ubi diu ante fuerant usitatae, nunc demum in Helvetiam fuerint introductae. Composuit vero in ejus Ecclesiarum usum formulam Catecheticam Leo Judae, quae ubique recepta est. Sed institutiones Calvini, postea evulgatae, et in quaestiones ac responsiones redactae, inserviebant, loco Catechismi, apud Tigurinos.

ANN. 1536.

§. CCXVII. Confecta hoc anno eft *Confeffio* Helvetica, in Synodo Bafileenfi, a tribus Theologis, Bullingero, Myconio, et Grynaeo, quibus dein duo alii, Leo Judae et Grofman, adjuncti funt, et communi confenfu adprobata, fed eo tantum fcopo, ut de fide Helvetica, inprimis circa praefentiam Chrifti in S. coena, publice conftaret, et unio Proteftantium, fi pote, refarciretur, ad quam Lutheri moderatio aliquam fpem, licet fruftra, fecerat. Praeterea, ut in Concilio generali, quod ante fores videbatur, exhiberetur. Interfuerunt huic Synodo Theologi Bernae, Tiguri, Bafileae, Schaphufae, S. Galli, Mulhufi, et Biennae; Theologi quoque Argentinenfes Bucerus et Capito, qui fponte fua venerunt. Nihil in hac confeffione occurrit de Praedeftinatione, et, in facramentis, praeter figna, dicitur dari rem ipfam Spiritualem. Adprobarunt quidem confeffionem Argentinenfes et Conftantienfes, fed publicationem diffuaferunt, ne unioni poneretur obex: quae tamen non eft effecta; tantum Lutherus dixit, *eam in fe effe bonam.* Ceterum folet adpellari *prima*, ut a fecunda prolixiore, a. 1566. confecta, diftingueretur, quam omnes Ecclefiae Helveticae, excepta Bafileenfi et Neocaftellana, feu Neuchatel, receperunt. Exftat etiam apud Ruchat l. XIII. Denique perdidit hoc anno Ecclefia Bernenfis praecipuum fuum reformatorem, fideliffimumque miniftrum, Bertholdum Hallerum, annos 44 natum, cui fuffectus eft Sebaftianus Meierus, paftor Argentinenfis, eique adjunctus Erafmus Ritterus, Schaphufanus.

REFORMATIO HELVETIAE GALLICAE, IN SPECIE GENEVAE.

§. CCXVIII. Dividi, linguae refpectu, folet Helvetia in Germanicam, quae feptentrionales comprehendit partes, et

Romanam,

Romanam, seu Gallicam, quae partes Meridionales, in specie regionem Vaudi, partim Bernensibus, partim Friburgiis, subjectam, et Comitatum Neocomensem, aliasque regiones vicinas, continet: quo etiam Valesii et Genevenses pertinent. Harum regionum reformatio est ea Helvetiae ac Germaniae posterior, simul per extraneos fere tota peracta, sed ope Bernensium, qui eo miserunt Farellum, dein alios, et opus illud omni studio promoverunt, ac tuiti sunt. Primus et praecipuus harum regionum cum fuerit *Farellus*; quem alii sunt secuti, uti Viretus et maxime Calvinus, Farelli omnino ante danda est aliqua notitia. Vitam ejus conscripsit Ancillon, primum Metensis, dein Berolinensis Pastor. Fuit Delphinas, Vapinii, in Delphinatu, e nobili familia natus a. 1489. Studiis Linguarum Hebr. et Graecae, ut et Philosophiae, magno successu, confectis in contubernio Jacobi Fabri Stapulensis, et euangelica quoque doctrina imbutus, sese Meldas contulit ad Brissonetum, urbis Episcopum, et ejusdem doctrinae studiosum. In cujus dioecesi cum jam ab a. 1521. purius docuisset euangelium, inde, vi persecutionis adactus, secessit Vapinium, in solum patrium; indeque, propter odia et tumultus, Basileam, ubi Oecolampadio se adprobavit, eique opem tulit, habita etiam publica disputatione a. 1524., quam Universitas quidem inpedire volebat, sed Senatus adprobavit, et promovit. Theses Farelli Scripturam S. unicam fidei et religionis normam urgebant, et fidem in Christum justificantem, sine propriis meritis, rejiciebantque ritus Papisticos, coelibatum Clericorum, Monachatum otiosum, consilia euangelica, aliaque similia. Vid. Ruchat reformat. Helvet. l. II. Sed Cleri odium, vehementius etiam in ipsum per hanc disputationem accensum, effugere coactus, se Argentoratum recepit ad Capitonem et Bucerum, et purius euangelium Gallis, qui, post Meldensem cladem eo confugerant, ingente studio adnunciavit. Quod ipsum dein Montem Pelicardi (Montbeliard) Wirtenbergicae ditionis urbem profectus a. 1527., ibi, sub tutela

 Ducis,

Ducis, magno successu fecit, adeo ut spatio biennii totum Ducatum hac luce illustraverit. Sed inprudentis, et nimii; zeli, quo flagravit, dedit et hic indicium, quod ipsi male cessit, et fugam peperit, in eo situm, quod Antonii imaginem, per urbem circumgestatam, manibus sacrificulorum excusserit, et in flumen conjecerit.

§. CCXIX. Bernam itaque secedens, inde, Halleri consilio, se contulit Aquilejam Bernatum oppidum, Aigle dictum, sub finem a. 1526., persona ludi-magistri sumta, cum nomine Gulielmi Ursini. Admonitus autem ab Oecolampadio, ut zelum temperaret, et Christi se adcommodaret legibus, morem aliquatenus gessit, et juventuti veritatem salutarem, magno cum fructu, instillavit, donec Bernatum ope adjutus, pastorem et concionatorem publicum, nomine suo resumto, agere coeperit a. 1527. Sed, quo majores fecit progressus, eo graviores est expertus oppositiones, quae a tumultu saepe prope aberant. Quare, Bernensium edicto munitus, tetendit a. 1529. Moratum, gentis Helveticae satis illustre municipium, Bernensibus et Friburgensibus subjectum: tantoque cum successu docuit, ut parum afuerit, quin per plurima vota fuerit pro reformatione conclusum. Hanc enim reformationem introducendi rationem tenuerunt, vi pacti, Cantones, defectu tolerantiae, quae multa produxit mala. Profectus dein est Lausannam, sed haud diu post, cum ibi non admitteretur, Neocomum (Neuchatel,) ubi eodem fere successu docuit, licet inter graves Magistratus et Cleri oppositiones, teste epistola ejus apud Ruchat. l. VII. Rediit dein Moratum, ubi per pluralitatem votorum stabilita erat reformatio, ut eam ulterius promoveret, sicut et ibi, et in locis vicinis, strenue peregit. Cum vero Neocomi, et per agrum Biellensem, disseminaret euangelicam doctrinam, ea Neocomi tantos fecit progressus, ut reformati fuerint numero fere aequales Catholicis; imagines quoque, non obstantibus Catholicorum, quibus Comitissa et Magistratus opem ferebant, vehementibus oppositionibus, et altaria, sint

per

per zelotas aliquos reformatorum in Ecclesia Collegiali sublata. Inter quas turbas reformatio ibi per plurima vota est admissa, pacis conditionibus, sub Bernensium auspiciis, initis: quibus tamen non steterunt Catholici, novas cientes turbas.

§. CCXX. Incubuit dein reformationi propagandae, vel confirmandae, per regionem *Vaudi*, a. 1531., et *Aventicum* (Avanché) introduxit, sed inter acerrimas oppositiones, cum praesentissimo ejus periculo conjunctas. Quo eodem modo res varios inter tumultus, per Franciscum Juliani suscitatos, et foeminas, processit *Orbae*. Bernensium vero autoritate effectum est, ut Orbenses, qui initio ne audire quidem voluerunt Farellum, continuis clamoribus et tumultibus eum interrumpentes, tranquillius passi sint concionari, sed sine insigni successu. Inter primos, quos sibi adsociavit, fuit, praeter alios, *Petrus Viretus*, civis Orbensis, et scientiis probe inbutus, qui conciones quoque habere coepit Orbae, et dein Gransonii; vir plane egregius, et variis scriptis, quae neminem legisse poenitebit, clarus. Interea animos sumserunt Orbae reformati, eo etiam usque, ut nonnullis in Ecclesiis imagines destruxerint et altaria, ac S. coenam administrarint suo more. Sed *Gransonii* longe majores fuerunt Catholicorum contra Farellum motus hostiles, quibus praesentissimum saepe in vitae periculum incidit; subinde etiam reformatorum culpa, qui ab excessibus sibi non caverunt. Postea tamen Orba et Gransonium reformationem susceperunt, per plurima vota; et ad earum exemplum deinde reliquae civitates illorum territoriorum: et in locis vicinis habuit reformatio insignes progressus. Tandem inter Friburgios et Bernenses, illos Catholicos, hos Reformatos, convenit, ut utraque religio sine tumultu et turba exerceretur. Qua ratione receperunt in regione Vaudi reformationem a. 1532. aliqua parte Aventicum, Orba, et Gransonium; mansitque religio Catholica in reliquis Vaudi partibus, quae partim Duci Sabaudiae, partim Episcopo Lausannae,

sannae, parebant; reformationi omni occluso aditu, donec Bernenses eas terras occuparint. De quo postea.

§. CCXXI. *Genevae*, cujus reformationis fundamenta hoc tempore jacta sunt, ad quam historiam adcuratius paulo enarrandam pergo, licet non deessent, quae viam ad reformationem sternere videbantur, invincibilia fere sese obtulerunt obstacula; quorum praecipua erant sequentia. 1. Ignorantia, superstitio, et tyrannis Episcopi, Principis urbis, ac Cleri, summum tenebat gradum. Vid. Spanhemius in *Geneva restituta*. 2. Urbs vehementer fuit adflicta, et vexata, per Duces Sabaudiae, qui principatum ibi adfectarunt. Unde innumera mala, ut caedes, spoliationes, bella, obsidiones urbis, aliaque, orta sunt. Quae concertationes cum Carolo III., Duce Sabaudiae, ab a. 1511. usque ad a. 1535. durarunt, quo omnia sua jura perdidit Dux, et Geneva nacta est libertatem. Vid. Spon in *hist. Genevae*. 3. Friburgenses, quibuscum aeque ac cum Bernensibus arcto juncti erant foedere Genevenses, quique eorum praecipui erant patroni, et tutatores, erant acerrimi reformationis hostes, qui nihil non ad eam ibi exstinguendam egerunt. Foedus illud ab a. 1526. ad 25 annos fuit initum, postquam cum Friburgiis jam ab a. 1518. fuissent foedere juncti. Inter ea vero, quae ab altera parte favebant reformationi, et aditum parabant, fuit 1. quod Bernenses eam fuerint tuiti, et monitis, autoritateque sua promoverint. 2. Clerici et Canonici sese, et morum corruptione, et tyrannide, quodque, tempore molestissimarum cum Duce concertationum, nihil reditoum et bonorum suorum urbi sublevandae voluerint inpendere, valde fecerunt odiosos. Inprimis animos civium exacerbaverat ultimus Episcopus, Petrus Palma, raptu honestissimae puellae a. 1527., tempore Quadragesimali, quo plebs fuit concitata, vix per puellam restitutam sedanda. Quo eodem anno 3. accessit sententia excommunicationis, ab Archiepiscopo Viennensi, Metropolitano Genevensium, lata in Magistratum aeque ac populum Genevensem, quod

Mamme-

Mammelucos recusarent admittere. Erant enim in *Egnotos* (eedgenoten,) unde nomen Hugenotorum in Gallia censeri forte possit natum, et *Mammelucos*, divisi, quorum *illi* pro libertate patriae pugnabant, *hi* vero Principi et Duci favebant, et propterea odioso Mammelucorum, seu militum servorum Sultani AEgypti, titulo insigniti. Qui posteriores urbe ejecti, et bonis privati, cum in urbem redeundi viam non reperirent, ad Archiepiscopum se receperunt, et excommunicationis sententiam inpetrarunt, a. 1527. Quo adeo irritati sunt Genevenses, ut Archiepiscopum in posterum agnoscere, aut ullas litteras Apostolicas admittere, prohibuerint gravi sub poena. Accesserunt 4. ad haec omnia reformationis semina, a Bernatum nonnullis, Genevam a. 1528. delatis, occulte sparsa, et a multis avide accepta, quibus sacerdotum inposturae, et superstitiosi nonnulli ritus, in lucem proferebantur, et reformationis necessitas in oculos ingerebatur. Quo multum etiam contulit Franciscus Bonnivandus, Fani Victoris Antistes, qui, a multis hac de re consultus, agnovit vitia cleri, et *labis*, *quae in Ecclesia grassaretur*, *mutationem* necessariam, sed reformatorum simul vitam integram requisivit. Idem ille Genevenses, fulmine excommunicationis perterritos, erexit, dicendo, *Dei*, *non hominum*, *anathemata esse formidanda*, *conscientiam nullum tribunal*, *nisi Dei*, *agnoscere*, *nec vel Diabolum*, *vel Papam*, *nocere*, *nisi illis*, *a quibus timeantur*, *quippe quorum fulmina solo crepitu valeant*, *non ictu*. Profuit quidem haec dicendi libertas reformationi, sed arctum et molestum autori peperit carcerem, in Chillonio arce, per sex annos. Addatur denique, nonnullos, quod occulte mussabant multi, et corde premebant, palam coepisse proferre; licet haec licentia Senatus-consulto, quo Lutheranae doctrinae professio severe est interdicta, fuerit mox repressa.

§. CCXXII. Quo in statu cum res ibi essent, opus reformationis serio magis ab a. 1532. agi, et fortius promoveri coepit, inter gravissima obstacula, funestosque etiam tumul-

tus. Quod per articulos et gradus strictim enarrabo. *Primus* gradus collocandus est in thesibus, vel programmatibus, de nocte adfixis, in compitis urbis, de *vera et universali peccatorum remissione per Jesum Christum*, sine ulla alia ac *resipiscentiae et fidei* conditione. Unde haud exiguus mox ortus est tumultus, dum alii, ut Canonici, rescinderint programmata, alii defenderint, non sine vulneribus et pugnis. Quo motus Senatus Genevensis severa contra has novitates promulgavit edicta, bullis quoque indulgentiariis Clementis VII. Templorum valvis adfixis. Crescente nihilominus puriore doctrina, inter cives non tantum, sed et ipsos Magistratus, decretum est, ut euangelium sine ullis fabulis adnunciaretur et doceretur. *Secundum* gradum fecit reformatio per *Farelli*, *et Antonii Salnerii*, Moranensis Delphinatis, adventum Genevam, Mens. Sept. a. 1532. Illi enim, a Bernensibus excitati, et litteris fiduciariis muniti, statim ac in urbem venissent, euangelicam suam doctrinam inter quoscunque obvios, non sine effectu, adnunciarunt. Dein ad Senatum delati, et ab eo severe, tanquam turbarum flabella, increpiti, sed, Farello se libere, simul modeste, defendente, et Bernensium litteras producente, admoniti tantum a Senatu, paulisper sedato, sunt, *ne novae doctrinae praedicatione tranquillitati publicae intercederent*. Qua ratione dimissi, mox tracti sunt ab Episcopo Bellemontano ad tribunal Ecclesiasticum, sed duobus Syndicis a Senatu muniti, ne ipsis quid mali accideret: ubi omnia turbulenter sunt acta, ipsique convitiis ac colaphis excepti. Procurator Fisci Episcopalis in haec erupit notabilia verba: *si disputatur, totum nostrum mysterium destruetur.* Unus Adsessorum, Bergerius, cum calumnias placide retudisset Farellus, mox regessit, *eum blasphemasse, nec opus esse testibus, reum mortis esse*; sed acutum a Farello accepit responsum, *verba Dei loqueretur, non Cajaphae.* Jussus dein paulisper secedere, petitur sclopeto a mancipio Vicarii, sed non feritur. Cum diu esset disceptatum, iis est denunciatum, ut urbe excedant. Quae turbulenta judicii

judicii forma vehementer uni Syndicorum, Francisco Hugoni, displicuit, et causae Pontificiae haud parum nocuit: illis utique egressis in agrum vicinum, multi sunt relicti, qui vel inbiberant veritatem, vel novarum rerum studio ducti, se iis adjunxerant, cetera vitae minus honestae et piae.

§. CCXXIII. *Tertium* gradum, seu stabilis reformationis primordia, posuit *Antonius Frumentius*, *fatale euangelio diffundendo nomen* dictus Spanhemio, ad Habessynorum Apostolum sec. IV. respicienti, Delphinas quoque, et Farelli discipulus. Qui, ab ipso excitatus, se Genevam contulit, et, sub ludi-magistri persona, artem legendi et scribendi professus, veritatem euangelicam instillavit, sed, numero eorum, qui veritatis cupidi erant, indies crescente, et favente Christophoro Bosqueto, Franciscano, publice coepit in aula concionari, coram ingente multitudine, auditoribus ex aede Franciscanorum ad hanc aulam, ei vicinam, tuto euntibus, et nequicquam ringentibus sacrificulis. Qua ratione multi magno numero ad lectionem Scripturae S., ac mutua colloquia, excitati, veritati euangelicae manus dederunt. Quem progressum invidis oculis contemplati sacrificuli, ridicule disseminarunt, doctores illos euangelicos esse *fascinatores*, qui magicis incantationibus hominum animos dementarent. Qua opinione honesta admodum, sed superstitiosissima, matrona, nomine Glandina, inbuta, ad Frumentium audiendum, quod diu non fuerat ausa, tandem, multis amuletis superstitiosis contra fascinationes munita, accessit: sed adeo tacta est, ut e concione se ad Novi Test. lectionem verterit, et trium dierum spatio plenissime conversa sit. Postea tamen Anabaptistis se adsociavit, sed et resipuit. Interea, cum magis magisque invalesceret reformatio, sed una cum civium disputationibus, accidit, ut ex concertatione civis, ac sacrificuli, fuerit rixa orta, quae eousque processit, ut, a Catholicis classico ad Magdalenae pulsato, cives concurrerint, et ad arma provolarint. Qui motus, a Senatu sedati, occasionem severi dederunt edicti, quo vetitae sunt concio-

nes euangelicorum, et Frumentius urbem deserere jussus est. Sed Euangelici, se culpa scientes vacuos, et bona caussa freti, obedire non tantum detrectarunt, sed majore numero ad Frumentium a. 1534. confluentes, quam aula capere posset, eum, in forum civitatis ductum, super scamno collocarunt, clara voce clamantes, *doce nos Dei verbum.* Quod cum fervide ageret, et intrepide, et themate ex Matth. VII: 16. sumto, in pseudo-prophetis depexendis mascule versaretur, et jussu Senatus silentium ipsi esset indictum, recusavit, dicens, *Deo magis, quam hominibus esse obediendum.* Sed armatos adesse admonitus, et rem ad tumultum spectare, se subduxit, et mox, cum nusquam esset tutus, urbe excessit.

§. CCXXIV. *Quartus* gradus, vel articulus, est variarum turbarum, contentionum, et seditionum, ipsius quoque Senatus cum Clero de jurisdictione, donec Senatus triumphaverit, et per disputationem Reformatorum cum Catholicis, feliciter finitam, solidiora sint reformationis jacta fundamenta. Post Frumentii abitum, severius licet, ad Friburgensium instantias, emanaverit edictum, vel Senatusconsultum, contra coitiones et conciones euangelicorum, hi, animos minime despondentes, furtivos non tantum habuerunt conventus, in quibus S. coenam etiam celebrarunt, quod primum a Guerino quodam factum est, qui sacro Ministerio postea est admotus in Peficardi monte, et dein Neocomensi agro, sed et nimio acti zelo, contradixerunt subinde publice superstitioni. Cujus audaciae singulare fuit exemplum in *Petro Roberto Olevitano*, Picardo, qui juventuti apud aliquem docendae operam dabat. Ipse enim Dominicanum, pro concione in Lutheranos insane debacchantem, increpuit, et prostituit; quod ipsi fere conciliasset necem. Ceterum hic est Olevitanus, qui in Waldensium gratiam Biblia Gallice vertit, et in Italia, toxico ipsi propinato, exspiravit a. 1538.

§. CCXXV. Praeterea, cum Bernates per litteras cum Senatu, super violentia in Farellum, et rabie Clericorum, expostularent, Senatus vero de litteris deliberaret, et plebs,

a Cle-

a Clero inflammata, ad curiam confluens, Lutheranorum postularet poenas, seditio paucis post diebus publica est exorta, plebe in Euangelicorum perniciem sacramento adacta. Quam ut averterent Euangelici, in unum ad sexaginta duos usque coeuntes, vim vi propulsare parati erant. Inpedita tamen est, quae inde secuta fuisset, magna strages per Mercatores quosdam Friburgenses, qui se medios et sequestros apud utramque partem interposuerunt. Qua occasione a Senatu hae sunt promulgatae sanctiones, ut 1. ἀμνηστίας amnestias lex obtineret. 2. quies postea conservaretur. 3. conciones secundum Verbum Dei instituerentur. 4. carnis esus illicitus esset diebus vetitis. In quas leges pax a civibus coram Senatu est jurata, et ab Ecclesiasticis coram Vicario Episcopi absentis. Haud diu post, cum Verlius, Canonicus Friburgensis, factiosis se ducem praebens, civitatem ad arma concitaret, novus est ortus tumultus, quo ipse ille dux obtruncatus est. Quae Versiana caedes, sicut Friburgenses irritavit, ita Senatum cum Episcopo, jurisdictionis causa, commisit. Friburgenses in caedis autores urserunt animadverti, Episcopus vero, Petrus Palma, in urbem reversus, Canonicos et Ecclesiasticos, ob tumultum in carcerem conjectos, solvit, et civium nonnullos carceri mancipavit, ex vinculis causam dicturos. Unde Senatum inter et Clerum ingens nata est conflictatio. Clero se adjunxerunt Friburgenses, multa minati, sed Bernates, ope promissa, Senatum, ut jura sua tueatur, adhortati sunt. Senatu tandem triumphante, captivi sunt Consulibus traditi, sed unus eorum, pro Friburgensium victima, capite plexus est, reliquis dimissis. Procurator vero fisci Episcopalis frustra contradixit, Episcopus, populi iram ob jura civitatis violata metuens, urbem dereliquit, ingente inter officiales suos et Senatum relicta contentione, religioni Pontificiae per litteras ad Senatum prospexisse contentus.

§. CCXXVI. Novi mox et graviores motus suscitati sunt per Guidonum Furbitum doctorem Sorbonicum, Dominica-

num, arte disputandi callidum, et inpudentem calumniatorem, a Clero arcessitum, nec non per publicum Vicarii Episcopi edictum, Kalendis Januar. a. 1534. promulgatum. Furbitus enim in Euangelicos non tantum, sed et in Bernates detonuit, ac convitia conjecit: cui cum Frumentius, et Alexander Camus, qui postea Lutetiae, causa euangelii, est combustus, in urbem reduces, os obstruxissent, Senatus autoritate repressi sunt. Edicto vero Vicarii vetitae fuerunt conciones Euangelicae, et Biblia, sive vernacula, sive Germanica, flammis addicta, sub gravi censura. Farellus autem, Frumentius, et Viretus, qui recens se iis comitem dederat, in urbem reversi, tam strenue in opere clam promovendo perrexerunt, ut intra privatos parietes amplius contineri non potuerint. Bernenses tanto studio, tantisque minis, novum turbonem Furbitum ad causam dicendam postularunt, ut in custodiam fuerit a Senatu traditus. Unde novae et acerrimae lites originem mox repetierunt. Clerus, virum sui ordinis Laicorum judicio subjici, indignatus, eum sibi postulavit tradi, adjutus a Friburgensibus; contranitebantur haud minore vi Bernates. Tota civitate hac ratione in partes scissa, vicit tandem Senatus, vel potius a Bernensibus victus, qui foederi renunciassent, nisi Senatus consensisset, et causae cognitionem sibi vindicavit. Audiuntur itaque in ducentorum virorum Senatu Bernenses actores, et Furbitus reus. Illi eum blasphemiarum in Deum, et horrendorum in Rempublicam Bernensem convitiorum, reum agunt, simul haeresin, sibi a Furbito inpactam, e verbo Dei demonstrari postulant. Furbitus multa a se dicta negavit, sed per testes convictus est: alia excusavit, sed et defensionem declinavit, et exceptionem fori ursit. Sed Bernatum postulata sunt Senatus suffragiis adprobata, adeoque decreta est disputatio, de potestate Ecclesiae in ferendis legibus, de autoritate Pontificis Romani, de traditionibus, aliisque controversiis, habenda in ducentorum virorum, et Bernatum Oratorum consessu. Postquam inter Furbitum, et

Farel-

Farellum, cui aderat Viretus, diu esset disputatum, Furbitus se ex Verbo Dei, quod tamen susceperat, placita Pontificia probare non posse, fassus est. Quo facto, Senatusconsultum est factum, quo ad publicam palinodiam est damnatus, tanquam qui multa Dei verbo, divinae gloriae, Bernatum dignitati, et omnium saluti adversa protulerat. Fefellit vero Furbitus omnium exspectationem: in cathedram enim productus non revocavit sua, sed ad pristinos se recepit mores. Quare de loco deturbatus, et in vincula reductus est: donec, ad Regis Galliae intercessionem, fuerit a. 1536. liberatus.

§. CCXXVII. *Quintus* est gradus, quo, post novos motus, et machinationes Cleri in civitatem ipsam, Friburgensium quoque oppositiones, per foedus cum Genevensibus ruptum, e medio sublatas, reformatio tanta cepit incrementa, ut publica autoritate fuerit a. 1535. sancita. Qui annus habetur *natalis Ecclesiae Genevensis*. Furbiti causa eo, quo dixi, modo terminata, novi in civitate motus tumultuosi concitati sunt autore Johanne Porterio, Episcopo a secretis, sed qui, unius civis caede, et nonnullorum vulneribus, sedati sunt autoritate Senatus, et legatorum Bernensium prudentia, Porterio in carcerem compacto. Cum autem ex ejus scriniis diploma Episcopale, in perniciem libertatis Genevensis, productum esset, adeoque Principis Sabaudi et Episcopi in civitatis jura ac privilegia conspiratio in lucem protracta, Porterius, non obstante indulgentia Episcopi, capite plexus est, cives quoque, eorum oculis jam apertis, a cleri defensione abstracti sunt. Qua occasione arrepta, Bernenses, Genevae degentes, concionandi libertatem suis concionatoribus Farello, Frumentio et Vireto, qui sub tutela Legatorum Bernensium privatim docebant, concedi, aeque ac novo praeconi Pontificio Francisco Coutelerio permissum erat, postularunt. In quo dando cum Senatus, in Cleri privilegia nondum ausus involare, et tumultus metuens, moras traheret: plebs euangelica, connivente

tamen Senatu, Templum Riparium, ad portam ejus nominis, prope coenobium Franciscanorum, occupavit, et primam in eo concionem euangelicam, ipsis Kalend. Mart. a. 1534. habuit coram numeroso coetu Farellus, nequicquam ringente Clero, et factione Pontificia. Multum praeterea ad reformationem introducendam contulit, quod foedus mutui auxilii et defensionis inter Friburgenses et Genevenses, ab illis, frustra renitente Senatu Genevensi, fuerit abolitum, instrumentis publice rescissis. Ad quod permoti sunt partim veteris religionis amore, partim aemulatione Bernensium, quos tanta pollere Genevae autoritate ferre non poterant. Tandem et alia ad opus reformationis perficiendum concurrerant. Inter quae praecipue erant, conspiratio hostium sub auspiciis Ducis Sabaudiae et Episcopi, ac factiosorum in urbe contra libertatem Genevensem, detecta et dissipata, cum turbulentorum ex urbe discessu, Episcopale consilium ex urbe alio translatum, inclinatio civium maximam partem ad reformationem, tanto etiam studio, ut statuas, aliaque superstitionis instrumenta, e Templo Ripario deturbaverint, et in puteum conjecerint, frustra repugnante Senatu. Quae omnia, aliaque similia, tandem in causa fuerunt, ut Senatus se Helvetiis arctius adplicuerit, de urbe quoque sua fecerit asylum, in gratiam profugorum Protestantium e Gallia, et reformationem publice receperit.

§. CCXXVIII. Post tot itaque tantaque mala exantlata, inter praesentissima insuper pericula ruinae suae, tum per Episcopi machinationes et violentias, tum Ducis Sabaudiae occultas infestationes, tum per factiosos cives, qui, urbe relicta, castrum Pinetanum ad Rhodanum occuparunt, indeque vicina non tantum loca rapinis, vastationibus, et incendiis, repleverunt, sed et urbi inminebant, Genevenses urbis defensioni ac securitati prospexerunt: simul puriori euangelio stabiliendo incubuerunt, per ipsa illa incommoda animati, et excitati. Praestigiae ad Mariae Virginis idolum fieri solitae, quae pro miraculosis sanationibus venditabantur, vel

quibus

quibus infanti, sine baptismo mortuo, vita censebatur reddita, donec baptizaretur, quaeque ingentem venerationem in animis hominum pepererant, sunt retectae et vetitae. Praeterea *Jacobus Bernardus*, coenobiarcha Franciscanus, magni nominis Theologus, ad purius euangelium conversus, theses, felicissimo successu, publice proposuit ventilandas, unde ipsa orta est reformatio. Theses fuerunt justificationi ex operibus, cultui sanctorum et imaginum, traditionibus humanis, precibus pro defunctis, et suffragiis sanctorum, oppositae, et contrarias continebant veritates. Thesibus quaquaversum missis, undequaque sunt a Senatu invitati, cum securitatis promisso, qui disputarent. Pauci tantum conparuerunt, propter Episcopi et Ducis Sabaudiae interdicta, inter quos eminuerunt Carolus Sorbonicus, et Chapphusius, coenobita Dominicanus. Disputatione per quatuor hebdomadas, sub auspiciis Senatus, habita, veritas euangelica plenissime triumphavit, ipsis illis, modo memoratis, disputatoribus se submittentibus. Ex quo indies se reformatis adjunxerunt multi, sed alii, et Clerici ac Monachi, urbem reliquerunt, eo etiam numero, ut Senatus, ne urbs quid detrimenti caperet, inpedire debuerit egressum. Vid. Scultetus in annal. ex Turretini narratione.

§. CCXXIX. Finita disputatione Senatus quidem prudenter et pedetentim censuit in hoc opere procedendum esse, multa mala, inde oritura, metuens, sed nimio plebis zelo, et fervidis Farelli orationibus, succumbens, manum mox operi admovit. Plebs enim in imagines, aliaque devotionis instrumenta, inpetum hic illic jam fecerat, et Farellus in Ecclesiis, quae Catholicis adhuc relictae erant, conciones contra Senatus voluntatem habuit. Tandem itaque convocatis plus una vice Canonicis et Coenobitis, ut, si quid, quo causam suam ex Scriptura S. probent, habeant, proferrent, illique effugia quaererent, se in sua religione pertinaciter declarantes manere velle, opus ad exitum perduxit Senatus. Imagines, quae restabant, destruxit, de coenobiis dispo-

diſpoſuit, et publicam Euangelii profeſſionem ſancivit publicato edicto, die 27. Auguſti, monetam cudit novam, cum inſcriptione, non ut antea, *poſt tenebras ſpero lucem*, ſed, *poſt tenebras lux*. Curavit denique, monumentum aeneum ad Curiae valvas erigi in hujus beneficii memoriam, cujus inſcriptio exſtat apud Sculteturn. Ceterum, cum in Eccleſiis repurgandis verſarentur, deteſtandae ſunt, ad plebem decipiendam, detectae fraudes, quas exhibet Ruchat lib. XII. ex. gr. loco brachii Antonii, quod ſumma honorabatur devotione, inventum eſt corvi membrum, vel artus, et loco *cerebri* Petri, non minoris devotionis objecti, *pumex*.

§. CCXXX. Reformatione hac ratione publice introducta, ſimul libertate civili ope Bernenſium, qui, Duci Sabaudiae bello declarato, Genevenſes ab ejus vexationibus ac oppreſſionibus vindicarunt, terramque Vaudi ei eripuerunt, a. 1535. et 1536. acquiſita, ultimam ei inpoſuerunt manum a. 1536. et 1537. Pacem inter cives, varie adhuc diviſos, fecerunt, cultum publicum et regimen Eccleſiae ordinarunt, confeſſionem fidei, a Farello compoſitam, adoptarunt, et juramento ſanciverunt: quae ſimplicitate ſua ſe commendat. Exſtat apud Ruchat l. XIV. Sed, nulla et ipſi erga Pontificios uſi tolerantia, eorum potius ſecuti exemplum, Miſſas, et imagines, abſolute non ſolum proſcripſerunt, ſed et inobedientes puniverunt, nec tamen ſeveriore poena, quam incarcerationis ad breve tempus, et exilii. Introduxerunt quoque eandem reformationem per Eccleſias extra urbem, et ei ſubjectas. Quod cum e veſtigio executioni vellent dare, unus Senatorum, nomine reliquorum loquens, prudenter admonuit Senatum, iniquum eſſe velle, ut mox mutarent religionem, antequam ſatis eſſent de erroribus inſtructi, effecitque, ut, fruſtra contendente Farello *operi Dei non eſſe obicem ponendum*, ut menſis ſpatium fuerit conceſſum. Qua ratione omnia feliciter ſucceſſerunt.

§. CCXXXI. Quo in rerum ſtatu, cum *Johannes Calvinus*, Genevam adpulſus, et a Farello detentus, ipſe enim tranſire

ire tantum volebat, sedem ibi fixerit, Professoris muneri admotus, tantumque Ecclesiae non solum Genevensi, sed et universae causae euangelicae, contribuerit, seu tam celebre nactus sit nomen, ut illud *Calvinianorum* inde, haud laudabili exemplo, receperint Reformati, sic dici soliti, vitam ejus paulo fusius enarrasse, non abs re fuerit. Vid. vita ejus a Beza conscripta, et operibus Calvini praefixa, nec non ejus apologia, a Drelincurtio adornata, ne alios memorem autores. Natus est Novioduni Veromanduorum (Noion en Piscardie) a. 1509., ex honestis quidem, sed mediocris fortunae, parentibus, Patre Gerardo Calvino, et matre Johanna Franca. Studia confecit humaniora Lutetiae Parisiorum, primum sub Maturino Corderio, insigni erudiendae juventutis Magistro, tunc ibi, postea Genevae, eodem, quo Calvinus, anno mortuo, dein sub Hispano aliquo. Destinatus quidem Theologiae, ad quam per indolem religiosam, cujus jam inter sodales dederat specimina, vitiorum eorum censor, inclinatus et aptus judicabatur. Pater etiam ipsi jam ab Episcopo beneficium procuraverat in Cathedrali Ecclesia Noviodunensi, et dein curationem in pago vicino, ubi etiam conciones aliquot habuit, nullis licet initiatus Ordinibus, antequam Galliam desereret, sed, mutato dein consilio, ad Jurisprudentiae studia admotus, quod tutior ea via ad opes et honores videretur Patri, quodque ipse, a Petro Roberto Olevitano, cognato suo, admonitus, Scripturae studio se adplicuerit, et a sacris Pontificiis esset alienior factus. Aureliam itaque missus est, ibique Petrum Stellam, celeberrimum ICtum, tanto cum successu frequentavit, ut Doctorum vices subinde obierit, et discedenti Doctoris insignia ipsi gratis fuerint oblata. Nec tamen aliquid de Literarum studio, aut purioris doctrinae amore, remisit, multumque ejus studiosos, qui ad eum confluebant, adjuvit. Dein, Alciati, Principis ICti, fama excitus, Academiam Bituricensem petiit, ubi amicum nactus est, et Graecae linguae praeceptorem, Melchiorem Wolmarum, Germanum

Rotvilensem, cui ejus linguae cognitionem acceptam retulit. Hic versatus amisit Patrem, et in patriam revocatus est. Sed haud diu post se Lutetiam contulit, et commentarium ibi in Senecae librum de *clementia* scripsit, ac publicavit; simul sese totus coepit sacris studiis dicare, Reformatorum partes strenue tuitus. Cum vero Nicolaus Copus, Academiae Parisiensis Rector designatus, oratione, a Calvino composita, liberius de religione disseruisset, Sorbona et Parlamentum in Rectorem, Calvinum, et Reformatos insurrexerunt, eosque in grande conjecerunt periculum. Quam tempestatem sua intercessione apud Regem Franciscum, ejus unica soror, Regina Navarrensis sedavit. Relicta tamen Lutetia, demigravit Calvinus primum in agrum Santonicum, ubi breves quasdam *admonitiones* Christianas scripsit, a Parochis inter sacra recitandas, dein mox Neracum, Aquitaniae urbem, ut Jacobum Fabrum Stapulensem visitaret. Redux dein Lutetiam, a Serveto ad colloquium petitus, eum frustra exspectavit.

§. CCXXXII. Persecutione Reformatorum, quam Franciscus instituit a. 1534., vehementiore facta, Gallia relicta se contulit Basileam, seseque studiis dedit Hebraicis, amicos et ductores nactus fidissimos Grynaeum et Capitonem; ubi etiam celeberrimum illud opus *Christianae religionis institutionem* scripsit, elegante illa, et potentissima, *dedicatione* Francisco Regi, quae vix similem habet, praefixa, eo in primis scopo, ut calumnias, quibus, se non Euangelicos, sed Anabaptistas, qui Spiritum jactabant, et Magistratus spernebant, in regno suo destruere jactitabat Rex, retunderet. Deinceps, Italia salutata, et in Gallia rebus suis compositis, tanquam ei in perpetuum valedicturus, Basileam, vel Argentinam, profecturus, ut ibi sedem figeret, vi bellorum [illegible] per Allobrogum fines transire, Genevam [illegible] cum peragrandi, sed sibi a Farello passus est [illegible] ut ibi maneret, suamque operam illi Ecclesiae [illegible] initio quidem tergiversatus est, studia causatus promoven-

promovenda, sed maledictione Farelli, quasi fulmine, ictus se subjecit, ac sacrarum litterarum Doctor, una cum concionatoris munere, designatus est.

§. CCXXXIII. Historiam Calvini, Genevae residentis antequam pertexam, disputatio *Lausannensis*, hoc tempore habita, paucis est adtingenda; cum illa ejus civitatis, et Vaudi reformationem, quae ope Bernensium, qui Vaudum, bello cum Duce Sabaudiae, in potestatem suam redegerunt, ingentes fecerat progressus, ad finem perduxerit. Docuerat quidem ibi jam ab aliquo tempore Viretus, magno cum fructu, concessa quoque euangelicis erat religionis libertas, sed Magistratus Lausannensis religioni antiquae adhuc patrocinabatur. Cum autem Lausannae, et aliis in Vaudi locis, disputationem nonnunquam obtulissent Pontificii, et mox detrectassent, illae praeterea saepe promovissent reformationem, Bernenses publicam tandem decreverunt disputationem Lausannae habendam, actuque ipso, Pontificiis frustra repugnantibus, instituerunt, et ad finem optatum perduxerunt a. 1536. Cujus acta in lucem protraxit Ruchat., et historiam fuse narravit lib. XIV, et XV. Decem theses, a Farello compositae, materiam disputationis praebiturae, complectuntur fidem Euangelicam de justificatione per fidem Christo unico Mediatore, Ecclesia, ejus Ministris et Sacramentis, confessione et absolutione, Magistratu, conjugio, cibis et similibus aliis controversiis. Actores fuerunt ex Reformatis Farellus, Viretus, qui praecipuas tenuerunt partes, Petrus Caroli, Johannes Calvinus, qui duabus tantum vicibus locutus est, et Antonius Marcurtius, qui una vice. Disputatum in primis est de justificatione ex sola fide sine operibus, et de Transsubstantiatione: duravitque per octo dies, a 1. ad 8. Octobr.

§. CCXXXIV. Disputatione habita, et Euangelicis triumphantibus supra Catholicos, qui eruditione et scientia theologica longe inferiores erant, qua multorum oculi sunt aperti, nonnulli etiam ex ipsis actoribus convicti, Bernenses per

omnes Helvetiae Romanae regiones, quas sibi subjecerant, introduxerunt reformationem, sed prudenter, et per gradus. Imagines et altaria mox ubique e medio sustulerunt, et concionatores quaquaversum miserunt. Lausannae duo sunt constituti, Petrus Caroli et Viretus, sed ille huic antepositus, licet hic longe esset melior et doctior: de quibus mox quaedam dicam. Anno vero 1537. omnes illas terras per Deputatos reformarunt, secundum edictum hac de re factum, et Synodum Lausannae convocarunt, qua res Ecclesiasticae sunt ordinatae. Cujus edicti et Synodi notitiam dedit Ruchat. Academiam quoque instituerunt Lausannae, una cum Collegio a. 1537. Primi Professores fuerunt Johannes Hembertus in Philosophicis et lingua Hebraea, et Conradus Gesnerus in Graecis. Quibus a. 1547. duo sunt in Theologicis adjuncti, Gesnero autem successit Petrus Nunnesius, quem excepit Theodorus Beza a. 1549., qui, dum ibi versatus est, inter alia transtulit centum Psalmos Davidicos in linguam Gallicam, qui, quinquaginta, a Clemente Marot, celebri hoc tempore poeta Gallico, versis, additi, mox in illas Ecclesias introducti sunt, ut publice canerentur. Ceterum Petrus Caroli Ecclesiae suae a. 1537. renunciavit, et ad Catholicismum inclinare coepit, quem etiam in Galliam profectus suscepit, postquam Viretum, Farellum, et Calvinum Arianismi accusasset, et motus concitasset. Absoluti autem sunt a consistorio Lausannensi, et ab ipso Bernensium Senatu. *Petrus* vero *Viretus* hinc discessit a. 1559., de statu Ecclesiae suae minus contentus, et Ecclesiis Lugdunensi ac Aurelianensi in Galliis inserviit, donec a Regina Navarrae in Bearniam invitatus sit; ubi etiam occubuit a. 1571. Fuit Vir plane insignis, cui res reformata multum debuit, eruditione nemini secundus, modestus praeterea, et mellifluo sermone praeditus, a violentis mediis fidem propagandi alienus; tantum male usus est potestate coactiva ipsorum Catholicorum in reprimendis Anti-Trinitariis, qui Lugduni se ostentabant, quo tempore pacificatio ibi coepit obtinere. Vid.

Baelius

Baelius in *Vireto.* Denique singularis ejus character fuit, abusus Ecclesiae Romanae summa cum delectatione per scripta sua exponere risui et contemtui, qua ratione Missam edito libro prostituit, de ea facta comoedia. Varia reliquit scripta, lectu dignissima. Plura qui de ipso, ejusque operibus velit, adeat Ruchat lib. XVI.

§. CCXXXV. Calvinus, ut ad eum et Genevenses redeam, statim ac cum Farello et Coraldo, quem secum perduxerat Genevam, opus reformationis paulo severius coepisset urgere a. 1537., gravissimi sunt inter cives suscitati motus, qui totam videbantur subversuri reformationem, Calvini utique, et collegarum, exilium ad breve tempus produxerunt. Turbatores fuerunt multi civium, a reformatione alieniores, qui tempore belli cum Duce Sabaudiae se continuerant, sed nunc in publicum prodierunt. Primam occasionem peperit *confessio fidei*, a Farello, ut supra dixi, composita, quae in fronte juramentum exigebat, quo ab omnibus erat recipienda, et pro adpendice habebat *legem Decalogicam.* Quam cum Pastores publice cum juramento recipi urgerent, multi se opposuerunt, causati, se ea ratione ad *inpossibile* quid obligari. Praevaluit nihilominus confessio, in quam a. 1537. a Senatu populoque palam est juratum. Accessit mox duplex alia dissidiorum causa, *una*, quod Pastores S. coenam administrare recusarent, quamdiu veteres illae inimicitiae, bello Sabaudico ortae, durarent, et vita civium flagitiosa; *altera*, quod Bernenses, licet satis inprudenter, vellent, ut Genevenses suos ritus Ecclesiasticos admitterent, scilicet panem azymum in S. coena, baptisteria, seu fontes, ad baptizandum, et nonnullos dies festos, praeter Dominicum. Genevenses enim pane utebantur vulgari, et sine baptisteriis baptizabant, solum etiam diem Dominicum celebrabant, praeter quem Bernensibus etiam in usu erant quatuor alia festa, *Natalis*, *novi anni*, *adnunciationis et adscensionis.* Qua captata occasione Syndici Genevae, qui annuum et summum Magistratum ibi constituunt, rem eo adduxerunt, ut Calvinus

nus cum sociis excesserit urbe, in primis, quod S. coenam renuerint administrare. Calvinus itaque per Tigurum et Basileam venit Argentoratum, ubi Professoris Theologiae munus accepit, et Ecclesiam Gallicanam plantavit. Interea effectum est, ut panis communis fuerit Genevae cum pane azymo commutatus, ipso Calvino per litteras monente suos, ne ob rem tam parvi momenti turbarent Ecclesias. Qua ratione panis azymus ibi obtinuit, cui Calvinus, postea restitutus, ut paci litaret, non repugnavit.

§. CCXXXVI. Argentorati versatus operam suam non denegavit Ecclesiae Genevensi, cui multum profuit, Jacobi Sadoleti Episcopi Carpentoratensis conamina, ad Ecclesiam Genevensem in gremium Ecclesiae Catholicae reducendam, reddendo irrita, Genevensesque ad pacem et concordiam adhortando, denique commentario ad Epist. ad Romanos, et de coena Domini, illustrando et firmando. In quo fuit opere usque ad a. 1541., quando ad ejus reditum Genevam via fuit strata. Praecipuis enim adversariis, publicorum criminum reis, e medio sublatis, repetitus est a Genevensibus, eorumque instantiis victus rediit, et magno adplausu receptus est, Farellum quoque Collegam denuo adeptus. Quo facto, animum mox ad Presbyterium erigendum, et ordinem Ecclesiarum stabiliendum, adplicuit, optato successu, quippe munere suo alias fungi renuens. Concinnavit etiam *Catechismum*, priori quidem congruum, sed prolixiorem, et in quaestiones ac responsiones distinctum, Gallice et Latine: qui in varias dein linguas translatus, et a multis Ecclesiis adoptatus est. Laboravit vero in opere Domini, a Farello et Vireto sociis ejus adjutus, strenue, et prae reliquis omnibus. *Alternis hebdomadibus totis concionabatur*, verba sunt Bezae *in vita Calvini*, *triduo vero docebat*, *singulis diebus Jovis Presbyterii cognitionem regebat*, *diebus Veneris in communi collatione scripturae*, *quae congregatio vocatur*, *justam pene lectionem habebat*, *varios libros sacros commentariis doctissimis illustrabat*, *modo religionis hostibus respondebat*; *modo*

necessariis

necessariis de rebus undiquaque scribebat. Accesserunt curae externae, cum ejus consilium in causa religionis ex omnibus fere Christiani orbis partibus efflagitaretur. In Excommunicatione, et Ecclesiasticae politiae legibus perferendis, multum ad *hierarchiam* introducendam laboravit, varios e plebe, ministris, et primariis viris, nactus adversarios, sed quos constantia sua vicit, adeo ut rem perfecerit, legibus illis publico receptis consensu, et firmatis; quibus Ecclesia illa in posterum usa est.

§. CCXXXVII. Orbatus dein fidissimis sociis Farello, a Neocomensibus, et Vireto a Bernensibus pro Lausanna, petitis et inpetratis, solus fere peregit negotia, eaque saepe molesta valde et periculosa, factione contra ipsum ob disciplinam introductam formata. De quo legendus Beza l. cit. Praetereundum hic non est, Calvinum, dogmatis *consubstantiationis*, ut adpellatur, suspectum factum, Tigurum propterea cum Farello profectum, cum Ecclesiis Helveticis contulisse, eo cum effectu, ut Ecclesiarum Helveticarum et Rhaeticarum adprobatione conscripta fuerit *consensio*, quae postmodum duravit, et Ecclesias illas arctissimo vinculo colligavit, a. 1549. Exstat apud Hospiniam hist. sacrament. p. II. Dein duo emanarunt anno sequente decreta Magistratus, satis notabilia, *unum*, quo ministri sacri, cujusque regionis urbis Decurione et Presbytero adhibito, domos stato anni tempore visitarent, confessionemque fidei exigerent, *alterum*, quo omnes dies festi, excepto Dominico, abrogantur. Quod, licet ignorante ministrorum collegio latum, invidiam creavit Calvino, qui ea occasione librum scripsit *de scandalis*.

§. CCXXXVIII. Anno 1551. praeterquam, quod antiqua factio denuo in Calvinum insurrexerit, Ecclesiam Genevensem conturbavit *Hieronymus Bolsecus*, dogma de gratuita electione, et absoluta praedestinatione, nimis fervide inpugnans publice; quod ipsi male cessit. Refutatus enim non tantum est a Calvino in publico coetu, sed et ab uno Ad-

ſeſſorum Praetoris, penes quos jus adprehenſionis erat, mox in cuſtodiam eſt compactus, et, cauſa multis diſputationibus agitata, Helveticarum quoque Eccleſiarum ſententia requiſita, tanquam ſeditioſus, et Pelagianus, urbe eſt expulſus, cum poenae fuſtuariae interminatione, ſi vel in urbe, vel in ejus territorio, deprehenſus eſſet. Ad quod ſeverum nimis judicium vita ejus inproba, ut fertur, multum contulit. Ceterum Bolſecus, Carmelita Pariſienſis, cum liberius paulo concionatus eſſet, inde profugus, cucullo abjecto, et medicinam profeſſus, Genevam venerat; ſed inde, ut dixi, ejectus, et poſtea bis a Bernenſibus, cum nuſquam inter Reformatos reperiret aſylum, ad veterem rediit religionem, et a Calvino ac Beza vindictam virulentis et maledicis ſcriptis ſumſit. Scripſit enim hiſtoriam vitae morumque Calvini et Bezae, veri falſique nullo habito diſcrimine.

§. CCXXXIX. Sed haec ipſa Calvini in Bolſecum damnanda vehementia anſam praebuit inimicitiae Calvini cum *Jacobo Burgundo Faleſio*, qui, religione Pontificia abdicata, arctiſſimam cum Calvino contraxerat amicitiam, teſtibus, praeter dedicationem commentarii ad Epiſt. ad Galat. ipſi factam, litteris ejus ad Faleſium, quae noviſſime lingua Gall. ſunt editae. Huic viro nobili cum incarceratio Bolſeci valde diſpliceret, et perſecutio, omniaque ad eum liberandum ipſe ageret, ira Calvini in ipſum adeo exarſit, ut omnem non tantum cum eo ruperit amicitiam, ſed et memoratam dedicationem abſtulerit, acerbe etiam ſubinde in eum invectus. Vid. praefatio Litteris illis praemiſſa. Ceterum Jacobus Burgundus fuit nepos Balduini, Domini Faleſii et Bredani, qui filius naturalis fuit Philippi Boni, Ducis Burgundiae. Jacobus autem, propter religionem exul, duxit Jolandam de Brederode, ex antiquo Comitum Hollandiae ſtemmate. Exſtat ejus apologia ad calcem Litterarum, qua ſe apud Caeſaream Majeſtatem excuſat, inuſtas criminationes diluit, et fidei confeſſionem edit ſtilo Calviniano.

§. CCXL.

§. CCXL. Praeterquam quod contentiones de praedestinatione, Bolseco expulso, non fuerint finitae, quin vehementius ultro citroque agitatae, cum ea multis insederit opinio, Deum per Calvini doctrinam autorem statui peccati, et fatum aliquod Stoicum introduci, quam non Pontificii tantum, sed et Melanchton, aliique plures, de Calvino conceperant, novus factiosorum inpetus prorupit a. 1553., qui Ecclesiam simul, simul Rempublicam, in extremum praecipitavit periculum, ut Beza in vita Calvini enarrat. Accessit eodem anno fatalis ille concremationis Michaelis Serveti casus: de quo postea suo loco. Praeterea, cum Bertelerius, unus factiosorum, homo *projectae penitus inpudentiae*, judicio Bezae, a Presbyterio ob flagitia excommunicatus, apud Senatum conquestus esset, multorum quoque clamores palam audirentur, Presbyterium sibi in multis adrogare Magistratus inperium, statutum est in consilio Diacosiorum, *ultimum excommunicationis judicium ad Senatus cognitionem pertinere.* Quo adeo exacerbatus fuit Calvinus, hac parte ingens zelota, ut inter concionandum, postquam in contemtores S. coenae debacchatus esset, elata manu et voce, in haec verba temere eruperit, *at ego occidi me potius patiar, quam haec manus Dei contemtoribus judicatis sancta Domini porrigat.* Abstinuit sese tunc Bertelerius, cum sociis, quidem a mensa sacra, sed Calvinus tanta cum vehementia hanc causam ursit, discessum quoque minatus, imo Ecclesiae verbis Pauli Act. XX: 32. quasi valedicens, pro concione, ut decreti Diacosiorum suspensionem inpetraverit, donec a quatuor civitatibus Helveticis peteretur judicium.

§. CCXLI. Anno 1554., cum occasione violentae mortis Serveti, de haereticorum poenis coeptum esset disputari, multis ultimum illud supplicium valde inprobantibus, imo nonnullis existimantibus, haeresios causam judicio Dei relinquendam esse, quam opinionem *boni* etiam aliqui, ut Beza loquitur, tuebantur, *veriti, ne, si aliter sentirent, tyrannorum in pios saevitiam accendere viderentur:* in publicum

misit Calvinus *doctrinae Servetanae refutationem*, additis rationibus, *cur et quatenus* haereticos a Magistratu puniri oporteat. Cui se anonymus opposuit nomine *Martini Bellii*, quem Sebastianum Castellionem esse tradit Beza, edito contra haereticorum supplicia egregio libello: quem Beza sibi refutandum sumsit libro pro haereticidio scripto; qui in operibus ejus exstat: sed multis haud sine ratione scandalum dedisse, et causae reformatorum haud parum nocuisse, jure merito visus est. Resuscitata quoque est infelix illa controversia Praedestinatiana, libellis etiam famosis traducta una cum Calvino. Denique ultimum factiosi instituerunt conatum, quibus Calviniana disciplina aegre erat, conspiratione clam inita, sed quae detecta in ipsorum caput recidit, aliis supplicio capitis adfectis, aliis solum vertentibus a. 1555., quando hac parte pax est Ecclesiae Genevensi reddita, disciplina Ecelesiastica ab Helvetiis, quorum judicium modo dixi requisitum fuisse, adprobata, et denique a populo Genevensi communibus suffragiis rogata, perlataque. Denique Calvino hortatore, erecta est a. 1559. schola Genevensis, magnificis aedibus Gymnasii exstructis, octo praeceptoribus puerorum, et publicis in quavis scientia Professoribus, ornata.

§. CCXLII. Tandem, incredibilibus laboribus, corpore minus firmo vestitus, fractus, vir vere magnus, sed nimis fervidus zelota, Johannes Calvinus diem obiit supremum anno 1564. annos 54 et 10 Mens. natus. Praeterquam quod, inquit Beza, *corpore fuit natura inbecillo, macilento, et ad tabem ultro inclinante, dormiens pene vigilabat, magnam anni partem concionando, docendo, dictando consumebat, per decem minimum annos prandio abstinuit, sola coena contentus, frequens in jejuniis, ut ventriculi inbecilitati et hac ratione consuleret.* Temperamento erat ὀξύχολος, nec tamen ejus servus, a bonis autem corradendis ita alienus, ut omnia ejus bona, bibliotheca etiam care divendita, vix trecentos aureos aequarint. Solebat vero calumniam hac parte, qua pe-

tebatur,

tebatur, his verbis scite retundere, *me non esse pecuniosum, si quibusdam vivus non persuadeo, mors tamen ostendet.* Vid. praefatio ejus in Psalmos. Ceterum quam parce, laboriose, et pie etiam, licet non sine naevis, vixerit, calumnias tamen atrocissimas effugere non potuit. Vid. Drelincurtius in *apologia Calvini.* Non male conclusit vitam ejus Beza, se *vitae et mortis Christianae exemplum in ejus vita cunctis proposuisse, quod tam facile sit calumniari, quam difficile fuerit aemulari.* De scriptis ejus sileo, quia in omnium sunt manibus, et ab omnibus, qui sapiunt, et stili et rerum respectu, teri debent. Catalogum texuit, et praemisit Beza voluminì Epistolarum, et post vitam Calvini quoque reperitur. Commentatus est in totam fere Scripturam, excepta Apocalypsi: quare elogium Scaligeri meruit satis singulare, in Scaligeranis, *o! quam Calvinus bene adsequitur mentem Prophetarum!* exclamans, addensque, *sapit, quod in Apocalypsin non scripsit.* Sed nescio quam verum, et unde haustum, sit, quod Bodinus *method. histor.* cap. VII. tradit, Calvinum, de hoc libro sententiam rogatum, dixisse, *se penitus ignorare, quid velit tam obscurus scriptor, qui qualiscunque fuerit, nondum constat inter eruditos.* In Prophetiis ac Psalmis exponendis sectatus est Calvinus, ut plurimum, sensum historicum et moralem, ad Christum vero et Novum Test. adplicare solet sensu secundo, vel typico. Unde ejus, tanquam Judaizantis, orta est inepta accusatio, a qua eum contra Lutherani alicujus virulentum libellum defendit Paraeus.

REFORMATIO BELGII.

§. CCXLIII. Sequantur nunc regiones, quae ad confessionem Helveticam seu Genevensem vel plane vel propius accedunt, et reformationem pro dominante religione admiserunt, Belgii scilicet et Britanniae. Postquam multorum in *Belgio*, ut inde incipiam, animis desiderium reformationis inseruerant, et varios doctrinae ac rituum abusus in

Ecclesia Catholica in lucem protraxerant sec. XV. Hermannus Wesselus, a multiplice scientia *Lux mundi*, et errorum receptorum refutatione *Magister contradictionis*, adpellatus, nec non *Rudolphus Agricola*, nostro quoque hoc seculo lux litterarum per Erasmum ubique orta fuisset, et Monachorum, ac Cleri, horrenda ignorantia, superstitio, pigritia, et corruptio, vivis depicta coloribus, uti in *praefat.* ejus ad Nov. Test., *praeloquio* in Hieronymum, *Adagiis*, *Moria*, et in libro de *militia Christiana*: libri Lutheri in has oras delati, et avide lecti fuerunt, et admissi, adeo ut plurimi a religione Pontificia facti fuerint alieniores, multi etiam in publicum se dare coeperint, posteaquam indulgentiarum nundinatio eadem, qua alibi, inpudentia a. 1510. per Italos, huc missos, inceperit. Quem progressum, ut Carolus V., qui Belgium, sibi subjectum, gubernabat hoc tempore per Margaretam Austriacam, Patris sui sororem, reprimeret, edictum contra Lutheri, ejusque sectae scripta, confessores et fautores, emisit a. 1521. atrocissimis sancitum poenis. Quod primum ejus est edictum contra libertatem religionis publicatum, quodque, licet legibus et privilegiis Belgii contrarium, Nobilium quippe et Statuum consensu carens, publice tamen per ipsos illos, nemine contra hiscere auso, in publicum mitti fecit. Provinciam praeterea in fidem per Belgium inquirendi demandavit Francisco Hulstio, consiliario suo in Brabantia a. 1522., adjuncto ipsi Nicolao Egmondano: qui duo, sicut eruditionis hostes, ita furioso zelo acti erant, teste Erasmo in Epistolis. Quorum inpetum senserunt, praeter Cornelium Grapheum, Secretarium Antverpiae, virum eruditum, et poetam Erasmo aestimatum, qui diu vexatus est, et Jacobum Spreng, Praepositum Antverpiensem, qui metu mortis cecinit palinodiam a. 1520., sed postea ad sanam doctrinam rediit, Antverpienses quidam Augustiniani Monachi, a. 1523. Lutheranismi suspecti, et indulgentiarum adversarii, quorum duo, in fide sua constantes, poenam ignis subierunt, nonnulli succubuerunt; alii evaserunt.

§. CCXLIV.

§. CCXLIV. Quae cruenta et Antichristiana scena, Bruxellis aperta, tantum abest, ut Papismo profuerit, ut summopere nocuerit, cum ab eo tempore magis magisque dissem. nata fuerit reformatio, seseque longe lateque quaquaversum per Belgium diffuderit. Quo eodem tempore Groningae habitum est inter Dominicanos, et Presbyteros Templi Martini, publicum colloquium, de nonnullis capitibus controversis, vid. Cl. Gerdes hist Reform. tom. III. ubi in *documentis* ipsa haec acta recensentur, quod primum dedit occasionem lucis reformationis, de quo vid. van der Linde in praefat. *systematis Theologiae*, in primis de universali Paparum potestate, quae hic egregie refutatur a Presbyteris; sicut et haereticidio contradicitur, *Ecclesiasticae potestatis* adseritur *extremam poenam esse excommunicationem*, *gladio Christum nihil voluisse suos attentare:* additur, *revocandus est haereticus potius tolerantia*, *atque doctrinis sanis*, *quod si ille est insanabilis*, *suo domino relinquendus erit* etc. Cum dein a. 1524. Pastor aliquis prope Antverpiam publice in agro, coram ingente turba, concionatus esset contra Papismum, novum emanavit edictum, et Inquisitio Egmondano quidem adempta, sed Hulstio confirmata est. Notabiles quoque progressus fecit reformatio per Flandriam, Zelandiam, et Hollandiam a. 1525., et monachi magis magisque coeperunt contemni. Antverpiae vetitae congregationes continuarunt, et multi per Belgium huic causae favere coeperunt. Johannes vero Pistorius, Wordanus, propterea quod contra humana statuta docuerat, et uxorem duxerat, Hagae Comitum strangulatus est, et combustus: fuit primus martyr in Hollandia tempore Reformationis, mereturque ejus mors omnes veri et Christiani martyrii laudes. Conscripsit ejus martyrium Gulielmus Gnaphaeus, socius ejus, Hagiensis, et ibi Scholae Rector a. 1522., inter primos, qui Papismo renunciarunt, qui varie etiam vexatus et exercitus patriam deseruit, cujus vitam descripsit Harkenroth in Bibl. Brem. cl. VIII. Ceterum negligi non debet, ipsum esse autorem li-

bri, ſub titulo *Tobiae et Lazari*, Embdae typis exarati a. 1557. in quo conſolationes ex oratione Dominica in primis petitas exponit et inculcat, nec non depravatam Eccleſiae Pontificiae conditionem fortiter depingit. De Johanne Piſtorio ejuſque martyrio vid. ex Veteri charta coenobii *Batavia ſacra.*

§. CCXLV. Emanarunt dein varia edicta, plane tyrannica, contra qualeſcunque, ſic dictos, haereticos, ingenſque inde vel confeſſorum, vel martyrum, numerus eſt exortus. Inter quos fuerunt in primis Anabaptiſtae quorum martyria ab a. 1527. coeperunt, magnoque fuerunt numero. In quibus recenſendis prolixus admodum eſt Brandt, de hiſtoria Reformationis Belgii praeclare meritus, nec minus eſt Gerdeſius in libro ſupra laudato, ſed alia ratione, quouſque hiſtoriam perduxit, ad medium ſeculi. Quo tamen uti non licuit. Inter eos ab a. 1534 ſeſe manifeſtarunt, et in publicum prodierunt multi Anabaptiſtae fanatici, qui Spiritus peculiarem ductum, et inſpirationes, jactitabant, multis etiam patratis facinoribus, quae ad ſeditiones et tumultus ſpectabant. Qui, furioſi magis, quam ſana mente praediti, originem cenſentur habuiſſe a Nicolao Storckio, qui in Saxonia circa a. 1522. ſe oſtentavit. De quibus Anabaptiſtis egi in hiſtoria Reformationis Germaniae. Adjuncti autem iis ſunt, et cum iis paſſim confuſi, qui anabaptiſmum cum illis habuerint communem: unde ortum eſt, quod omnes Anabaptiſtae, nullo facto diſcrimine, in longe graviores inciderint perſecutiones. Fuit vero inter fanaticos illos Melchior Hofmannus, a quo *Melchioriſtae* dicti ſunt, natione Suevus, pellionis artem exercens, ingenio et lingua pollens, alias rudis, qui, ex Germania Embdam veniens, effecit non tantum, ut, connivente Magiſtratu, Anabaptiſmus publice invaluerit, vid. Emmius Rer. Friſ. lib. 55., ſed et aliquos ſuae factionis doctores inde in Belgium emiſit, vir peſſimae indolis, qui Argentorati poſtea carceri eſt mancipatus, et ibi mortuus. Promovit eo tempore

furi-

furibundam hanc sectam Amstelodami Johannes Matthiae, pistor Harlemensis, qui multos infecit, et quaquaversum misit nuncios; ipse in bello Monasteriensi, ut suo loco narravi, periit. Suscitarunt vero Amstelodami, et alibi in civitatibus, magnos subinde tumultus, simul graviter puniti sunt. Imo eo venerunt insaniae, ut a. 1535. duodecim, vel, ut ex Registris refert Brand, quinquaginta, viri et foeminae, plane nudi, per plateas Amstelodamenses noctu vagati sint, clamantes, *vae*, *vae*, *vae*, *ultiò Dei*, *ultio Dei*, vel, ut Brandt, *vae Babyloni!* quorum aliqui sunt capti et puniti. Quo eodem anno in Frisia tumultuati sunt. Congregati enim in pago Tzum prope Franequeram, tetenderunt Bolswardiam, et vetus monasterium occuparunt, seseque ibi munierunt. Sed eos oppugnavit, et devicit, non sine suorum clade, Gubernator Frisiae Schenkius. Renovati quoque sunt tumultus Amstelodami per eundem Johannem a Geelen, qui in Frisia eos excitaverat, et Amstelodamum evaserat, adeo etiam, ut, conspiratione inita, urbem statuto tempore occupare adgressus sit, curia noctu in potestatem redacta, et bello suscitato intestino. Sed superatus est et neci datus. Sandae, vulgo Hogesand, in agro Groningano, quantas concitarint turbas, quanta patrarint insana et absurda, enarrat Emmius l. cit.

§. CCXLVI. Hi, horumque similes, cum majus adhuc praejudicium sicut simplicioribus Anabaptistis, qui a reliquis non discernebantur, ita reformatis omnibus, crearent, grassati sunt Pontificii edictis et poenis capitalibus in omnes sine discrimine, multaque data sunt martyria, in primis post severissimum Caroli edictum a. 1540., pro aeterna habendum lege. Longum, et ab instituto alienum foret, omnia enarrare, ex martyrologiis facile petenda. Quam incredibilis hominum, cujusque aetatis, sexus, et aetatis sanguis fuerit solius religionis causa in Belgio effusus, qui scire avet, legat orationem Balaei Carsennae de *pacanda et componenda republica* ad Belgas exaratam, in Actis pacificationis

Coloniensis, ab Aggaeo Albada, celebri isto Ordinum cum aliis Legato, editis a. 1580. Ubi, inter alia, de numero, intra 50 annorum spatium, occisorum, traditur, *haud minorem centum millium (quibus tamen nonnulli dimidio plures addunt) trucidatorum solius religionis causa*, fuisse. Praeter plura alia edicta prodiit unum a. 1546., cum catalogo librorum prohibitorum, inter quos plures sunt Bibliorum editiones Belgicae. Inter martyres memorari meretur Jacobus Lysvelt, Bibliopola Antverpiensis, quia notis addiderat, *salutem hominum tantum esse a Christo*. Celebris hic est Bibliopola, qui typis evulgavit Biblia, in linguam Belgicam, ad normam versionis Lutheri, versa, dicta Liesveldiana. Ex orco tandem in lucem prodiit a. 1550. terribile edictum, apud Bor obvium tom. I., quo ipsa Inquisitio satis clare et aperte est introducta, sed cui sese primi et praecipui opposuerunt Antverpienses, qui, quantum damnum inde commerciis crearetur, facile perspexerunt, et jam experiri coeperant. Accessit, quod ad reformationem jam plurimi ibi essent inclinati, dum multi ibi clam concionarentur, inter quos fuerunt Georgius Sylvanus, et Caspar Heidanus. Antverpienses itaque publicationem edicti prohibuerunt, et ad eorum exemplum aliae quoque civitates. Querelis porro hac de re expositis Mariae Hungariae, viduae Ludovici, regis Hungariae, sorori Caroli, quae ab a. 1531. Belgium gubernabat, illa prudens et moderata princeps, adeo etiam ut apud Paulum III. Papam in suspicionem Lutheranismi venerit, apud Caesarem intercedens, aliquam inpetravit mitigationem, licet specie tenus magis, quam re, *Inquisitionis et Inquisitoris* odiosis nominibus ablatis, et articulis in extraneorum mercatorum favorem additis. Exstat ibid. apud Bor. Cujus edicti mitigati publicationem aegre tandem permiserunt Antverpienses, postquam contra privilegiorum suorum infractionem essent protestati, simul certiores facti, Inquisitionem inter ipsos non futuram.

§ CCXLVII. Via itaque hoc edicto strata ad tribunal Inqui-

Inquiſitionis, ad modum Hiſpanici, in Belgio erigendum, omnes corripuit metus amittendorum omnium privilegiorum, et plenariae ſervitutis; quem Doctores, quibus munus Inquiſitionis ſecreto erat datum, auxerunt haud parum, officium ſuum ſevere exſequendo, adeo ut ab hoc tempore horrendum in modum graſſata ſit perſecutio. Inter confeſſores nomen ſuum profitetur, a nobis non praetereundus, *Johannes Anaſtaſius*, Veluanus, qui, poſtquam in pago aliquo, haud procul Harderovico, per ſex annos eſſet concionatus, captus eſt a. 1550., et Arnhemi in carcerem conjectus, duriterque tractatus, hoſtes acerrimos Franciſcum Sonnium, et Johannem Gruwelum, expertus: unde, cum palinodiam ceciniſſet, liberatus, poſt varia pericula et fata evaſit Argentoratum; ubi a. 1554. librum ſcripſit, cui titulus, *Laicorum viae dux*, in quo, Melanchtonis inſiſtens veſtigiis, capita religionis tractat, illaque urget quae poſtea Arminianiſmum conſtituerunt. Praeterea, Carolo V. ſeſe muneribus ſuis a. 1555. abdicante, Belgium crudeliori adhuc Domino, Philippo II., ab ipſo traditum eſt gubernandum, poſt ingentem innocui ſanguinis copiam fuſam. Quinquaginta enim millia narrantur, Carolo regnante, religionis cauſa occiſa. Philippus mox a. 1556. omnia edicta religioſa non tantum renovavit, confirmavitque, ſed et Inquiſitores publica munivit autoritate. Inpedita quidem eſt edicti publicatio Antverpiae, et aliis nonnullis in urbibus, ſed perſecutio graſſari perrexit. Irruit, praeter multos alios, in virum eruditum et pium *Angelum Merulam*, avunculum magnum viri Clariſſimi Pauli Merulae, Profeſſoris hiſtor. Lugduni Batavorum, qui *hiſtoriam* ejus *tragicam* quoque conſcripſit. Ipſe, ultimo pagi Heenvliet in tractu Ultrajectino paſtor, poſt varias vexationes, inprobas fraudes, quinque etiam annorum incarcerationem, tandem, annos 75 natus, ad ignes damnatus, Henegoviae momento ante placide occubuit. Ad rogum enim jam adductus, cum precum faciendarum licentiam inpetraſſet, ſubito inter orandum pi-

am efflavit animam. Meretur ejus historia omnem animadversionem, sed prolixior est, quam ut hic narrari possit. Praecipui ejus persecutores fuerunt Ruardus Tapperus, et Sonnius, Inquisitores, ille supremus, hic inferior. Circa hoc tempus anno 1558. publicae exposuit luci Johannes Sarterius, Amstelodamensis, commentarios in Prophetas, sumto nomine Joh. Tosarrii, Basileae inpressos apud Oporinum, eo etiam nomine notandus, quod linguarum fuerit peritus, et Belgicae instaurator; e carcere et ipse liberatus exul vixit, et tandem Delphis a. 1568. mortuus. Scripsit et alios tractatus, ut *de fide justificante*, *de Eucharistia*, *et adsertione fidei*, et alios. Denique Adrianus Haemstede, praeco euangelii inter Reformatos, et martyrologii primus autor; Antverpiae publice, fervente studio ductus, docuit tempore festi corporis Christi et processionis; nec quid ipsi propterea contigit, constat. Ceterum fundamenta et ipse jecit Ecclesiae Aquensis Belgicae; tetendit quoque in Angliam a. 1554., et sacro munere functus est, sed unde, cum in suspicionem Anabaptismi incidisset, jussu Grindali Episcopi Londinensis, qui Ecclesiae peregrinorum jussu Elisabethae curam gerebat, inde expulsus est a. 1562. Objectum utique ei fuit, quod opinionem Anabaptisticam de Christo, non ex semine mulieris nato, pro minus fundamentali habuerit, et Anabaptistas viros suos fratres adpellaverit. Quantum crimen!

§. CCXLVIII. Circa a. 1558. reformatio sese in Northollandia, seu Frisia occidentali, ubi moderatior fuit Magistratus, manifestavit. Fuit autem inter eos, qui manus ei praebuerunt, eximius Cornelius Kooltuin, Presbyter Alkmariensis. De quo, et aliis, vid. epistola Anonymi de edendo tractatu Saskeridis de *septem periodis*, ad calcem Cl. Tillii Introduct. in Prophetas. Quaesitus ad necem fuga se subduxit Embdam, ubi ad munus Ecclesiasticum vocatus est, et utilem illum libellum, *Euangelium pauperum dictum*, evulgavit. Interea alieniores facti sunt per Belgi-

um

am animi civium, et a Papismi abusibus, et a persecutionibus, ita ut subinde tumultus eam ob causam fuerint suscitati, nec sine periculo sententiae mortis potuerint executioni mandari. Quo haud parum contulerunt cantilenae, comoediae, similesque lusus publici, tunc valde in usu. Quibus propterea Philippus, severo publicato edicto, interdixit a. 1559. Quo ipso anno Philippus reliquit Belgium, Gubernatrice constituta Margareta Parmensi, sorore sua naturali, Octavii Ducis Parmae et Placentiae uxore, et Provinciis inter varios Gubernatores Belgas distributis, ne Belgium facere velle videretur Provinciam Hispanicam, a quo Belgae erant alienissimi. Lamoralium itaque, Comitem Egmundanum, praefecit Flandris, Wilhelmum, Principem Arausionensem, Hollandis, Zelandis, et Ultrajectinis, Johannem Lignaeum, Comitem Arenbergicum, Frisiis, Transisalanis, et Groninganis. Reliquit tamen milites extraneos, praecipue Hispanos; quorum dimissionem cum Ordines, in primis aurei velleris Equites, peterent, Philippus offensus tyrannica jam tunc coepit animo volvere in Belgas consilia, et animos Belgarum exasperavit, eo magis, quod Margaretae fuerit consiliarius datus Granvellanus, alias Antonius Perrenotus Granvellanus Cardinalis, licet vicarium habuerit virum eruditum, et prudentem, nobilem illum Frisium, Viglium Zuichemum ab Ayta. Commendavit autem Philippus Gubernatoribus causam religionis, et edictorum severissimam executionem, adeo etiam, ut, cum noxia effecta ipsi ob oculos proponerentur, dixerit, *se regna sua perdere malle, quam cum haeresi possidere.* Renovatus itaque est metus Inquisitionis, quam vox publica vehementer damnavit, et novi quoque introduci coeperunt Episcopatus, Bullis Pauli IV. et Pii IV. a. 1560. hanc in rem emissis, quibus tres Archiepiscopatus, Mechlinensis, Cameracensis, et Ultrajectinus, sunt constituti, cum quindecim Episcopatibus, iis subjectis, quibus Inquisitionis provincia est demandata, Mechlinensis vero foret ipse Granvellanus, a Papa factus Cardinalis. Unde

 factum

factum est, ut animi civium magis adhuc fuerint commoti, nonnullae etiam civitates eos admittere recusarint, ipsi Clerici veteres aegre tulerint, maxime quod e monasteriorum redditibus essent alendi. Interea saevire inhumanem in modum, licet hic illic non sine tumultu populi, perrexit persecutio.

§. CCXLIX. Hoc ipso tempore, a. 1562., cum exarata sit *Confessio Belgica*, ejus historiam, ex Utenbogardo et Triglando in hist. Eccles. secum collatis, nec non ex Joh. Ens, viri Clarissimi, hist. *librorum publicorum Eccles.*, petendam, licet ad sequentes annos se extendat, hic summatim tradam. Ante hoc tempus usi sunt Reformati in Belgio formulis doctrinae, et ordinis, Ecclesiarum Belgicarum Londini sub Eduardo VI. collectarum; quae fuerunt *Confessio et major Catechismus*, e lingua Frisiae Orientalis in Belgicam translatus a. 1553. a viro nobili Johanne Utenhovio, tunc Ecclesiae illius Londinensis seniore; praeterea *Minor Catechismus*, a Martino Microne compositus, denique *forma regiminis Ecclesiast.* a Johanne a Lasco, tunc Ecclesiarum exterarum in Anglia, sub Eduardo VI., Superintendente, a. 1550. Latine conscripta, et dein Belgicam in linguam translata per Micronem. Verum, Ecclesiis in Belgio multiplicatis, ut calumniis eo rectius obviam iretur, propriam Confessionem, ad Gallicae in primis formam cum aliqua mutatione, concinnarunt Reformati in Belgio, partim quod Gallica visa fuerit ipsis convenientior, partim Walones Galli fuerint primi confessionis Belgicae autores. Unde etiam nomen *Reformatorum*, Euangelicis in Belgio datum, originem repetiit, quia eo in Gallia veniebant. Prima vero confessio, etiam Gallice scripta, paulo prolixior, fuit a. 1562 exarata, et sequente a. 1563. publicata, etiam ad Reges Galliae et Hispaniae missa a. 1563. praefixa epistola, lectu digna, quae tota exstat apud Triglandum, simul in linguam Belgicam versa, deinceps varie edita, usque ad a. 1582. Quae ipsa confessio dein a. 1566. recognita est, et adbreviata

viata in Synodo Antverpienſi, cui Marnixius de S. Aldegonde interfuit, et lingua Walonica conſcripta ad Genevenſes, ut adprobaretur, miſſa per Franciſcum Junium, ac in publicum data, deinceps a. 1582. Belgice verſa, et ſyntagmati confeſſionum inſerta. Qua Eccleſiae Belgicae ad hoc uſque tempus utuntur. Ad illum enim a. 1582. prolixior illa confeſſio in uſu fuit, et decreto Synodi Medioburgenſis, a. 1581. habitae, brevior in linguam Belgicam tranſlata eſt, ac introducta a. 1582.

§. CCL. Primus et praecipuus, qui confeſſionis jecit fundamenta, ut autorum et adprobatorum primorum aliquam dem notitiam, eo etiam nomine utilem, quod illi ipſi fuerint primi et praecipui reformatores, eſt *Guido de Bres*, celebre inter Walones jam a. 1561. nactus nomen in puriore euangelio, paſtor Eccleſiae reformatae occultae Inſularum (Ryſſel) deinde, cum capita magis erigerent reformati, Eccleſiae Valentianae (Valencyn) publice inſerviit, ſeſeque Pontificiis ardente, etiam nimio, zelo oppoſuit. Denique urbe, quae ſe Gubernatrici oppoſuerat, capta a. 1567. Guido, una cum ſocio in hoc opere *Peregrino de la Grange*, in carcerem conjectus, vitam pie et in fide conſtans in patibulo finivit. Praeter eum partes in confeſſione componenda habuerunt, praeter alios, Hermannus Modet et Hadrianus Saravia, ut hic teſtatus eſt in epiſt. ad Utenbogardum, epiſt. 181. inter Praeſtantium virorum epiſtolas. *Hermannus Modet*, Swollanus, antea Monachus, reformationem jam in initiis docuit a. 1545., dein Paſtor Eccleſiae Aldenardae in Flandria Occidentali, primus etiam in publico concionatus eſt campo, coram quinque millium concione a. 1566. Tumultuoſae imaginum deſtructionis Antverpiae a. 1566. reus quidem actus eſt, ſed, edita apologia, innocentiam ſuam demonſtravit. Illud tamen verum, quod, invito et vetante Magiſtratu, publice fuerit in Templo concionatus, Johanne Taffino, Walonum praecone, modeſtius agente et prudentius, abſtinendo a concionando. Habetur tamen a

nonnullis pro incentore tumultus Antverpiensis a. 1567., imo a Scriptoribus Pontificiis violenta imaginum destructio Trajecti ad Mosam (Maastrigt) et alibi, ipsi inputatur. Quare gravi objectus est persecutioni, et notabilis pecuniae summa capiti ejus a Gubernatrice inposita. Postea Zierikzaeae in Zelandia, nomine Principis Arausionensis occupatae, Pastor constitutus, cum Abbatiam Middelburgensem, donec de ea fuerit dispositum, sibi vellet vindicare, et in Amiralium de Ryk, qui urbem ceperat, nec ad vota Pastoris responderet, publice pro concione invectus esset, a Principe, ne majores orirentur turbae, in aulam suam vocatus concionatorem egit Aulicum a. 1572. Deinde, Ultrajectum vocatus, factioni, dictae Leicestrianae, patrocinatus est a. 1586. missus quoque a Clero Ultrajectino a. 1587. ad Elisabetham, Angliae Reginam, ut eam ad juvandam Provinciarum causam, in specie ad Leicestrium denuo mittendum, permoveret. Incidit quoque in odium Gubernatoris Ultrajectini, Comitis de Nieuwenaar, a quo in custodiam fuisset datus, nisi tumultus, inde ortus, obstitisset. Abstinuit tamen pro tempore a concionando, imo Comiti reconciliatus, et ad secretiora consilia ab ipso admissus est; sicut etiam, Leicestriana factione missa facta, et ad Statuum placita sese adcommodans, ad varia secreta officia fuit adhibitus a. 1588.

§. CCLI *Hadrianus Saravia*, qui se in confessione componenda vel revidenda partes habuisse dicit, ut modo notavi, Pastor tunc erat sub cruce, ut dicitur, Antverpiae, Bruxellis, et alibi, ubi requirebatur, postea Professor Theologiae Lugduni Batavorum; sed, conspirationi pro Leicestrio in Magistratum urbis, a. 1587. inmixtus, saltem accusatus, se subduxit, et in Angliam adpulsus Professor Cantuariensis factus est, ibi mortuus a. 1612.. Vir fuit celebris, et Reformatis semper in honore; ceterum confiteri non fuit veritus, inmoderatum reformatorum zelum valde nocuisse reformationi, in praefat. ad Lectorem, tractatui de *diversis ministrorum gradibus* praefixa. Quo tempore de Con-

fessionis

fessionis revifione difputatum fuit in Belgio, feculo fuperiore, illos, qui huic rei refiftebant, nihilque in ea mutatum volebant, inprobavit. Effe etiam in ea articulos agnovit, quos qui non admittit, eum effe Ecclefia ejiciendum negat; ut ex ejus epift. refert Utenbogard.. hift. Ecclef. S.

§. CCLII. Praeter hos accenfetur quoque primis autoribus a Triglando hift. Ecclef. *Godefridus a Wingen*, ab Ecclefia Embdana in Belgium miffus, ut Walonum Ecclefiis adeffet. Inter eos, qui eam viderunt, jam confectam, et examinarunt ante publicationem, in Belgio et extra illud, fuerunt, praeter alios, qui et memorari merentur, Chriftoffel Smidt, alias Fabritius, Cornelius Kooltuin, Cafpar Heidanus, Johannes Taffinus, et Nicolaus Gallafius. *Fabritius*, Brugenfis ortu, Monachus Carmelita, puriore euangelio adoptato uxorem duxit, et in Anglia aliquantum temporis trivit, dein Antverpiam deductus munere concionatoris per fex menfes functus eft modefte et pacifice, quando ab aliqua muliere, fidem et amicitiam fimulante, detectus et combuftus eft a. 1564. tanquam verus martyr, ingentes inter civium tumultus. *Cornelius Kooltuin* facerdos Alcmarienfis, luce veritatis euangelicae illuftratus, ejus radios ipfo illo in munere fuo fpargere jam coepit, dein longe liberius et clarius Enchufae ab a. 1558. Quando ad tribunal Inquifitionis Hagae Comitum protractus quidem eft, fed, ope civium et fautorum Enchufanorum a Ruardo, praecipuo Inquifitore, fub gravi interminatione dimiffus eft. Dein denuo accufatus abftinuit a concionando, et aegrotorum vifitationi incubuit. Sed ne fic tutus, deferta Enchufa rediit Alcmariam, fuoque Magiftro Laurentio Zaz, pio et docto Ecclefiae miniftro, ac praeconi Euangelii, fucceffit. Quo in munere verfatus cum praefentiffimum incidiffet periculum, fefe Embdam contulit, ubi ad facrum admotus minifterium illud cum laude obiit. Librum quoque ibi fcripfit, cui titulus, *euangelium pauperum*, quem in fui defenfionem, ac

ſuorum inſtructionem ac conſolationem in patriam miſit a 1559., praemiſſa utiliſſima ad amicum, quem Timotheum adpellat, epiſtola, qua ſe defendit, et rationem fugae ſuae dat.

§. CCLIII. Inquiſitore ſubalterno per Provincias Belgii a. 1563. conſtituto, ut hiſtoriam reformationis reſumam et pertexam, Wilhelmo Lindano, antea Epiſcopo Rurimundae, a Generalibus Inquiſitoribus Rineſteinio a Tielt, et Michaele Bajo, novo quoque edicto contra reformationem a Gubernatrice publicato, cujus ſummam exhibet Brand l. V., perſecutio novas acquiſivit vires, et vehementer coepit denuo graſſari. Diſceſſus enim Granvellani Cardinalis, contra quem Nobiles et Principes plurimi conſpiraverant, tantum abeſt, ut perſecutionem e medio tulerit, ut atrocior facta ſit, cum, hoc diſceſſu inpetrato, multi Provinciarum Gubernatores ſeſe ad Philippi et Gubernatricis crudelia vota magis adcommodarint a. 1564, quando martyria rurſus ſunt multiplicata, licet diverſo eventu, cum hic illic fuerint tumultus concitati, nonnulli etiam occidendi liberati. Ipſi quoque Principes Viri animos, a perſecutione alienos, apertius coeperunt explicare a. 1564. in ipſo Senatu coram Gubernatrice: quorum praecipui fuerunt Princeps Arauſionenſis, et Comites Egmond ac Hoorn. Inpetrarunt etiam ut Egmondanus fuerit ad Regem in Hiſpaniam ablegatus, ut Regem de periculoſo rerum ſtatu informaret, quique, inter alia, de abolenda Inquiſitione, et mitigandis edictis cruentis, agere deberet. Executus quidem id eſt Egmondanus a. 1564., ſed nihil inpetravit hac parte. Continuarunt non tantum in perſecutione urgenda, quae multos dedit martyres, ſed et regis Philippi juſſu omnia ad ſeveritatem ſpectabant, abſque ut aliquid libertati conſcientiae concederetur. Voluit quoque, ut Synodi Tridentinae decreta adſumerentur, publicarentur, et executioni mandarentur. Quod tamen a multis eſt neglectum. Querelae quoque de Inquiſitione, et edictorum intoleranda ſeveritate, ſunt ad Gubernatricem

unde-

undequaque delatae, ab omni hominum Ordine: persecutio praeterea qualiscunque nigris est depicta coloribus, omniumque ora in eam sunt publice resoluta. Ipsi Provinciarum Gubernatores, postquam Rex, se nihil remissurum esse, declarasset a. 1566., se eam aversari palam testati sunt. Libelli etiam contra Inquisitionem et persecutionem per omnia loca sunt dispersi. Denique populus vix a tumultu retineri potuit, imo carceres effracti sunt, et incarcerati in libertatem educti: moris enim jam erat, confessores privatim et occulte occidere. Erat quoque jam hoc tempore inmensus reformatorum numerus, ad centum millia usque; sicut in Epistola ad Regem Hispaniae, confessioni, hoc anno 1566. adbreviatae, et ad eum missae, praefixa, traditur.

§. CCLIV. Quo rerum statu cum res ad extremum venisset, trecenti Nobiles primi Ordinis, inter quos eminent Henricus de Brederode, Ludovicus Nassavius, prudentia et heroica virtute prae omnibus insignis, frater Principis Arausionensis, Comes Bergensis, et alii, arcto foedere juncti, sese Bruxellas contulerunt, et a Gubernatrice abolitionem Inquisitionis, ac persecutionis, postularunt, sed nihil aliud inpetrarunt, ac Regem de eo consulendum esse, et mitiganda interea esse edicta, quod tamen non nisi specie tenus factum est. Quo tempore sese ad hanc rem promovendam arctiore vinculo adstrinxerunt foederati, simul titulum *Geusiorum* acceperunt, primum in contemtum, quasi dicas mendicos et vagabundos, homines nihili, Gallice *geux* a Belgico *guit*. Cum enim Margareta sibi ab illis metueret, Barlaemontius Comes nihil esse metuendum regessit, esse enim omnes *mendicos*, quia plerique aut aere alieno oppressi, aut domuum minores, censebantur. Sed postea illud nomen sibi honori duxerunt, multisque signis demonstrarunt. Reformati porro, tempus adesse opportunum rati, partim Nobilium confoederatione, et patrocinio, nixi, partim ad desperationem adacti, cum persecutio non cessa-

ret vehementer faevire, partim ferventiore, quam decet, ftudio inflammati, occultos fuos conventus, et latibula, derelinquere, et in publicum prodire, publicofque coetus agere, et concionari coeperunt. Quae concionandi libertas in Flandria Occidentali initium fumfit, et ad Brabantiam, aliafque regiones, mox tranflata eft. Quae reformationis in Belgio epocha, a. 1566., maxime eft notabilis. Habitae funt conciones in vicis, agris, locis apertis, initio quidem coram auditoribus inermibus, dein, cum vis inciperet inferri, armatis. Primus, qui publice concionatus eft, fuit Hermannus Modet; cujus fupra memini.

§. CCLV. Celebrem fefe hoc tempore quoque praeftitit hoc in opere *Petrus Dathenus*, eloquentiae dono praeditus, qui inmenfam ad fuas conciones traxit multitudinem, fubinde, ut ferunt, ad quindecim millia. Fuit primum in Flandria Occidentali Monachus, dein, purioris doctrinae luce illuftratus, feceffit in Palatinatum, fed nunc, rerum facie mutata, in has oras reverfus. Autor eft Pfalmorum, non ex Hebraea lingua, cujus erat ignarus, fed Gallica in Belgicam tranflatorum, et ad mufices leges aptorum, ad modum Gallicorum Pfalmorum Clementis Marot, et Theodori Bezae. Qui Pfalmi ab eo tempore in ufu fuerunt per Ecclefias Belgicas, donec alii, longe meliores, licet non fine naevis quoad fenfum, fuerunt nuper, autoritate publica, iis fuffecti: uti conftat.

§. CCLVI. Sed longe doctior, ac melior, vir, quem maximi facio, hoc tempore fummum reformationi adtulit commodum, *Francifcus Junius*; qui propius eft cognofcendus. Fuit origine Biturix, ex oppido ejus nominis in regione Bituricenfi, ex parentibus, qui nobilitate ac muneribus fuerunt illuftres, natus a. 1545., ad alia quidem ftudia et honores deftinatus, fed ad Theologica per Divinam directionem delatus, et Genevae innutritus ftudiis, fumma cum paupertate initio conflictatus eft, quod parentum pecunia, propter inteftinum in Gallia bellum, careret. Sicut vero

ibi

ibi singularem Dei favorem expertus est, ut ipse in *vita sua* testatur, quod a voluptate carnali, ac hostibus, fuerit liberatus, simul atheisticis et irreligiosis principiis, quae adolescens ex commercio cum ejusmodi farinae hominibus hauserat, ereptus; ita eadem Providentia in Belgium translatus, quo tempore Antverpienses a Genevensibus petebant Doctores, Ecclesiae Walonicae Antverpiensi primum ab a. 1566. clam inserviit; et odium hominum, ex origine ejus Gallica natum, patientia, vitaque pia superavit. Mox Bruxellas vocatus concionem habuit, et preces concepit, in consessu Principum, tunc paucorum numero, in aedibus Cuilemburgicis, in quo confoederationis contra Inquisitionem jacta sunt fundamenta; decreto, ipso praesente, facto, sed, ut inquit, „*tacente et audiente*, de foederibus domi forisque contra Inquisitionem ineundis. Qua propter duo viri Nobiles, fratres Cokii, qui domum incolebant, biennio post capite truncati sunt, et tota domus, inter diras inprecationes, jussu Ducis Albani, aequata est solo, et sale consperfa.

§. CCLVII. Antverpiam reversus gravibus est inplicitus negotiis, quae multa ipsi crearunt pericula. Litterae, ad Ecclesiam Antverpiensem pertinentes, ad ipsum fuerunt delatae, ipseque ad eas non tantum respondit, sed et multas edidit scriptiones, ut ipse ait, quae monita politica, rationibus humanis, et exemplis historicis, confirmata, complectebantur, quas ad Curiam, et supremum consilium Bruxellis clanculum deferri curabat, quaeque omnibus probabantur, et avide legebantur. Quapropter, ut ipse inquit, a Magistratu saepe quaesitus est, saepe edicto adpellatus, saepe praeconis voce denunciationes in ipsum pro Curia factae sunt, saepe creata pericula. Imo, ipso audiente, mandatum aliquoties promulgatum est, ut, quisquis autorem indicaret, trecentos et quadringentos haberet florenos. Imago quoque ejus, per pictorem subornatum, qui se reformatum simulabat, confecta est, et, ad Gubernatricem, Margaretam Parmensem, missa, domus etiam ejus signata. Venit quoque

Praetor nomine publico ad domum Junii, ut eum prehenderet: sed ante semihoram discesserat, Ecclesiam Bredanam visitaturus, et hospes, ante admonitus, res ejus abdidit, vel deportavit. Quae initia et praeludia fuerunt malorum, quae postea in eum ingruerunt plura. In ipsum enim prae aliis inpetus fiebat, etiam quia Gallus erat: quae natio tunc propter bella erat in Belgio valde odiosa, et suspecta. Multae ipsi structae sunt insidiae, multae excogitatae artes, ut comprehenderetur, sed mirabili Dei cura semper ereptus, ut ipse in *vita* sua narrat.

§. CCLVIII. Cum vero, ut telam reformationis resumam, publicae in Flandria haberentur conciones, in tota vero Brabantia adhuc clanculum, illudque, tanquam metus et diffidentiae plenum, traduceretur, reformati, eodem accensi zelo, ibi, et Antverpiae, idem facere adgressi sunt, maxime postquam novae leges, post Nobilitatis Belgicae postulationem, modo memoratam, in Reformatos essent cusae, autore Viglio Zwichemo, Consilii Burgundici Praeside, quae, specioso moderationis titulo ornatae, re ipsa nihil a persecutione remittebant. Quo periculo cognito, sese palam opposuerunt, et in lucem publicam prodierunt Reformati, ut Junius in *vita sua* refert, qui addit, *sic moderationis consilium illud fuisse eversum, et Ecclesias ad miraculum usque coepisse propagari.* Sed eo ipso majora fuerunt Junio creata pericula, quia Gubernatrix, per Ecclesiam Gallicam Antverpiensem, et ita per Junium, omnes Ecclesias commoveri, falso arbitrabatur. Quo eodem anno publicae quoque institui coeperunt conciones per Hollandiam, posteaquam illud esset Amstelodami inter Reformatos, ad exemplum Flandriae Brabantiae, et aliarum regionum, decretum. Prima vero habita est prope Hornam a *Johanne Arendts*, qui, Alcmaria expulsus, privatum agebat Campenae Pastorem. Audiverunt concionem, praeter Praetorem subalternum, Nobiles aliqui, qui apud Monachos Canonicos convivabantur, et ad rumorem eo confluxerant, confessi mox apud Monachos,

sibi

ſibi eam non diſplicuiſſe. Quod idem mox prope Harlemum contigit, *Petro Gabriele*, Flandro origine, qui antea Brugae, dein Amſtelodami, docuerat, publice concionante: ſicut et prope Amſtelodamum fecit Johannes Arents. Quod ad alia loca ubique eſt propagatum.

§. CCLIX. Cum autem concionatorum eſſet penuria, quatuor enim tantum erant per Hollandiam, praeter duos modo laudatos duo tantum alii, Allert Gerrits et Petrus Cornelisz, Embdam miſerunt, unde varii venerunt, adeo ut ſingulae urbes brevi proprium ſint adeptae Paſtorem. Quo rerum ſtatu, cui Magiſtratus urbium vel non potuerunt, vel noluerunt reſiſtere, Nobilium confoederatorum celebratus eſt conventus in oppido Centrono (S. Trudonis, Sint Truyen) in Epiſcopatu Leodienſi, cui ad duo millia praeſentes adfuerunt, deliberaturi quid agendum foret? Delegati quoque eo ſunt ab Eccleſia Junius et Peregrinus Gangraeus, cujus ſupra memini, cum Junio a Genevenſibus in Belgium miſſus, et Valentianae paſtorem agens, *ſanctiſſima et placidiſſima anima*, teſte Junio, cum brevi ſcripto de fide, ex diſertis Scripturae verbis exarato, ut confoederatorum conſequerentur patrocinium: ſed nihil effecerunt, inquit Junius, *importuna cujuſdam interceſſione, cui ignoſcat Dominus?* Tantum decretum eſt, ſecuritati mutuae ut proſpicerent, et poſtulata, jam ante facta, urgerent apud Gubernatricem. Quod quoque effectui dederunt, ſcripto etiam, quod memoravi, de *fide* ipſi oblato. Sed aliud non retulerunt reſponſum, quam ſe deliberaturam eſſe.

§. CCLX. Interea, dum Rex Hiſpaniae, de omnibus hiſce motibus certior factus, deliberaret, aliquid etiam conceſſurus videretur, modo ſalva maneat religio Catholica; motus longe vehementiores facti ſunt in Belgio, et tumultuoſa Templorum ſpoliatio, imaginum, et ſignorum ſacrorum, deſtructio, erupit a. 1566. Quae ſingularis eſt, ſed minus laudabilis, reformationis Belgii periodus. Orta eſt tempeſtas in Flandria Occidentali, initio a tractu Audomaropolis (S. Omer), ut

Burgundus narrat, et per alia loca ac Provincias momento quasi pervasit, in Antverpiam praecipue detonuit. Cujus primi autores ibi fuerunt homines plebeji, quibus sese fures et scorta adjunxerunt. Sed turba inmensum accrevit, e cujusvis sortis hominibus, quibus nemo resistere aut poterat, aut audebat. In Templis et monasteriis mira facta est desolatio, cruces et imagines per vias ubique destructae sunt, ubique etiam inclamatum, *vivant Geusii*. De quo tumultu variarunt quidem judicia, sed reformatoribus passim inputatus est a Pontificiis, maxime Antverpiae Junio: sed illi se demonstrarunt innocentes, Junius quoque populum ab illis facinoribus publice dehortatus est, Hermannus Modet, edita apologia se defendit: maximam vero partem judicarunt Reformati, rem bonam *non bono ordine fuisse peractam*. Fuit interea instar miraculi fere, rem, tanto licet tumultu, tam bono ordine fuisse effectam, et sine ullius laesione, acsi omnes, deliberato quisque ordine, egissent. Eadem scena eodem etiam anno in Belgio foederato aperta et acta est. Sed multis in locis minore tumultu, Magistratu vel connivente, vel et permittente. Frisia vero ab omni tumultu fere fuit libera, forte quod pectora hic minus fuerint inflammata, sed eo multum Gubernatoris, Comitis Arenbergii, contulit moderatio. Singulari enim ipse usus est prudentia erga reformatos, ita ut nullus fuerit tractus, ubi minor sanguinis innocui copia fuit fusa, et causa religionis majore ordine tractata. Leovardiae Templa sunt, consensu Magistratus, purgata, et publicae in iis conciones ab Euangelicis habitae ab Antonio Klaasen, et Martino Eliaco.

§. CCLXI. Cum itaque Reformati capita ubique erigerent, et in urbibus jam publice per omnes Provincias concionarentur, Gubernatrix, tempori serviendum esse rata, licet vi coacta, requisitam securitatem dedit Nobilibus foederatis, edictorum executionem suspendit, imo liberum religionis exercitium concessit illis in locis, in quibus ante hoc tempus fuerat, donec per Regem, et Generales Status esset

esset hac de re statutum. Jussi itaque sunt omnes arma deponere, et quiete vivere. Statim ac pacificationis hoc decretum a. 1566. emanasset, Princeps Auriacus, et Comites Egmondanus ac Hornanus, liberum religionis exercitium in Provinciis suis permiserunt, sed in Regis inexpiabile odium simul inciderunt, adeo ut eorum exitium jam tunc secum statuerit: ipsa quoque Gubernatrix decretum suum omnium prima violavit, et belli civilis, in Belgio orti, fundamenta jecit. Cum vero inter pacis articulos esset, extraneos Pastores, in specie Gallos, expellendos esse, Junius, qui in primis hoc articulo petebatur, nova incurrit pericula, quibus singulari saepe Dei cura evasit, ut in *vita* sua narrat. Comitis Egmondani, qui Brugas venerat, ut dissidia ibi componeret, et res ordinaret, jussu promulgatum fuit edictum in caput Junii, quo, si quis eum caperet vivum, 800 floreni promittuntur, si mortuum, 400. Quo non obstante eo venit, ab Ecclesia Brugensi inportune accitus, ut ejus rebus consuleret, vestitu caementarii structoris, et rebus peractis evasit salvus. Verum Antverpiam redux, se ab Ecclesiae ministerio deprehendit, praeter opinionem, prorsus exclusum: Princeps enim Arausionensis, Burggravius, seu Vice-Comes, Antverpianus, pactum inter cives utriusque partis procuraverat, quo, inter alia, ut Ecclesiae Antverpianae duos tantum Ministros, eosque indigenas, aut civitate alicubi in Belgio donatos, haberent, stipulatum erat.

§. CCLXII. Amstelodami, post varios tumultus, res tandem ita inter Magistratum et Reformatos compositae sunt, ut aliud per urbem non haberent Reformati Templum, quam Minoritarum, donec per Regem et Status aliter esset decretum. Cum vero hanc libertatem, qua mox usi sunt, religionis exercitium auspicati, et S. coenam administrantes, lividis oculis intuerentur Lutherani, qui eos perversae de praesentia Christi in S. coena sententiae reos agebant, Johannes Arents, Pastorem Reformatum ibi agens, ut mala, ex Protestantium dissidiis oriunda, praeveniret, publice in Templo Minori-

tarum pro concione praelegit, consensu Consistorii, Confessionis Augustanae articulos, ad S. coenam pertinentes, sesequc contra eos non docere declaravit. Quae moderatio, ad Reformatos Antverpienses delata, zelotis adeo displicuit, ut aliqui ex ipsis, quorum unus fuit Caspar Heidanus, fuerint Amstelodamum missi, qui cum ipsis expostularent non tantum, sed excommunicationem, nisi retractarent, minarentur. Sed, longe tristiore rerum facie mox exorta, haec res ulterius non processit. Ceterum fuerunt tunc Amstelodami verbi Divini Minstri, Petrus Gabriel, Johannes Arents, et Nicolaus Scheltius, optimae notae omnes tres.

§. CCLXIII. Redeamus ad *Junium*, cujus historia nonnulla habet memorabilia, ad Reformationem quoque spectantia. Otii, quo invitus fruebatur apud Antverpienses, pertaesus, tetendit, de Ecclesiae suae sententia, in agrum Limburgensem, Mens. Octobr., supellectile libraria et vestiaria apud fratres relicta, cujus jacturam propterea postea fecit, ubi variis est jactatus fluctibus, et varia in mortis manifesta incidit pericula. Primam cum apud Limburgenses in campo haberet, satis magna frequentia, concionem, adstitit a tergo vir, venabulo armatus, qui juraverat, se eum occisurum: sed *hominem fregit Deus, integro venabulo*, ut verba Junii habent, *adeo ut tranquille mente composita sermonem audiverit*. Hervam, prope quam, qua itur Leodium, concionem habuerat, cum pransurus venisset, cum 130 virorum comitatu, domus mox a Limburgensi Legato cum satellitio cingitur, et res ad arma venisset, nisi dilapsus fuisset Junius: quem comites secuti deduxerunt Limburgum, ubi concionari mox coepit, *demirantibus Pontificiis*, uti inquit, et *Anabaptistis, qui multas pias animas ibi turbaverant*, ringentibus. Altera concione in loco, Leodium versus, qui *altus Dei Mons* adpellatur, magna auditorum frequentia, numerosus exercitus, ab Episcopo Leodiensi missus, cum venisset, et rumore suo concionem perterruisset, ut populus bis in fugam se dederit, sed bis a Junio recollectus, re infecta, quia concio resistere

resistere parata erat, abiit Limburgum, dein redux domum Dei ibi semiannum aedificavit. Viduam quoque, numerosa prole oneratam, et in salutis aeternae desperationem redactam, ita ut obsessae similis esset, jam a tredecim annis, sanavit sola instructione pia. Causa enim furoris cognita, quod, familiae alendae intenta, missam adire, et Deo ita servire neglexerit, ipsi ob oculos posuit, non eam, sed hanc potius esse veram religionem, quam exercuerat, orphanos suos alendo: ut Jacobus Apostolus dixit c. I: 27. Quo facto aucta non tantum est Ecclesiae celebritas, sed et multi ad Junium, ipso teste in *vita sua*, *quamvis contra docentem et objurgantem*, *sanandos aegrotos adducebant*, *magno ejus dolore*. Multum praeterea ipsi fuit negotii cum Anabaptistis et Pontificiis. Priores inprudentes aliquoties accedens, et amice cum iis conferens, ipsorum numerum, autoritatem, et gratiam inminuit multum. Pontificii vero, vanis vociferationibus Ipsum adgressi, excitarunt potius quam minuerunt ejus auditorium. Accidit etiam tunc quid singulare, et ridiculum, calumniam et simplicitatem eorum comprobans, et ideo memoratu dignum. In campo cum esset Junius, disputationem cum Franciscano, qui multum jactaverat, habiturus, qui tamen non comparuit, senex quidam, frequentiam perrumpens, ipsum adiit, et adtente contemplatus dixit, *eho! jam video non esse verum*, *quod mihi de te fuerat enunciatum*, roganti Junio, quid illud esset, respondit, *tibi pedes fissos esse*.

§. CCLXIV. Interea ad novos, terribilioresque, motus omnia spectarunt in Belgio, et causa reformationis indies decrescebat. Libertatem, Nobilibus et Reformatis indultam, Gubernatrix haud obscure significavit, sibi esse extortam. Pontificiae sectae addicti, per violentiam Templis et cultui sacro illatam absterriti, facile perspiciebant, non tam de praerogativis conservandis, quam de religione Catholica destruenda agi, adeoque a Reformatis facti sunt alieniores. Ipsi Nobiles foederati inter se fuerunt divisi, plures etiam, ut Gubernatrici satisfacerent, multum respectu libertatis religionis

ligionis concedendae remiserunt, nec ad summum nisi conciones extra urbes, sine ulteriore religionis exercitio, aliquid permiserunt. Militum quoque delectus a Gubernatrice factus est, et Rex Hispaniae se ad bellum parabat cum Belgis. Litterae, a Principe Arausionensi interceptae, animum Regis de his terris in servitutem redigendis clare significarunt. Praesidia sunt in urbes introducta, violentam quoque oppugnationem passae, quae se opponebant, uti Valentianae contigit; quae a Noircarmes expugnata est, et, praeter plures, religionis, aut oppositionis, causa occisos, ministri euangelici de Bres, et Gangraeus martyrio adfecti sunt. Comes ipse Egmondanus sese ad Gubernatricis adcommodavit placita. Nova juramenti forma Gubernatoribus et Praetoribus praescripta est, qua se ad religionis Pontificiae patrocinium, et exstirpationem haeresium obstringebant, imo, ut pro inimicis et hostibus haberent, quos Rex vellet. Quod juramentum multi praestiterunt, aliqui recusarunt, inter quos erant Princeps Arausionensis, Comes Hoogstratenus et Dominus de Brederode. Denique Pontificii, non contenti, autores tumultuum causa imaginum puniri, licentiamque reformatorum minui, eam penitus voluerunt destructam. Ad quae mala accessit, Lutheranos a Reformatis fuisse alienatos, multumque in eos declamasse: adeo ut auxilio e Germania exspectando fuerint privati, et animi magis sint divisi. Venerunt ex. gr. Antverpiam Flacius Illyricus, Johannes Spangenberg, Johannes Felix, et Hermannus Hamelmannus: qui reformatos ad disputationes provocarunt, et, ubi argumenta deficiebant, conviciis usi sunt. Qua occasione Antonius Coranus, dictus Bellerive, Hispanus, quem, apud Ducissam Ferrariae munere concionatoris fungentem, evocarunt e Gallia Reformati Antverpiam, epistolam scripsit pacificam, et vere Christianam: Vid. Brand lib. VIII.

§. CCLXV. Praeter haec omnia, certa ferebat fama, Ducem Albanum magna cum militum copia ad Belgium properare, fixumque esse Regi propositum Reformatos delendi, sicut a Gubernatrice jam coeperat fieri; quippe, quae

non

non tantum declaraverat, se Reformatos non passuram esse concionari, sed et praesidia in urbibus collocaverat, et Reformatos ubique represserat, instaurata religione Pontificia. Quam horribilem tempestatem ut evitarent Reformationis cupidi, multi ad Papismum redierunt, plurimi Embdam, commune illud reformatorum asylum, profecti sunt, Princeps Arausionensis Germaniam petiit, Dominus de Brederode alio secessit. Videbatur itaque cum reformatione actum, a. 1567., quo haec scenae mutatio accidit. Resumta itaque est persecutio, quae exiliis, carceribus, et caedibus grassata est, seseque ad Templa et loca religiosa reformatorum, quae destructa sunt, porrexit. Quo rerum statu Dux Albanus cum militibus Hispanis venit Bruxellas, Comites Egmontanum et Hornanum in custodiam dedit, qui postea capite plexi sunt, Senatum duodecim virorum, *consilium sanguinis* dictum, ex Hispanis, aliisque ejusdem animi, erexit, Praeside Johanne Vargas, omnium saevissimo, ad cujus solius relationem sententiae sunt pronunciatae. Pro crimine vero Majestatis Divinae et humanae laesae declarabatur, *afferre et admittere libellos supplices contra novos Episcopos et Inquisitionem, exercitium religionis reformatae concedere, et cessationem oppositionis, ut et hoc tribunal judicare privilegiis et legibus Provinciarum obnoxium, nec non negare licere Regi has terras omni libertate privare*, et quae sunt similia. Dictum circumfertur Vargasi, *haeretici fraxerunt Templa, boni nihil fecerunt contra, ergo debent omnes patibulare.* Metus itaque corripuit omnes, et patria inmenso numero excesserunt: ita ut, si et alii, qui antea abierunt, simul sumantur, plusquam 150 millia has terras censeantur deseruisse.

§. CCLXVI. Omnem ab hoc tempore vim exseruit terribilis persecutio, per mille cruciatus, et mortes, in omnis sexus, aetatis, et generis homines: sine horrore non legenda. Supra 1800 brevi tempore manu carnificis perierunt, quorum numerus postea inmensum auctus est, Tribunal enim illud sanguinis sine legitimo processu, sine justitia, sine miseri-

misericordia ulla, quosvis vel levissime suspectos, ob levissimas causas, damnavit. Jacobus Hessels, unus Adsessorum, passim dormitans, et, cum sententiae essent ferendae, excitatus, clamare mox, sine ullo examine, aut ratione data, solebat, *ad patibulum*, *ad patibulum*. Saevitum etiam est in libros, quorum index expurgatorius est confectus, plane pudendus, sive ad libros vetitos, sive ad eorum castrationem adtendatur. Quae terribilis scena, licet sub finem minor facta, duravit usque ad a. 1572., quando longe alia est introducta Principis Arausionensis opera, qua tyrannidi sunt ereptae Provinciae magnam partem. Gloriatus postea fertur Dux Albanus, se *octodecim millia haereticorum carnificis manu sustulisse*, *exceptis*, *quos bellum hauserat.* Quantum vero sanguinis in Belgio fuerit, spatio quinquaginta annorum fusum, luculenter liquet, ut supra jam observavi, ex oratione Barlaei Carsennae, de *pacanda Republica*, ad Belgas scripta, quae sine horrore nequit legi.

§. CCLXVII. Durante satanica et Antichristiana hac persecutione, Reformati exules, qui Vesaliae et Embdae sese praecipue detinebant, rebus suarum Ecclesiarum ordinandis, si forte aliquando in Belgio liberum vigeat religionis exercitium, incubuerunt illis in locis exilii sui. Quem in finem habita est Synodus *Vesaliae* a. 1568., cujus acta et alibi, et ad calcem historiae *publicorum scriptorum Ecclesiarum nostrarum* Cl. Ens, reperiuntur. Constituta hic sunt, quae ad regimen et ordinem sacrorum pertinent, omni animadversione digna; illud unum notabo, *confessionem Belgicam* ibi esse confirmatam, cum *catechismo* Genevensi in usum Ecclesiarum Walonicarum, et Heidelbergensi pro Belgicis, ita tamen, ut libertati illud relinquatur usque ad sequentem Synodum. Altera Synodus celebrata est *Embdae* a. 1571., cui praesedit Casparus Heidanus, tunc Pastor Francodaliae (Frankenthal) in Palatinatu, in qua *consistoria*, *classes*, *Synodi*, et alia similia, sunt ordinata, et eadem de Confessione ac Catechismis occurrunt. Notabilis est primus articulus, qui

habet,

habet, *nulla Ecclesia in aliam, nullus verbi Minister, nullus Senior aut Diaconus, alter im alterum, dominium vel inperium exercebit, sed unusquisque sibi ab omni suspicione, et ambitione inperii cavebit.* Qui articulus censeri potest Episcopatus causa factus.

§. CCLXVIII. Licet post bellum imaginibus illatum, ut historiae filum pertexam, et qua ratione, jugo Hispanico excusso, fundamenta libertatis jacta sunt, summatim et strictum enarrem, prudentiores Nobilium facile praeviderint, quo res evaderent, manus tamen, ad commune periculum avertendum, jungere non potuerunt. Voluit quidem Auriacus, sed restitit Egmontanus, cui se Hornanus adjunxit: quare, rebus desperatis, Auriacus in Germaniam secessit. Fertur Auriaco discedenti dixisse Egmontanus, *vale Princeps sine bonis*, regessisse Wilhelmus, *et tu Comes! vale sine capite.* Quod in Egmontano non tantum, sed et Hornano, aliisque Nobilibus supra viginti, inpletum est, cum Dux Albanus, in has oras irruens, eos securi jusserit percuti. Auriacus vero, cum Albanus tyrannice in omnes, spretis privilegiis et legibus, saeviret, ad arma se vertit, ut Patriae laboranti succurreret. Quo tempore singulare felicis successus omen fuit ab Electore Coloniensi, licet contra ejus intentionem, datum in spectaculo *leonis et tauri*, secum commissorum, sed tauri superioris, et leonem vincentis; bos enim Auriaci, et leo Albani signum erat. Prima belli cum Hispanis signa extulit Ludovicus Nassavius, frater Auriaci, et ejus autoritate instructus, qui a. 1668. in agrum Groninganum irruit, pro signo militari habens, *libertas patriae et conscientiae*, et vexillis inscriptum praeferens, *aut mori, aut vincere*: manifesto indicio, bellum non eo susceptum fuisse scopo, ut reformata religio vi introduceretur, vel defenderetur, sed legum, privilegiorum, et libertatis ergo, ad quam religionis, adeoque etiam reformatae, libertas quoque pertinet. Vid. Grotius apolog. c. 2. Discessit quidem in praelio ad Vinschotum in campo pagi Hilligerle notabili cum

hostium clade superior et victor, amisso tamen fratre Adolpho Nassavio, sed altero cum ipso Duce Albano ad Gemmingam, prope Amasin fluvium, victus et plane prostratus, 7000 caesis, 20 signis amissis, et 16 machinis bellicis, ipse vix elapsus, et ad fratrem reversus est. Princeps quoque Arausionensis, exercitu viginti octo millium collecto, Belgium quidem intravit, Mosa mirabiliter trajecto, felicemque forte habuisset successum, sed Albanus cunctando, ac praelium detrectando, ipsum ad incitas redegit, adeo ut pecuniae defectu, indeque orto militum tumultu, vel murmure, pedem referre, et exercitum dimittere, coactus fuerit.

§. CCLXIX. Quo rerum successu elatus Albanus vehementius furere, et praerogativas ac libertatem Provinciarum pedibus conculcare incepit. Episcopos novos, ubi nondum erant, vi introduxit, uti Groningae et Leovardiae, concilium Tridentinum promulgari fecit, Magistratus mutavit, et violenter tractavit, in bello captos saeviit, tandem decimis, vicesimis, et centesimis populum oneravit, et expilavit. Qua tyrannide factum est, ut omnium, non Reformatorum tantum, sed ipsorum ubique Pontificiorum animi ab ipso fuerint abalienati, et ad Auriacum inclinati, sicut a. 1572. inprimis adparuit. Princeps Auriacus, rebus suis licet dilapsis, animo resumto, novas recollegit vires non tantum, sed, prudente admodum Franciae Amiralii Colignii consilio, libertatem dedit *piratis* mare infestandi, et Hispanicas naves diripiendi, qui, *Geusii aquatici* (Watergeusen) dicti, ingentia hostibus adtulerunt ab a. 1569. damna, et per mare dominati sunt, imo prima liberationis Provinciarum fundamenta jecerunt per Brielam occupatam, plane praeter spem, classe eo per tempestatem delata, sub Amiralio Wilhelmo Lumaeo a. 1572. Quando Auriacus, novis collectis copiis, cum fratre Ludovico denuo in Belgium irrumpens, multas urbes in Hollandia et Zelandia occupavit, Flissingam et Enchusam, primas libertatis sedes, aliasque defectione recepit, ita ut uno illo anno Provinciae fere

omnes

omnes Principi fuerint ſubjectae, exceptis paucis urbibus in aliis provinciis, et in Hollandia tantum Amſtelodamo. Publice quoque ubique introducta eſt religio Reformata, ſed, quod dolendum, a violentiis in ſacra Pontificia, et Catholicae religionis ſacerdotes et Monachos, ſibi non caverunt reformati, licet Princeps Auriacus, longe prudentior et moderatior, ut Pontificiis libertas religionis relinqueretur, ſemper injunxerit, et ipſi Ordines, Dordrechtae hoc anno congregati, illud ipſum decreverint. Quae comitia et eo nomine ſunt notabilia, quod Princeps pro legitimo Regis Gubernatore, Albanus pro hoſte, ſit declaratus, et foedus ad mutua ſit pactum auxilia, Lumaeus quoque, Comes Marciae, conſtitutus Gubernator Principis per Hollandiam. Quo eodem tempore publicavit, et per Belgium reliquum miſit, Princeps Auriacus *liberam denunciationem* ad Ordines populumque Belgarum a. 1572. de Albani tyrannide vivis ibi depicta coloribus, addita ſeria adhortatione, ut, ſalva religionis libertate, ad ſe confugiant, et ſibi ſacramentum dicant.

§. CCLXX. Proſperrimus hic ſucceſſus haud fuit diuturnus, ſed brevi poſt eodem anno interceptus per Dominum Fredericum de Toledo, filium Albani, qui, initio a Zutphania expugnata et crudeliſſime tractata ſumto, tanto nominis ſui terrore omnia replevit, ut Gelria, Tranſiſalania et Friſia ſeſe ejus jugo mox ſubmiſerint. Unde Hollandiam petens, et ubique carnificinam exercens, horribilem inſtituit lanienam Nardae (Naarden,) licet ſponte, poſt promiſſam delictorum veniam, admiſſus, nullo religionis habito diſcrimine, ſexaginta tantum civibus in vita relictis. Quo Reformatorum non tantum, ſed et Pontificiorum, animi vehementer ſunt exulcerati. Harlemum dein a. 1573. obſedit, et poſt ſeptem menſium obſidionem, fame et aliis malis diriſſimam civibus, occupavit, ac incredibili replevit caede, aliis, qui ſe Catholicos profitebantur, gladio, aliis ſuſpendio, aliis aquarum immerſione, occiſis. Brederodius vero aliique viri

insignes capite plexi sunt. Sed magni ipsi haec obsidio constitit, quae undecim Hispanorum millia absumsit. Secuta dein militum Hispanorum tumultuatio, quae sex menses duravit, perturbatos animos Belgarum parumper erexit, Princeps quoque, animum nunquam despondens, ipsis animum contra mala insurgentem inspiravit. Quo multum contulit frustranea Alcmariae obsidio, qua durante mortuus est fidissimus praeco Johannes Arents, qui moribundus cives consolatus est, praedicendo, urbem hac vice non esse expugnandam. Accessit, quod hoc ipso tempore *montem* S. Geertrudis (Geertruidenberg) occupaverit Princeps, et Zelandi quoque superiores fuerint Hispanis.

§. CCLXXI. Rebus hac ratione in detrimentum Hispanorum labentibus, Albanus, nimium odiosus omnibus factus, a Rege revocatus hinc discessit, et ei suffectus est, mitioris animi vir, Ludovicus Requesenius, qui injuriarum oblivionem mox quidem promulgavit, sed sine successu, cum nemo Hispanis amplius fideret. Interea nec Pontificii, nec Reformati, in causa religionis moderationi, aut prudentiae, litarunt. Pontificii enim in persecutione, motibus durantibus, perrexerunt: nec Reformati sese erga religionem Pontificiam gesserunt, Christianismo non tantum, sed et tempori, convenienter, ac secundum fidem datam. Imo in Comitiis Ordinum Hollandiae, Lugduni habitis, decretum est, contra Principis voluntatem, religionis Pontificiae exercitium esse vetandum: quod tamen a temporis necessitate solet excusari, cum Reformatis continuo insidiarentur Pontificii, a quo tempore hi religionem exercere debuerunt privatim, sicut et libere fecerunt. In publicas vero aedes sacras introducta est religio secundum normam Genevae et Palatinatus, concessa tamen aliis libertate religionis, et omni inquisitione ac violentia abolita. Inter ipsos Reformatos quoque non defuerunt a doctrina Calvini de Praedestinatione alieni, qui libere et palam docebant. Vid. Brand lib. X., qui ex Grotio etiam observat, Proceres voluisse pomoeria Ecclesiarum Reformatarum

formatarum latius extendere, harum quaestionum respectu, quam verbi divini ministros.

§. CCLXXII. Initio anni 1574. causa Reformatorum insigne passa est detrimentum in Ludovico Nassavio, insigni illo heroe, qui, exercitu collecto, ad Lugduni obsidionem solvendam movens, cum suorum clade caesus est, una cum fratre Henrico, et Christophoro Electoris Palatini filio, in campo Movici ad Mosam (Mookerheide.) Lugdunum arctissima quoque premebatur obsidione, absque ut animos, dirissima licet grassaretur fames, desponderit. Penuria pecuniae cum chartacei cuderentur nummi cum inscriptione, *libertatis ergo*, aegre id tulerunt ministri sacri, qui *religionis ergo*, volebant, et propterea pro concione satis inprudenter publice declamarunt. Interea hoc ipso tempore, quod ad nostrum forum directius spectat, prima Synodus habita est Nationalis, ut dicitur, vel potius Hollandiae et Zelandiae *Dordraci*, non quidem Principis et Ordinum Decreto, attamen eorum consensu, seu permissione, ut certa quaedam Ecclesiarum ordinandarum ac gubernandarum norma praescriberetur. Inter cujus Synodi canones sunt aliqui, qui animadversionem merentur, ex. gr. 1. Libri haereticorum ut e medio Ecclesiae tollerentur, voluit Synodus, ut Ecclesia ea de re publice admoneretur, libris ipsis tamen parce nominatis, Bibliopolae ab inpressione et venditione absterreantur, denique in membra Ecclesiae prudenter inquireretur, num tales libros habeant, et ab iis abstrahantur. 2. Confessio Belgica, de qua supra exposui, a Ministris non tantum, sed et a Ludimagistris, ac senioribus Ecclesiae, subscriptione decreta est adsumenda. 3. Catechismus Heidelbergensis, statutum est, ut in omnibus Ecclesiis obtineat, et doceatur, ita tamen, ut si quae Ecclesia alio uteretur, modo verbo Dei conformis sit, non sit inhibendum; praeterea ut omnes verbi Dei ministri declararent, se verbum Dei pro perfecta doctrina salutis habere, cum hac singulari restrictione, *summatim comprehensa Catechismo*, et *in Ecclesia doceri solita*. Alios articulos mitto.

[illegible]

......, nuper a Rev. Nauta, viro aetu—

...*mus Heidelbergensis*, de quo occa—
..., qua praescriptus est, hic aptus est
...a Synodis Vesaliensi et Embdana,
...atus fuit, et commendatus, imo mox,
...it, a. 1563., in linguam Belgicam
...Ecclesiis Belgicis, libro Psalmorum
...nctus, et cum ipso illo libro per Eccle-
... a. 1567. Quid? quod a. 1564., eum
...um explicuerit Petrus Gabriel: vid. Brand
...tunc, et alii erant Catechismi in usu, ut
...ntiae, quoque significant. Quales fuerunt,
...cum, seu Genevensem, Calvini, in ejus o-
..., Catechismi *duo*, *major* Johannis a Lasco,
...s tunc Ecclesiarum Londini sub Eduardo, bel-
...lingua Germanica per Johannem Utenhoven,
...siensem, tunc seniorem Ecclesiarum Belgi-
...et *parvus* Catechismus Martini Micronii,
...Ecclesiae. Sed Synodus Dordracena prima
..., ut dixi, Catechismum Heidelbergen-
...gii introduxit a. 1574., de cujus auto-
...dum. Heidelbergensis ab Heidelberga
..., ubi compositus est, et lingua Lati-
...s a. 1563., jussu Frederici, Electoris
...addita praefatione, cum Ecclesiis suis
... operum Ursini tom. II., ante apolo-
...re Ursino. Movit Electorem ad hoc
...l. Alting in *hist. Eccles. Palatin.* re-
... varios Catechismos distraherentur Ec-
...entianus enim Catechismus ab Ottone
...introductus erat in principio reformatio-
...Lutheranismo, Heshusius vero privata
...Lutheri invexerat, alii alios, tum,
ut

at fidei capita, in primis quae inter Lutheranos ac Zuinglianos controversa erant, dilucide explicarentur et definirentur, adeoque uniformis doctrina per Ecclesias personaret.

§. CCLXXIV. Autores ab Electore ad hoc opus selecti sunt Caspar Olevianus, Professor Heidelbergensis, et Zacharias Ursinus, collegii sapientiae ibidem praefectus, Oleviani successor et Professor, sed uterque juvenilis aetatis, annorum viginti sex vel circum circa, cum Catechismus est confectus. Vid. Konigius in Biblioth. Vet. et Nov. Uterque vero brevem doctrinae Synopsin conscripsit, Olevianus quidem popularem foederis gratiae declarationem, Ursinus autem duplicem concinnavit Catechismum, *majorem* in usum provectiorum, et *minorem* in juniorum. Uterque adprobatus est, sed e posteriore confecta est publica nostra Catechesis, teste collatione. Uterque in operibus Ursini comparet. Vid. praefatio editoris operum Ursini ad tom. I. Prodiit mox eodem anno 1533. lingua Germanica, et Latina, in quam conversus est opera Josuae Lagi, et Lamberti Ludolphi Pithopoei, qui Daventria venerat Heidelbergam, ut paedagogio praeesset. Sed, antequam in publicum venerit Catechismus, ad Facultatem Theologicam, Superintendentes, Inspectores, et primarios ministros universi Palatinatus fuit missus, omniumque calculo adprobatus, a quo tempore innumerae ejus factae sunt editiones, omnes consonae, excepta quaestione et responsione *Octogesima*, quae in prima Germanica et Latina editione non fuit. Sed in secunda editione, jussu Electoris, eodem anno inserta, attamen alia forma, quam postea, et nunc habet, *missam* nimirum in illa editione dicitur *in fundamento nihil aliud esse, nisi idololatricam abnegationem unici sacrificii, et passionis Jesu Christi.* Quando autem legi coeperit, ut nunc est, non constat, nisi quod quo tempore Belgica prodiit editio a. 1567. jam exstiterit, ut Cl. Ens jam observavit, qui etiam hujus, et Tigurini Cathechismi, a Bullingero et Leone Judae conscripti,

ti, consensum recte adnotavit, licet incertum sit, num Heidelbergensis inde fuerit desumtus, an Tigurinus ex Heidelbergensi correctus et inmutatus a. 1609., quo revisus est. Ceterum notatu dignum est Bullingeri de Heidelbergensi judicium, in Oper. Ursini tom. II., post praefationem: qui dicit, *ordo libelli dilucidus est, et res ipsae sincere, verissimeque, propositae sunt. Plana sunt omnia, piissima, fructuosissima succincta brevitate comprehendentia magnas res et copiosas. Arbitror, meliorem Catechismum non esse editum, Deo sit gloria qui largiatur successum.* Reperit nihilominus multos oppugnatores, in primis e Lutheranis, quibus *apologiam* opposuit Ursinus oper. tom. II. Motus inde, sec. sequente inter Remonstrantes et Contra-Remonst., orti, non sunt hujus loci.

§. CCLXXV. Pauca restant de formulis *Liturgicis* addenda, quae formulas baptismi, S. coenae, inaugurationis Ministrorum Ecclesiae, precum, et excommunicationis comprehendunt, et a formulis *unionis*, ut adpellantur, quae Confessionem et Catechismum constituunt, probe distinguendae sunt, nec tantae autoritatis in Ecclesiis Belgicis, aut strictae obligationis, quantae sunt formulae fidei et unitatis in doctrina. Antiquissimae Belgicarum Ecclesiarum *Liturgiae* fuerunt duae, *altera* pro Ecclesiis Walonicis, *altera* pro Belgicis. Prior a Vallerando Polano, primum Argentinae, dein Londini, sub Eduardo exulum Belgarum seniore, posterior a Johanne a Lasco, tunc Ecclesiarum Belgicarum Londini Superintendente composita, et a Micronio contracta: illa edita est a. 1551. sed haec Belgice ab Utenhovio versa et publicata est Embdae a. 1554. Vid. Utenhovii *narratio de instituta et dissipata Belgarum et aliorum peregrinorum Ecclesia in Anglia.* Est autem inter utramque magna convenientia. Ceterum prior Liturgia vocari solet *Ecclesiae peregrinorum Argentinae*, quia Ecclesia exulum ibi tunc fuit, quae postea est Londinum translata. Postea vero in usum Ecclesiarum, in Belgio formatarum, nova est confecta Liturgia, quae, paucis mutatis, adhuc in usu est, partim quidem ex memoratis

ratis liturgiis, sed praecipue e Palatinatus liturgia, una cum Catechismo Heidelbergensi composita et edita, desumta. Transtulit vero eam in Belgicam Petrus Dathenus, qui libro Psalmorum suo eam adjunxit, Belgice versam, et edidit Francodaliae a. 1566., quando Dathenus in Belgium redux inter Reformatos eam disseminavit, nec tamen mox, sed per gradus, et successu temporis universaliter est usu recepta. Prima fuit Synodus Dordracena a. 1574., quae eam publica sancivit autoritate, et per Ecclesias Belgii introduxit, donec in famigeratissima Synodo Dordracena a. 1618. fuerit revisa, et in paucis mutata, eamque in formam redacta, quam nunc habet.

§. CCLXXVI. Lugduno Batavorum, ut in historia pergam, post terribilem miseriam, e fame in primis ortam, ope aquarum, cataractis Mosae et Isalae perfossis, tandem, singulari Dei providentia, mirabiliter liberato a. 1574., quae historia aliunde est petenda, Academia ibi in civium solatium, ac laudem, est erecta a. 1575. Mens. Febr. in qua primas lectiones Theologicas habuit Pastor loci Coolhasius, de quo mox plura, donec Gulielmus Feugueraeus, ad munus Professoratus in Theologia vocatus, advenerit ex Gallia. Edidit ipse a. 1570. librum, cui titulus *opuscula Feugueraei*, in cujus dedicatione, Principi Auriaco facta, eum, inter alia, laudat a moderatione et tolerantia in causa religionis, quatenus Princeps censeat, religionem non esse per media propagandam, quae eam et Patriam pervertunt, adeoque via persuasionis, non violentiae. Inter primos Professores etiam fuit Johannes Holmannus secundus, a Beza commendatus, qui, ut adserunt, a sententia Calvini de Praedestinatione fuit alienus, imo in publica disputatione fertur dixisse Donello, qui aliam tuebatur opinionem, *vos facitis Deum tyrannum et carnificem.* Sic narrat Brand l. XI., sed negat Trigland; nescio an satis solide.

§. CCLXXVII. De pace postquam Bredae frustra actum fuisset a. 1575. cum Hispanis, cum quod libertatem reli-

gionis recusarint concedere Hispani, tum simulate omnia agi perspexerint Princeps et Ordines, ad arma denuo itum est, et Princeps Auriacus ab Ordinibus electus *supremus Gubernator*, durante bello, ea conditione, ut jura et privilegia Provinciarum tueretur, ac urbium, in specie, religionis respectu, ut reformatae exercitium obtineret publicum, et Pontificiae cessaret, absque, ut in alicujus conscientiam inquireretur, aut alicui damnum aut injuria propterea fieret; denique, ne Ecclesiasticorum consistoria pateretur, nisi Ordinum, aut Magistratuum, expresso consensu. Consistoria enim, ut observat Brand, propterea multis erant invisa, quod neglectis Magistratibus, de sacris disponerent, et dissentientibus essent iniquiora. Sed nec deerant eo tempore, qui Ecclesiasticos contentos esse debere Verbi Dei adnunciatione, ac sacramentorum administratione, censebant. Interea bellum quidem continuatum est, sed Hollandorum et Zelandorum, otii amantium, minore studio, et plebe ad vectigalia pendenda tardiore. Unde factum est, ut urbes Veteraquae, Schoonhovia et Bura, cum Bommeledo castello, fuerint amissae, et ab Hispanis occupatae, magna instituta carnificina, praecipue Veteraquis vi expugnatis. Continuavit quoque, durante bello, persecutio, quae Anabaptistas praecipue feriit, qui Angliam, in quam confugerant, et in qua sub Elisabetha male excepti sunt, deserere debuerant, ubi etiam in haereticos tunc igni et ferro subinde, omnibus merito stupentibus, saevitum est. In Hollandia quoque Septentrionali, in reformationis scandalum, et detrimentum, Pontificii coram extraordinario tribunali, inde *Senatu Sanguinum* dicto, ad praetensam conspirationem detegendam, inhumaniter admodum sunt tractati, instigante praecipue Sonoio. Quam saevitiam Princeps postea repressit, Sonoio loco moto.

§. CCLXXVIII. Anno 1576. illud primo accidit respectu Ecclesiae maxime notabile, quod nomine Principis, et Ordinum Hollandiae ac Zelandiae, nonnullae leges Ecclesiasticae fuerint

fuerint compositae, de electione Pastorum, Doctorum, ac Seniorum, a Magistratu facienda, consulto tamen Clero, de Juramento Magistratui faciendo a Clero, seu Pastoribus, de administratione sacramentorum, de dissidiis religionis finiendis, similibusque rebus aliis, quas leges exhibet Brand, manifesto indicio, supremam in Ecclesiasticis autoritatem sibi vindicasse Politicos. Sed effectu caruerunt propter pacificationes cum reliquis Belgii Provinciis, et Principis in Brabantiam discessum. Quod alterum est valde memorabile hujus anni. Ludovico Requesenio defuncto, et Hispanis tumultuantibus non tantum, sed et inmaniter, praecipue Antverpiae, grassantibus in Pontificios aeque ac alios, quod *Hispanici furoris* nomine notum est, Provinciae totius Belgii generalem inierunt Gandavi pacificationem a. 1576., nomine *pacificationis Gandavensis* insigniri solitam, eo tendentem, ut religionis et status Provinciarum libertas a tyrannide Hispanica constitueretur. Cujus articuli, apud Bor et Hooft obvii, ad hos quatuor generales referri possunt. 1. Ordines Provinciarum in suis singulos ditionibus de religione pro arbitrio posse disponere. 2. Religionis causa nemini vim esse inferendam, nec conscientiis inperitandum. 3. Hispanos communibus consiliis et viribus esse exturbandos. 4. Inter foederatos, et qui defecerunt, aliosque Belgas, aeternam fore pacem, liberaque commercia. Praeterea superiora decreta omnia, in specie Albana, de persecutione sunt abolita, et exulibus in Patriam concessus est reditus. Cujus pacificationis virtute, quod notari meretur, duo Templa Reformatis Groningae fuerunt concessa, a. 1579., *Walpurgis*, ubi docuit Assuerus a Munster, et *fratrum Minorum*. Cessavit itaque hoc tempore persecutio, si ab Anabaptistis discesseris, quorum aliqui adhuc vexati sunt, etiam, quod quis miretur, in Zelandia Medioburgi, eo nomine, quod a juramento essent alieni. Sed Princeps intercessit, data ipsis libertate: de quo praeclarum exstat Principis, libertatis religionis studiosi, judicium apud Brand: qui etiam in propo-

sito mansit, quicquid contra egerint alii, etiam, quod dolendum, ipse Philippus Marnixius.

§. CCLXXIX. Laeta haec rerum facies brevi in longe tristiorem vertit per *Johannis Austriaci*, Belgio a Rege praefecti, adventum. Subscripsit quidem *pacificationi Gandavensi*, et subdole militem Hispanum dimisit, sed alium conscripsit, et pacem dein palam fregit. Quando in Belgium ab Ordinibus vocatus est *Matthias* Archidux Austriae, frater Rudolphi Inperatoris, Reipublicae constituendae ergo, et Princeps Arausionensis Gubernator Brabantiae factus, imo mox a Matthia omnibus Provinciis praefectus. Quod factum est a. 1578. Quo et illud commodum accidit foederatis quod Amstelodamum se illis adjunxerit, hac facta stipulatione ut religio Pontificia ibi tantum exerceretur, Reformatis tamen concessa libertate ibi degendi, et religionem extra urbem exercendi. Sed, exulibus reversis, reformati valde multiplicati mox insolentiores facti sunt, nec intra terminos se continuerunt. Quibus cum Pontificii se opponerent, novis et gravioribus tumultibus repletae sunt regiones, quod causae libertatis multum nocuit, sed Regi Hispaniae profuit. Primus tumultus erupit Amstelodami, ubi Reformati, excitato populo, Magistratum mutarunt, Templa occuparunt, imagines et altaria destruxerunt et publicas introduxerunt conciones. Primi praecones fuerunt Johannes Keuchlinus et Petrus Hardenberg e Frisia Orientali. Idem factum est Harlemi, majore adhuc cum excessu, promisso nihilominus Pontificiis religionis exercitio. Iidem brevi post exorti sunt motus per Flandriam et Brabantiam. Ubi in initio publicum religionis exercitium Reformati partim inceperunt, partim ab Ordinibus postularunt, recte contendentes, societati non obesse diversas religiones, easque omnino obtinere posse, de quo notabilis exstat libellus supplex Synodi Dordracenae a. 1578. apud Brandt, dein ad violentias et tumultus ventum est. Prodiit quidem Archiducis et Senatus Ordinum nomine nova pacificationis religiosae

giosae formula, qua omnis inquisitio et vexatio causa religionis interdicitur, honores etiam sine religionis discrimine dispensandi forent, denique, quibus in locis non minus centum familiae ex Reformatis postularent aedes, eorum sacris distribuerentur, sed hac lege, ut per Hollandiam et Zelandiam idem concederetur Pontificiis. Quibus legibus passim non fuerunt contenti, imo horribiles dein motus exorti. *Post haec, quae sequuntur*, dicit Grotius in Annal. l. II., *non sine miseratione, aut ingenti exemplo transeunda: tanti motus, tanta odia, et turbae turbis obtentui.* Nihil enim Reformatis concedere voluerunt Pontificii, et illi rursus, *inpunitate et arcano suo* non contenti, vim contra contumaces Magistratus adhibuerunt, adeo ut cives contra cives steterint in urbibus armati, belli cum Hispanis nulla habita ratione: imo pacis ac moderationis sectatores, quae eorum passim sors est, odio fuerunt ab utraque parte habiti. Quae tempestas Gandavae in primis erupit, autoribus ex Reformatis Johanne Imbisio, qui ad potentiam hac via grassabatur, et Petro Datheno, ibi tunc Pastore, falso ducto zelo, qui eum eo usque in devia abripuit, ut in ipsum Auriacum e cathedra detonuerit, quem *nec Deum nec religionem* habere calumniose dixit, quia fidem, Pontificiis datam, noluit frangi. Manus itaque in Pontificios, eorumque sacra, sunt injectae, et multa violenter patrata, quae longum foret enarrare. Sed nec Pontificiis placuerunt pacificationis leges. Hannonienses (Henegouwen) ex. gr. eas palam tanquam quid abominandum rejecerunt, pro religione Pontificia sanguinem fundere parati. Quod ipsum bellum intestinum postea Provinciarum produxit separationem.

§. CCLXXX. Quod filum antequam pertexam, nonnulla, ad religionem pertinentia, hujus anni memorabo. Habita hoc anno est prima Synodus Nationalis *Dordraci*, consensu Principis et Ordinum, teste Synodo, a. 1582., apud Triglandum, licet sine legitimo Ordinum consensu tradat Brandt l. XI. a Reformatis non tantum omnium Provinciarum foe-

deratarum, sed et aliarum, Praeside Petro Datheno. In qua 101 conditi sunt articuli ad ordinandas Ecclesias, nonnulla cum variatione a superioribus Synodis. Reperiuntur in collectione Rev. Nauta. Inter quos sunt maxime notabiles, 1. electionem ministrorum verbi et Ecclesiae facit Ecclesiasticam 2. Confessioni Belgicae subscribendum jubet a Professoribus, Pastoribus, et Senioribus 3. In Pastorum inauguratione tantum praecipit interrogationem, num Scripturam pro solo Verbo Dei, *et norma Doctrinae salutaris habeant*, 4. in conventibus Ecclesiasticis secundum plura esse concludendum, *exceptis rebus in Scriptura definitis*. Habita quoque hoc anno est celebris disputatio Leidensis, inter Koornhertum, et duos Praecones Belgas, Arnoldum Cornelium, et Reinerium Dontklokium: cujus notitiam dabo, postquam de Koornherto quaedam dixero, ex vita ejus operibus praefixa petita.

§. CCLXXXI. *Theodorus Volckhardus Koornhert*, ex antiqua familia Amstelodami natus, post itinerationem per Hispaniam et Portugalliam, paupere ducta uxore, contra Parentum vota, se aliunde sustentare coactus, primum in aula Brederodii, Baronis Vianae, Magister fuit aulae, satis aestimatus, dein, vitae aulicae pertaesus, Harlemi e sculptura, vel rectius caelatura, qua arte excellebat, vixit, et, scrupulo religionis tactus, ut Augustinum, Patresque Latinos, legere posset, linguam Latinam, jam triginta annos natus, didicit feliciffime: arte insuper musices et poeseos fuit eruditus. Dein secretarius Harlemensis a. 1562. factus, plus una vice ad Principem Auriacum delegatus est, et cum Henrico Brederodio saepius contulit, initio turbarum Belgii, ad libertatem Patriae tuendam, a. 1565. et 1566. Composuisse quoque censetur, ut Bor l. IV. adserit, scriptum Principis Auriaci, ad incolas Belgii, initio oppositionis ejus, missum. Sed hic ipse zelus libertatis tandem diuturnum carcerem peperit a. 1567. et 1568. Hagae Comitum, ubi tantopere defatigatus et vexatus est, ut uxor ejus pauperibus, in domibus

infectis

infectis et pestilentialibus, inservierit, spe ejusdem morbi, quo et virum inficeret, ad miseriam ejus finiendam: quod tamen maritus, Deo fidens, repressit, seque, variis compositis poematibus, in carcere consolatus est. Tandem e carcere quidem eductus, et intra Hagam conclusus, sed denuo in carcerem conjiciendus, clam Harlemum, et inde in Cliviam discessit, arte caelaturae victum quaerens. Denique in Patriam a. 1572. redux, Secretarius Ordinum Hollandiae factus, cum ad milites tumultuantes, Duce Lumaeo, sedandos missus esset, sui odium concitavit. Traductus enim ab iis est, satis temere et calumniose, tanquam fautor Papistarum, quia eos, eorumque sacra, contra datam fidem nolebat violari: quare, vitae non securus, voluntario electo exilio, Embdam concessit. Rebus dein in meliorem redactis statum rediit Harlemum, et disputationibus cum zelotis nonnullis Pastoribus inmixtus est, primum Delphis, dein Leidae, viva voce, sed quae brevi sunt abruptae, Koornherto, ut prae se ferebat, autoritate seculari nimium presso, ita ut libere non potuerit disputare. Interdictum etiam ipsi est se scripto defendere. Unde in commune Reformatorum odium incidit, et pro fanatico, indifferentista, et inpio, nullius religionis, a zelotis et plebe diffamatus est. Quae postea ipsi acciderunt, suo loco narrabo: hic de occasione et argumento disputationis verbo dicam. Vid. Oper. Koornh. tom. III.

§. CCLXXXII. Occasionem praebuit, quod Coornhertus scriptis et voce non cessaverit in Calvinum et Bezam declamare, inprimis doctrinae de Praedestinatione, dominio in conscientias, et inde orto haereticidio, respectu. Unde in Reformatorum ejus temporis odium incurrit, acsi a Reformatione esset alienus. Dixisse etiam alicui fertur, qui se reformatum factum gloriabatur, *disputabile est, num meliorem elegeris, quam reliqueris:* sed illud de reformatione ad normam Genevensem, et secundum modo memoratas Calvini opiniones, intellectum voluit. Damnavit enim passim re-

formationem ob praedeſtinationem, juſtificationem ex ſola fide, et haereticidium; a quibus tres falſae Eccleſiae notas derivavit: unde orta eſt diſputatio, quae brevi eſt abrupta, quia Coornhertus ſibi diſputandi libertatem eripi exiſtimavit. Quare inde diſceſſit, nec amplius voluit diſputare.

§. CCLXXXIII. Circa idem tempus reformatio coepit Ultrajecti, duplice et diverſa ratione, *una* ſine ulla norma, cum ſumma ſingulorum libertate ac moderatione, *altera* ſecundum regiminis et diſciplinae receptam normam. Prior, quae et tempore prior fuit, autorem habuit *Hubertum Duifhuis*, obtinuitque ejus tempore non tantum in Eccleſia S. Jacobi Ultrajecti, ſed et poſt ipſum aliquandiu. Vid. Brandt l. XI. et Trigland. Hubertus, ut ejus aliquam praemittam notitiam, Roterodami, ubi uno ante Eraſmum die natus eſt, Paſtoris munere in Eccleſia Pontificia fungens, cum et uxorem domi haberet, et perſecutionem Reformatorum ſibi diſplicere demonſtraret, nonnullis praeterea indiciis, ſibi omnia in Eccleſia illa non probari, patefeciſſet, et ab Inquiſitoribus propterea quaereretur, ſingulari arte elapſus, ſeceſſit Coloniam, ubi, ad ſummam redactus paupertatem, a mercatore, qui illum agnovit, non ſine ſingulari Providentia ſuſtentatus eſt. In patriam aliquandiu poſt redux, Paſtor Eccleſiae S. Jacobi Ultrajecti factus eſt, Eccleſiae Pontificiae reconciliatus, ſive uxor fuerit mortua, ſive conniventia fuerint cum ipſo uſi. Libertate dein religionis per *pacem Andegavenſem* conceſſa, et perſecutione ceſſante, mentem apertius explicare coepit Hubertus, ſeſe reformatae doctrinae addictum profeſſus, eamque docturum declaravit, ſed ita, ut imagines in Eccleſia ſua voluerit ferre, cum veſte quoque Miſſatica. Conſenſu licet a Magiſtratu inpetrato, tutius propter Eccleſiaſticorum oppoſitiones duxit inde diſcedere. Sed a Magiſtratu revocatus haud diu poſt, hanc inſtituit in Eccleſia ſua reformationem, haud uno nomine notabilem. Baptizabat ſine cerimoniis non tantum Baptiſticis, ſed et ſine formula reformatorum, nihil a Parentibus

aut

aut testibus requirens, et ad nihil eos obligans: S. coenam more Reformatorum administrabat nullo communicantium instituto examine, sed singulis relicto: disciplinam Genevensem et excommunicationem non admisit, Magistratui competere dictitans punire facinorosos, et admonitiones relinquens singulis fratribus: nullos praeterea seniores aut diaconos ordinavit, nullum instituit consistorium, aliorum ministeriis in rebus ad Ecclesiam pertinentibus usus. Omnem denique qualemcunque, et in qualescunque, etiam Papistas, detestatus est persecutionem, dicens Judicibus, *si propter fidem persequamini, res vestrae cum Deo non consistent.* Singulare porro est, quod in una eademque aede ipse sit concionatus, et religio Pontificia aliquandiu fuerit exercita, sine ullo tumultu; missa enim matutina finita in choro Templi, ipse incepit. Nullum habuit aut exposuit catechismum, quem sibi esse Scripturam dixit. In concionibus passim a dogmatibus abstrusioribus prudenter abstinuit, et ad vitam moresque omnia direxit, de Praedestinatione, peccato originali, et inputatione justitiae Christi, parum locutus. Insinuavit vero sese Hubertus hac ratione in multorum animos, inprimis Magistratui placuit, qui, nondum plene reformatus, hac ratione reformationis Genevensis progressus sisti posse arbitratus est. Sustulit vero magistratus postea in ejus gratiam imagines, et ipse habitum Missaticum deposuit.

§. CCLXXXIV. *Altera* quoque reformationis, sic proprie dictae, forma circa idem tempus, sed paulo post, instituta est. In horreo primum concionati, qui eo missi erant, dein, cum locus, prae multitudine reformatorum, indies crescentium, nimis esset angustus, Templum Minorum occuparunt, et dein a Magistratu inpetrarunt, ablatis imaginibus. Primus autem eorum ordinarius Pastor fuit Wernerdus Helmichius, a. 1579. inauguratus, cui eodem anno adjunctus est Nicolaus Sopingius, et a. 1580. Hermannus Modet: de quo supra egi. Quae duplex reformationis forma mox lites produxit inter Reformatos et Duifhusium, non hujus, sed illorum,

 tolerantiam

tolerantiam nondum edoctorum, culpa. Petierunt primum ab ipso uniformitatem, dein, votorum non facti compotes, in Ecclesiam ejus, uti solent Zelotae, tanquam libertinam, declamarunt. Cum vero infans ab obstetrice, more Papistico baptizatus, ab ipso denuo non fuerit tinctus, ministri cum eo propterea expostularunt, ipse se exemplo Zipporae, filium circumcidentis, defendit: unus pastorum ipsi regessit, *hoc est argumentum Papisticum, Papista adhuc es animo.* Quo importuno dicto commotus Duifhuisius, ulterius ea de re noluit colloqui: sed rogatus porro, num *librum Bezae de haereticidio non legisset?* in haec verba erupit, *haeccine si vestra sit mens, anima tunc mea extra consilium vestrum maneat, nec cum talibus cupio communionem.* Qua ratione omnis conciliatio evanuit, et Ecclesia post ipsum adhuc aliquandiu duravit; ipsique, a. 1581. defuncto, successit Hermannus Elconius, Harlinganus.

§. CCLXXXV. Johanne Austriaco mortuo, in ejus locum a Rege in Belgium missus Alexander Farnesius, Dux Parmensis, res Regis collapsas feliciter instauravit, qua vi, qua blanditiis, multas civitates Regi reddendo. Quo factum est, ut Artesii, Hannonii, aliique nonnulli Galliae Belgicae populi, simul exacerbati, quod Belgae aliqui, in primis Gandavenses, in Ecclesiasticos Pontificios petulantius grassarentur, sese a reliquis Belgis separarunt, et ad Ducem Parmensem defecerunt a. 1579. Unde orta est Belgii divisio, in Hispanos et Foederatos. Provinciae enim nonnullae, ut Gelriae et Zutphaniae, Hollandiae et Zelandiae, Ultrajecti et Omlandiae Frisicae, ut tempestatem, sibi inminentem, averterent, arctiore vinculo, prudente admodum consilio, et ope Principis Auriaci, sese conjunxerunt per celebratissimam illam *unionem Ultrajectinam*, a loco, ubi inita est, ita dictam. Cujus praecipuae leges fuerunt. 1. Ditiones et Provincias foederatas nulla de causa esse divellendas 2. Sibi invicem quovis modo contra hostes libertatis esse auxilio futuras. 3. Supremum fore Senatum ex foederatarum Provinciarum Legatis,

Legatis, qui necessaria ad foederis observantiam curarent. 4. Interea singularum Provinciarum jura et privilegia integra, et singulis relicta, forent. Circa religionem 5. in specie singulis integrum foret statuere, quod e re visum fuerit, absque tamen, ut aliquis vexaretur aut, in eum inquireretur, religionis causa. Quem articulum egregie exposuit Grotius in Apolog. cap. II. Invitatae porro ad hoc foedus sunt Provinciae aliae, licet religioni Pontificiae addictae, cum expressa declaratione, singulis provinciis salvam fore religionem; et haud multum post accesserunt Brabanti, et Flandrorum pars magna. Attamèn, quod multum nocuit, pacifice non potuerunt in religionis negotio versari, nec pacificationis leges observarunt. Inpetus etiam in sacra Pontificia et Clerum factum est per varia loca, Pontificiorum quoque animi sunt exulcerati, qui Reformatos non cessarunt irritare, et, ubi poterant, oppugnare. Quae longum foret, et ab instituto alienum, enarrare.

§. CCLXXXVI. Inter ipsos Reformatos hoc et sequente anno acria viguerunt dissidia, in primis de regimine et disciplina Eccles. cum *Coolhasio*, Leidensi Pastore. Quam histoream prolixe narrant Utenbogart, Brandt, Trigland; sed ex diversis monumentis, priores ex duabus apologiis Coolhasii, et scripto justificatorio, a Magistratu Leidensi edito, Trigland vero ex historica narratione, a Synodo Hollandiae a. 1582. confecta. Conferenda vero sunt haec monumenta, si quis adcuratam rei velit notitiam, quam paucis tantum exhibebo. Semina discordiae inter Casparum Koolhasium, et Petrum Cornelium, utrumque Pastorem Leidensem, anno 1578. jam erant jacta, cum Petrus Casparo inobedientiam consistoriorum inputaret, et Casparus Petro, quod externa magis curaret quam interna. Sed prima initia, secundum Coolhasii narrationem, fuerunt, quod Magistratus voluerit, ut Presbyteri et Diaconi scripto, officii eorum partes continenti, et a Presbyterio adprobato, subscriberent, promitterentque, se ea ratione in munere versaturos: quod quidem

reformatos in locis superatis male admodum tractavit. Praeterea regiones, Comiti Rennebergio subjectas, arte sibi acquirere conatus est, infelici successu in Frisia, feliciore Groningae, Comite, contra fidem datam, et juramento confirmatam, ad Hispanos deficiente, et urbem tradente. Quod, sicut Principem valde a Pontificiis abalienavit, ita ut in posterum iis diffiderit, ita Reformatos vehementius irritavit, eo etiam usque, ut in sacra Pontificia variis in locis fuerit saevitum tumultuose, iisque religionis exercitium interdictum. Praeterea eousque Majestatem prostituit Rex Hispaniae, ut capitis Auriaci devotio fuerit nomine Regis publicata, 25000 aureis capiti ejus inpositis. Quando Princeps luculentam, et magnanimo Principe dignam, defensionem suam, ab Ordinibus adprobatam, et ope Petri Villerii, Galli, conscriptam, cum publico communicavit. Villerius, teste Grotio in Annal. l. III., *subactum rebus forensibus ingenium ad religionem docendam, et hinc ad intima Arausionensis consilia transtulerat.* Vir praeterea fuit in re religionis moderatus, judicans ex vero, multas dissensiones auxilio charitatis, veri signi Christiani hominis, finiri posse. Vid. Epist. selectae centur. II*da.*

§. CCLXXXIX. Anno sequente 1581. Ordines Belgii, Hispanorum armis valde pressi, et a Matthia nihil opis exspectantes, sese ad Franciscum Valesium Alenchonium Ducem, fratrem Regis Galliarum, contulerunt, eique harum regionum Principatum, salvam integramque libertatem quoad privilegia et religionem pacti, detulerunt. Quo facto, Ordines foederati, alium jam nacti Dominum, Regis Hispaniae, ejusque successorum, publico edicto jus et inperium in Belgium abrogarunt. Qui finis est Hispanorum in celebrioribus Belgii provinciis inperii. Secuta est nova juramenti forma, qua Regi fidem et obedientiam renunciant, et Ordinibus promittunt. Quod tamen omnibus, partim metu, partim conscientia, motis, non aeque placuit. Recepit praeterea Auriacus munus et dignitatem supremi Gubernatoris

Hollan-

violare, sed consistoriorum dominium tantum inpugnare, et bonos, non factiosos, velle Ministros, consistoria vero nimium sibi adrogare inperium. Defendit etiam jus suum circa Pastorum, Seniorum, et Diaconorum electionem, et depositionem, ut et adsidendi in consistoriis. Duplicem praeterea suam apologiam publicavit Coolhasius a. 1580., in quarum altera historiam quoque dedit dissensionis suae cum Luca Hespe, cooperario suo, cujus thesis erat, satis paradoxa, neminem, nisi earundem secum opinionum, a se ad S. coenam esse admittendum: a qua alienus erat Coolhasius, professus, se adsumere velle ad fraternitatem etiam eos, qui de baptismo infantum, praesentia Christi in S. coena, et praedestinatione, cum Ecclesia reformata idem non sentiebant, coenam porro dandam baptizatis, vitae modo probae, ad proprium examen. Tandem, post varia colloquia, lites, mediantibus quatuor Politicis, et totidem Ecclesiasticis, ope Ysbrandi Balck, Pastoris Antverpiensis, compositae sunt, partibus litigantibus in haec quatuor capita consentientibus. 1. ut Petrus Cornelius et Coolhasius culpam, in his litibus commissam, confiterentur coram Ecclesia. 2. personarum Ecclesiasticarum electio recepto more fieret; ita tamen, ut major numerus Magistratui proponeretur adprobandus. 3. ex Politicis adessent consistoriis, absque ut votum habeant, et secretum in rebus Ecclesiasticis revelent. 4. denique, ut Coolhasius se ad fidei suae, in libris expressae, rationem, coram classe et Synodo dandam, praeberet paratum, sesеque earum judicio submitteret. Quae ipsi postea acciderunt suo loco narrabo. Hic subjungo, Pastores, nomine Ecclesiae, postea edidisse refutationem *justificationis* Leidensis, in qua, inter alia, contendere ausi sunt, *nullam aliam, ac suam, religionem esse tolerandam a Magistratu.*

§. CCLXXXVIII. Anno 1580. res indies factae sunt turbulentiores, et Reformatis periculosiores, quod tamen Pontificiis per Hollandiam, et alias Provincias, male cessit. Princeps Parmensis arma victricia per varia circumtulit loca, et

menti fide eadem; salvo gradus scientiae discrimine, de infidelium et non baptizatorum infantibus, a Christo, et foedere gratiae, alienis, de ineptitudine hominis, ex Adamo orta, ad bonum, et ad gratiam adoptandam, denique de operibus bonis gentilium Deo non placentibus, quia ex fide non sunt. Posterioris generis fuerunt de examine communicantium, a Pastore instituendo, de communicantibus majore jure membris Christi, quam non communicantibus, de ordine ab Ecclesia instituto observando, de Magistratus ad eum sanciendum obligatione, denique de nemine ad communionem Ecclesiae admittendo, nisi qui articulos fidei in Confessione Belgica non verbis tantum, sed et vero eorum sensu, adsumit. Quibus thesibus cum Coolhasius, post varias cum Synodo collationes, subscripsisset, Synodus ejus libros declaravit noxios, et cum magna Ecclesiarum offensione editos, quoad pravos fidei errores, et contemtum Ordinis Ecclesiastici, voluitque, ut ipse illud agnosceret, culpam fateretur, et veniam a Synodo deprecaretur. Sed, Coolhasio nihil erronei in libris suis esse contendente, Synodum quoque pro illegitimo et partiali judice habente, adeoque se decreto ejus subjicere recusante, caussa ad Ordines Hollandiae est delata, et denuo coram quatuor eorum deputatis discussa, Pastoribus ad id delegatis cum Coolhasio agentibus, sed in ejus damnum. Adprobata enim sunt acta Synodi, et potestas data cum ipso secundum leges Ecclesiae agendi. Secuta dein est ejus excommunicatio a. 1582., a Synodo Harlemensi, dissentiente tamen classe Hagana et Goudana, ac sententia publice praelecta est, quam exhibet Trigland. Caussa damnationis datur, quod Coolhasius, se per omnia idem cum Ecclesia non sentire declaraverit, licet se publicum praeconem gesserit in Ecclesia, et articulis supra memoratis subscripserit. Magistratus tamen ipsi pensionem reliquit donec biennio post aliam vitae et familiae sustentandae invenerit viam. Ceterum singulare est, Coolhasium in collatione Hagiense subinde dixisse, sibi praedestinationem Cal-

viniana

viniamam difplicere, et Paftores regeffiffe tantum, ea de re nec fuiffe, nec effe, quaeftionem.

§. CCXCI. Praeter hanc caufam Coolhafianam, ordo Ecclefiarum, antea in Synodo Nationali Dordracena ftabilitus, denuo ad examen revocatus, et hic illic mutatus, eft. Sanciti itaque funt 169 Canones, additis 101 refponfis ad peculiaria quaefita. Exftant in *ordine* Ecclefiarum, ex editione Rev. Nauta. Synodi acta cum Ordinibus Hollandiae adprobanda et confirmanda offerebantur, feriam contra ea remonftrantiam fcripfit Magiftratus Leidenfis, et Ordinibus obtulit a. 1582., qua Synodum pro legitima non agnofcit, ejufque dominii in confcientias civium, et inperii in Magiftratus adfectationem, in fpecie librorum prohibitionem, et adprobationem, fevere reprehendit, et pro libertate confcientiae, fimul religionis, quae feparari nequeunt, clare et palam pronunciat. Exftat apud Utenbogard., et plenius in Oper. Coornhert. tom. II., fed ei aliam oppofuerunt Ecclefiae Hollandiae, apud Trigland., quae cum fuperiore eft conferenda. Addatur, Ecclefias in hac Synodo fuiffe in Claffes et Synodos divifas.

§. CCXCII. Habita praeterea hoc anno funt, mortuo Duifhufio, ut hiftoriam Ecclefiae S. Jacobi Ultrajecti pertexam, duo Reformatorum colloquia cum duobus ejus Ecclefiae Paftoribus, Hermanno Elkonio, et Erafmo Piftore, alias *de Bakker*, coram nonnullis e Magiftratu. Narrant autem Politici, eos rogatos, num ab utraque parte aliquid in doctrina haberent carpendum, refpondiffe *nihil*, fed capita fidei, Catechifmo fummatim comprehenfa, fe utrinque adprobare: verum Ecclefiaftici, Helmichius et Modet, referunt, folum Elkonium id effe confeffum; quod notitiae colloquii, libro Ecclefiae infertae, adverfatur. Vid. Utenbogard et Brand. Reformati itaque confenfum fuum cum hac Ecclefia, refpectu doctrinae, non obftante diffenfu circa praedeftinationem, declararunt, fed de Ordine Ecclefiaftico convenire non potuerunt. Requifivit quidem Clerus Reforma-

tus a Magistratu, ut ejus autoritate ordo iste in Ecclesiam Jacobaeam inveheretur, sed recusavit Magistratus, ab omni coactione alienus. Crevit ab eo tempore haec Ecclesia, nonnullis in Provincia Ultrajectina se ei adjungentibus, et pastores ejus, discriminis ergo, adpellati sunt *Praecones Veteris et Novi Testamenti*, quia, sola Script. S. contenti, se hominum scriptis et decretis obstringere noluerunt.

§. CCXCIII. Cum a. 1582. parum, praeter Synodum Harlemensem, de quo modi egi, sit peractum, quod ad nostrum pertinet institutum, uno verbo monuisse suffecerit, quod Grotius in Annal. c. V, et VI. refert, propositam fuisse quaestionem, cum nonnulli ministri Ecclesiae circa dogma de Praedestinatione difficultatem haberent, quousque tales tolerandi sint? Sed nihil fuisse conclusum. Ingens quidem Provinciis inminuit a. 1583. tempestas per conspirationem Francisci Valesii Alenchonii, qui, praetextu religionis Pontificiae tuendae, et denuo introducendae, Provincias sibi conatus est subjicere; quae Antverpiae erupit, quam ope Gallorum occupare instituit, quorum signum erat clamor, *vivat missa*, et aliis in civitatibus tentata est; sed brevi patefacta in vanum cecidit. Ipse Alenchonius, cum pudore coactus discedere in Galliam, brevi post mortuus est. Propositum vero est, quod propius ad scopum nostrum facit, in conventu nonnullarum Provinciarum Medioburgi, articulum foederis Ultrajectini *decimum tertium* de religione aliquatenus esse inmutandum. Decrevit Hollandia in hanc formam, *solius religionis reformatae exercitium esse tuendum, sine ullius alius exercitio publico in Provinciis foederatis; ita tamen, ut, salva religione sua, aliae Provinciae et urbes in hoc foedus recipi possent.* Sed in conventu Generalium Ordinum nihil hac de re conclusum est, reliquis Provinciis decretum non proferentibus. Instituta quoque hoc anno est collatio Hagae Comitum inter Coornhertium et Saraviam Professorem Theologiae de nonnullis rebus in Catechismo mutandis; sed quae, ob nimiam disputantium et scribentium prolixitatem,

lixitatem, eſt abrupta, licet eam ſummo ſtudio perſequi voluerit Coornhertus, ſedibus propterea Hagam tranſlatis. Occaſionem colloquii praebuit Coornhertus, libello edito, cui titulus *examen Catechiſmi*, Ordinibus Hollandiae dedicato, in quo, Catechiſmum erroribus et vitiis ſcatere, inſtituit demonſtrare, in ſpecie, quod *homo natura* dicatur *inclinatus ad Deum et proximum odio habendum*, quodque *inpoſſibile* declaretur, *ut homo legem amoris Dei et proximi perfecte obſervet.* Exſtat inter Coornhertii opera tom. III.

§. CCXCIV. Annus 1584. valde fuit funeſtus Foederatis, non tantum, quod Primorum multi, de Belgarum ſalute diſperantes, Regis gratiam aucupari, et civitates Duci Parmenſi tradere, coeperint, adeo ut firmiſſimae Brabantiae et Flandriae urbes in ejus venerint manus. Fuit inter eos proditores Carolus Croius, Cimaci Princeps, vir levis et varius, nunc Pontificius, nunc Reformatus, hoc tempore Flandriae praefectus, qui Brugam et Dammum Parmenſi dedidit, quod idem cum Gandavae tentaret Imbiſius ſcelus capite luit, annos 70 natus; non hoc tantum, inquam, ſed in primis, quod Princeps Auriacus tragica morte fuerit Delphis e vivis abreptus per nefarium ſicarium, auro a Rege corruptum, Balthaſarum Gerardum Burgundum, qui, ſeſe reformatum ſimulans, et in ipſam Principis aulam inſinuans, eum ſtatim ac a menſa ſurrexerat, in ipſis ejus aedibus, duabus excuſſis glandibus interfecit. Ultimae et piae optimi Principis voces fuerunt, fide digniſſimis teſtibus adfirmatae, *miſerere, mi Deus? mei et adflicti populi?* quae de animo ejus, Patriae vere amantis, teſtantur. Miſeram quidem ſubiit mortem ſicarius, ſed damnum irreparabile non eſt eo reſarcitum. Facinus vero, quam deteſtabile etiam, ſummis eſt a Pontificiis ornatum laudibus, ipſe autor martyribus adſcriptus, ſed omnibus aliis, melioris animi, abominationi fuit. Sic cecidit Pater Patriae, inſtauroter Reipublicae liberae, Princeps ſapiens, prudens, contra pericula inſurgens, verae religionis amans, at moderatus, et ab

omni coactione alienus. Sed, quod singulare est, occidit hic sol cum culmen fere adtigerat, rebus in Hollandia jam eo adductis, ut *Comes* Hollandiae esset creandus, Amstelodamo adhuc et Gouda renitentibus, et Principe e medio sublato, antequam effectui potuerat dari.

§. CCXCV. *Petrus Dathenus* cum et ipse in illiciti ac proditorii commercii cum hostibus hoc anno inciderit suspicionem, ejus fata hac occasione breviter pertexam. Imbisio semper fidus, urbis Gandavensis quoque molitus deditionem, eoque nomine factus suspectus, carceri mancipatus est Ultrajecti, sed, defensione ejus audita post aliquod tempus dimissus, secessit in Holsatiam, sumto nomine Petri Montani, seseque arte Medica sustentavit. Fama dein mutatae religionis sparsa, tres ad eum a Synodo Belgarum missi sunt ministri, coram quibus mutatam religionem serio pernegavit; rogatus vero, quare itaque praecipuo Davidis Georgii adsecla tam familiariter uteretur, lapsum se in nonnullis, sed Dei beneficio resipuisse, fassus est. Post anni moram Dantiscum profectus ab Anabaptistis, tanquam turbo, et autor perditae Flandriae, accusatus, et urbe a Magistratu excedere jussus, se contulit Elbingam, Prussiae Polonicae urbem; ubi ad finem vitae tranquille non tantum, sed et honorifice, Medicum agens, degit, adeo etiam, ut, jussu Magistratus, imago in ejus honorem e lapide fuerit erecta. Mortuus autem est in ea fide, quam semper professus est, a. 1590.

§. CCXCVI. Incidunt etiam in hunc annum nonnullae lites, paucis memorandae, a quibus ne adflictissima quidem tempora absterrere potuerunt Ecclesiasticos. Erupit enim hoc anno controversia, quae jam a biennio gliscere coeperat, inter duos Pastores Hagae, Johannem Petersonium, et Hieronymum Hortensium, filium Lamberti Hortensii, viri praeclari. Accusatus fuit Hortensius a Collega, tanquam a sana fide devians, quod regenerationis necessitatem, et bonorum operum studium, nimium urserit, et extenderit, contendens, neminem, in peccatis perseverantem, regni Dei posse

posse consortem fieri, nequidem, si vel in coelum transferretur, frui posse beatitate, magis quam coecum visu. Qua ratione rem exprimit epistola aliqua, inter populum sparsa, apud Bor: nec plura de eo constant. Finita quidem lis est per utriusque dimissionem a munere, Hagae obeundo, sed alibi illud receperunt, Petersonius in Ecclesia Castrici, et Hortensius Wassenariae, pro legitimis semper agniti pastoribus. Sed graviores grassatae sunt lites Medenblici, in Hollandia septentrionali, inter Magistratum et Consistorium, de eligendo Pastore. Pastore enim a Sonio Duce constituto, et a Magistratu repudiato, et interim a Leidensibus petito, ac inpetrato, Petro Hakkio, hic a Sonoio male est tractatus, et a Consistorio rejectus. Quae fusius enarrasse tanti non est, Vid. Utenbogard. Prodiit etiam hoc anno libellus Erasmi Johannis, antea Rectoris Scholarum Antverpiae, in quo contendit autor, Antichristum, cujus characterem in dominio et persecutione situm cum plerisque aliis ignoravit, jam mox post tempora Apostolorum coepisse, adeoque libros Patrum et Concilia jam tunc multis scatere erroribus Antichristianicis, iisque non esse fidendum, sed reformationem ad normam Apostolicam esse instituendam, solius Scripturae autoritate admissa. Quae opinio ipsi male cessit, acsi animo haberet, omnia in dubium vocare, et novam condere sectam. Inquisitum itaque eo nomine est in ipsum, sed tanta prudentia et moderatione, ut facile effugerit. Vid. Brand.

§. CCXCVII. Anno 1585. Provinciae Belgii ad summas sunt redactae angustias, plurimis civitatibus Brabantiae et Flandriae a Duce Parmensi occupatis. Inter quas, praeter Bruxellas, fuit Antverpia, propterea notanda, quod Marnixius Aldegondius, urbis Gubernator, sese, secundum Ordinum vota, censitus fuerit male gessisse, adeo ut Belgio fuerit expulsus, et, licet postea redierit in Zelandiam, nunquam ad negotia admissus. Nimium scilicet adulatus fuerat Duci Parmensi, arma causa religionis etiam inproba-

verat, actum cum Provinciis esse putaverat, adeoque cum hostibus esse, sed salva religione, paciscendum: ut narrat Brand. Ceterum captae Antverpiae, cum plurimis aliis Brabantiae et Flandriae urbibus, occasione, plures illarum regionum incolae, in Belgium foederatum secedentes, illud quidem incolarum numero auxerunt, sed lasciviam et luxum simul in illud induxerunt. De quo legi meretur Joh. Taffinus de *poenitentia* l. II. cap. 13. Sed hi ipsi ferventioris indolis, et ardentiore propterea zelo religionis acti, praecipui fuerunt, qui Rempublicam foederatam tempore Leicestrii turbarunt; de quo mox. Sed negligendum non est, in mediis hisce bellorum fluctibus, Academiam *Franequeranam*, per orbem tantopere celebrem factam, fuisse hoc anno erectam, et die 25. Julii initiatam, inauguratis tunc Professoribus, Sibrando Lubberto, Martino Lydio, et Henrico Antonide in Theologicis, Henrico Schotano in Jure et Petro Tiara, Johanne Drusio et Lollio Adama in Litteris et Philosophicis. Habuit vero Orationem in Auditorio Theologico, *de consilio institutae Academiae*, Abelus Frankena, Frisiae Ordinum Deputatus, cui respondit Antonides. Vid. Winsemius l. XIX.

§. CCXCVIII. Summum Provinciarum foederatarum inperium, postquam frustra esset Regi Galliae Henrico III. a. 1585. oblatum, Deo rem ita in salutem Reipublicae dirigente contra Belgarum vota, Elizabetha, Regina Angliae, ad quam se contulerunt, eatenus a. 1586. in eorum vota concessit, ut, pignore accepto, et libertatis ac religionis juribus concessis, copias miserit auxiliares cum Duce Roberto Dudley, Comite Leicestrio; qui Praefecturam totius Belgii, qualis Caroli fuerat tempore, cum omni terra marique regimine, a Belgis, quorum ingens in ipsum erat favor, magna ejus exspectatio, mox accepit. Attamen perspicacioris ingenii Vir, simul Patriae libertatis, Ecclesiae aeque ac Civitatis respectu, studiosissimus, adeo etiam, ut morte violenta, capite per carnificem truncatus, ad quam a Judicibus extraordinariis

traordinariis sub specie justitiae fuit condemnatus, saec. sequente, ut constat, tanquam ejus Martyr, gloriose studium illud suum obsignaverit, *Johannes Oldebarneveldus*, Pensionarius tunc Roterodamensis, et paulo post Advocatus Generalis Hollandiae, rem eo prudenter, et felicibus auspiciis, adduxit, ut *Mauritius*, Princeps Auriacus, magni Gulielmi filius, juvenis licet septendecim annorum, peculiaris fuerit electus Gubernator Hollandiae et Zelandiae, antequam Leicestrius ad hos oras adpulit. Quod Patriae deprehensum est saluti: licet enim egregius virtutum simulator animos populi, in primis Praeconum euangelii, zelo, sed sine scientia, flagrantium, specie religionis, cujus studium prae se ferebat, sibi initio devinxerit, attamen brevi ambitiosum, et dominatus cupidum, aperuit animum, multasque, per factionem, inde ortam, *Leicestrianam*, produxit turbas, donec ab Elisabetha fuerit revocatus, et Belgium foederatum huic periculo ereptum. Quae notabilis historia ad nostrum non pertinet forum.

§. CCXCIX. Ad Ecclesiastica, quae nos tractamus, in primis referenda est Synodus *Hagiensis*, jussu et autoritate Leicestrii, ad Pastorum instantias, convocata, et, Praeside Jacobo Kemedontio, Ecclesiaste Medioburgensi, habita a. 1586. Conditi in ea sunt septuaginta novem canones, apud Bor, et in libello Nautae, saepe citato, a superioribus Synodis parum diversi; qui, finita Synodo, a Leicestrio, cui oblati erant, confirmati sunt, susque deque habita Ordinum autoritate, ac ad omnes missi sunt Provincias. Hollandia eos quidem pro tempore, urgente Leicestrio, adsumsit, sed salva autoritate et privilegiis Magistratuum. Multis interea haec Leicestrii adrogata potestas displicuit, nec omnes canones ad multorum fuerunt palatum, in specie, de electione Pastorum, Seniorum, et Diaconorum, sola Ecclesiastica, Magistratui tantum, cum notabili restrictione, relicta adprobatione, nec non de subscriptione confessionis, sub poena suspensionis, et depositionis, ab omnibus facienda Pastoribus,

toribus, porro de concionibus Catecheticis, de Politicis in consistoria non admittendis, etc. Agnoscitur nihilominus, soli competere Magistratui publicarum precum et jejuniorum dies praescribere.

§. CCC. Ecclesiae Jacobeae Ultrajecti subjectio, paulo ante autoritate Leicestrii facta, in hac Synodo sancita, et terminata, quoque est. Leicestrio mox in principio sui Ultrajectum adventus declarante, se, ut lites illae finirentur, velle, Pastores ab utraque parte in unum coacti sunt. Quando duo Pastores Ecclesiae S. Jacobi, Elkonius et Roeienburg, metu depositionis, se ad unionem cum Consistorio permoveri passi sunt, invita licet Ecclesia illa, octodecim compositis articulis, ad Synodum instantem observandis. Sed tertius Pastor Tako Sibrands renuit, eo magis, quod inter articulos esset, qui confessionem Belgicam jubebat adsumendam: cui se opposuit ob dogma Praedestinationis. Concessum quidem ei est, suadente Utenbogardo, tunc Pastore Ultrajectino, ut confessioni Tigurinae convenienter loqueretur, sed Tako, aliam etiam praetendens litem, se munere abdicavit, et alio discessit. Divisio quidem Ecclesiarum hac ratione est sublata Ultrajecti, sed varia inde sunt orta mala. Pastores enim Provinciae Ultrajectinae, qui Synodi decretis obedire recusabant, non tantum depositi sunt, sed et e Rectoribus primoribus praecipui urbe ejecti, quod partim Ecclesiae Jacobeae essent addicti, partim Pontificii, licet fidei non suspectae.

§. CCCI. Ventilata praeterea in hac Synodo est controversia Hermanni Herbertsii; quam historiam, praeter Utenbogardum et Triglandum, qui hic prolixus est, enarravit P. Bor. lib. XXI. Dabo brevem ejus intellectum. *Hermannus Herberts*, ortu Grollanus, ex Monacho factus Pastor Augustanae Confessionis, denique Reformatus, primum Pastor Vesaliae Inferioris, dein ab a. 1570. Dordracenus, et tandem Goudanus fuit. Dordraci cum versaretur, se, per sermones et colloquia, reddidit opinionum perversarum suspec-

tum,

tum, de personali inhabitatione Christi in credentibus, de perfecta sanctitate in hac vita, nec non consensus cum *David Joris*, quia librum ejus inprimi curaverat, ut putabatur, et postea deprehensum est. Accessit, ipsum Catecheticas conciones subinde omisisse, sumto textu Scripturae S. Motibus hinc Dordraci exortis, urbe jussus a Magistratu excedere, Goudae est ad munus Ministerii receptus a. 1582. Interea ipse semper protestatus est, sibi nunquam in animo fuisse a recepta doctrina, Confessione et Catechismo comprehensa, discedere. Sed Goudae novi sunt suscitati motus, per librum ab ipso ad Rom. II: 28. editum, quo veteres revocasse visus est errores, sed et addidisse novos, receptae doctrinae adversos, ut de justificatione peccatoris, perfectione Christiana, Littera et Spiritu, electione aeterna, et similibus. Causa, post multas velitationes et colloquia, ad hanc Synodum delata, et colloquio inter Ipsum et Saraviam, Professorem Leidensem, instituto, lis hac ratione, ut videbatur, sopita est. Hermannus publica declaratione confessus est, se 1. Confessionem Belgicam admittere, tantum articulum decimum sextum de Praedestinatione intelligere *absque ut Deus autor peccati et exitii habeatur.* 2. Catechismum quoque adprobare, sed responsum 114*tum*, vel *sanctissimos parvum tantum initium obedientiae habere in hac vita*, capere relate ad perfectissimam in coelo sanctitatem. 3. Praedestinationem quidem adsumere, sed ita, ut damnati pereant, *quia gratiam Dei et Christi et omnia ejus beneficia, per propriam culpam et pravam voluntatem, non recipiunt.* 4. Socios muneris, seu Ministros Euangelii, nimis acerbe in libro suo perstrinxisse. 5. Promittere denique, se difficiliora et obscuriora in libro suo, quae offensionem pepererunt, clarius expliciturum, et, conscio Saravia, aliisque Ecclesiasticis, publicaturum. Sed lis non tantum hac ratione, ut videbatur, finita non est, sed vehementius erupit, quod Ecclesiastici in locorum libri sui explicatione non acquieverint. Cum autem Magistratus Goudanus eum tueretur, utpote ab elo-

quentia et vita commendatiffimum, et injuria vexatum, commercio cum Synodo interrupto, res ad fummum effet adducta, et excommunicationis fententia in ipfum effet pronuncianda, concordia, Ordinum Hollandiae interventu, per Utenbogardum et Landsbergium, ad eam caufam deputatos, facta eft tolerabilioribus conditionibus, a. 1592. Quae hiftoria eft prolixior, quam ut hic narretur: nec etiam meretur. Illud tantum obfervo, confeffionis ejus fcriptum, cui conciliatio ejus cum Ecclefia innixa eft, verfari circa Scripturam S., juftificationem, perfectionem Sanctorum, perfonam Chrifti, communionem Credentium cum eo, liberum arbitrium, facramenta, et electionem Miniftrorum. Exftat apud Trigland. Ceterum, lite hac ratione compofita, femper a Catecheticis concionibus abftinuit in pofterum, licet Paftorem egerit.

§. CCCII. Caufa denique Coolhafiana in hac Synodo refufcitata, fimul terminata, eft. Cum a fcribendo pro defenfione caufae fuae contra Ecclefiaftas non defifteret Coolhafius, conniventibus Ordinibus, et Magiftratu Lugdunenfi, inpetrarunt a Leiceftrio Ecclefiaftae, ut coram Synodo vocatus comparuerit. Sed, Deputatorum Leiceftrii interceffione, convenit inter ipfos, et concordia eft refarcita, Coolhafio declarante, fe Confeffionem, tanquam Scripturae S. confentaneam, adfumere, addita reftrictione articuli *decimi fexti* de Praedeftinatione, falvari fcilicet homines per Dei gratiam, fed perire fua culpa, abfque ut Deus fit ejus caufa, libri denique ejus abolerentur. Sed ipfe, in *brevi* ejus rei *narratione*, tradit, conceffam fibi fuiffe admiffionem ad munus Paftoris, verum, cum ejus notificatio in Ecclefia fiebat, fex menfium fpatium fuiffe additum, quo elapfo demum illud ei liceret: praeterea refert, fibi moleftiam fuiffe creatam, cum duodecim menfibus poft prima vice concionaretur, quia fine claffis et confiftorii permiffione fecerat.

§. CCCIII. Hac finita Synodo, multae exortae funt turbae, motufque inteftini, non tantum, quod in canonum ejus fanctionem,

tionem, quam Leicestrius urgebat, detrectaverint Ordines consentire, sed in primis multa ab eo facta sint illegitima. Qui motus facti sunt graviores per ejus discessum in Angliam. Rumore sparso, Ipsum de Ordinibus minus contentum hinc abiisse, plurimi Concionatores in Ordines propterea coeperunt pro concione declamare, ansamque dederunt seditionis, Ecclesiastici muneris, ejusque veri conspectus et scopi, plane obliti. Praeterea a. 1587. Daventria et Zutphaniensi arce, ab Anglis, qui, invitis Ordinibus, praeerant, prodita, et Hispanis tradita, *Senatus* Ordinum, cui gubernationem durante absentia sua commiserat Leicestrius, res ordinare adgressus, manus sibi ab eo sensit alio scripto occulto, quod reliquerat, ligatas. Quae ingens ejus fuit perfidia, et hypocrisis. Ordines itaque, ut Patriae succurrerent, voluerunt, ut Mauritius autoritate sua uteretur, et Ducibus ac Militiae inperaret, qui ipsi, et Ordinibus, sacramentum de novo dicerent. Quod cum Sonoius, militiae in Hollandia septentrionali Praefectus, recusaret, ab ipsis nonnullis Pastoribus defensus est, et laudatus. Audaciores adhuc facti in Frisia Pastores, Synodo plus una vice habita, legationem e corpore suo decreverunt in Angliam, ad Elisabetham ulterius excitandam, utque ei supremum, sine ulla restrictione, dominium offerrent, de rerum Civilium, et Ecclesiarum, statu deplorando multum conquesti. Quam temeritatem Gubernator Frisiae Gulielmus Ludovicus pro merito aegerrime tulit, et Pastores severe perstrinxit, quod turbulento ducerentur zelo, seseque rebus inmiscerent politicis. Quo eodem fine Angliam petiit Hermannus Modet, autoritate Ecclesiarum Provinciae Ultrajectinae munitus, utque Leicestrii urgeret reditum. Simili fere modo Amstelodami quoque pro ipso zelarunt. Ferventiores autem inter Pastores fuerunt extranei, qui ex Flandria et Brabantia in has oras venerant, de quibus ex vero dixit Martinus Lydius, Professor Franequeranus; *isti homines nobis Flandriam et Brabantiam perdiderunt, et, nisi prudens Magistratus providerit, perdent quoque nobis*

Hollandiam et Zelandiam. Ceterum Paftores praecipue inflammavit, et in devia rapuit, finiftra, et male concepta, opinio de Ordinibus Provinciarum, acfi rem religionis minus curarent, et ad animum revocarent, miniftros quoque Euangelii illiberaliter tractarent, pacto cum Regina et Leiceftrio non ftarent, imo Pontificiis clam faverent.

§. CCCIV. Convocarunt quidem Ordines Hollandiae nonnullos Miniftros Hagam, cum Profeffore Saravia, et praejudicia ipfis eripere conati funt, ac faniorem infpirare mentem, aliqua etiam ipfis conceffferunt et promiferunt, fed parvo cum fucceffu, maxime cum Leiceftrius factionem, zelumque illum inportunum, foveret per litteras. Cui, in Belgium reduci, gratulati non tantum funt Ordinum Deputati cum Mauritio, fed et Ecclefiarum delegati, qui ipfi, tanquam unico Ecclefiarum defenfori, inmenfum, fed turpiter, adulati funt. Quando motus ubique facti funt majores, duae etiam ortae factiones, una Leiceftriana, altera Ordinum; quibus Refpublica vehementer fuit turbata, adeo ut ad perniciem vifa fuerit vergere. Quibus enarrandis inmorari non licet. Ordines vero aegre admodum habuit, quod Regina animum ad pacem cum Hifpanis adplicaret, et Leiceftrius fupremum dominium, contra Provinciarum privilegia, adfectaret. Leiceftriana vero factio Ordinibus inputabat, quod Regina caufam Provinciarum ageret remiffius, indignabatur etiam, ex pura puta fufpicione, quod caufa religionis proderetur. Quid autem Leiceftriana factio intenderit, vel fola confpiratio contra Magiftratum Leidae, et in aliis urbibus, in omnium ingeffit oculos, non plane claufos. Cujus caufa aliqui confpirationis autores capite plexi funt: ipfe Saravia, fufpectus quoque factus, aufugit in Angliam. Quo rerum ftatu Leiceftrius, domum revocatus, rempublicam quidem in periculofo reliquit ftatu, fed retinendae libertatis fimul praebuit occafionem.

§. CCCV. Anno 1588. cum Regina a pacificatione cum Hifpanis, quorum formidabilem claffem, dictam, jactanter admodum,

admodum, *invincibilem*, quae paulo post se ostentavit, metueret, non esset aliena, nec in causa religionis aliud postularet, in favorem Provinciarum, ac libertatem conscientiae, sine publico religionis exercitio, Mauritius Ecclesiastas consuluit, num ea conditione pax fieri posset; sed responsum tulit, libertatem conscientiae sine publico religionis exercitio plane non sufficere, quod verum et utilissimum effatum utinam constanter re ipsa, respectu aliarum sectarum, praestitissent! sed et simul praeterea postulandum solius religionis reformatae publicum exercitium. Quod idem Legati Pastorum, consentiente Mauritio, et scientibus Ordinibus, missi, Sopingius, Helmichius, Ultrajectini Pastores, et Daniel de Dieu Flissingae Pastor, apud Reginam urserunt; inter alia multa dictitantes, *conscientiam non posse carere publico religionis exercitio, et filios Dei didicisse corde credi ad justitiam, et ore confessionem edi ad salutem, adeoque Deum dimidia sui parte se colere non posse.* Ignorare itaque, vel inprobare, se significarunt discrimen inter libertatem conscientiae et religionis, quod, mutatis temporibus, postea saepe ab ipsis reformatis est adprobatum, ut constat. Interea res Ultrajectinae aliam induerunt faciem, novo Magistratu deposito, et vetere restituto, jussu Ordinum. Ipse Modet, tanquam turbo ejiciendus, animo mutato, sese tempori adcommodavit, et ad Ordinum placita se composuit. Petierunt dein reliquiae Ecclesiae Jacobeae instaurationem suae Ecclesiae; quod quidem concessum non est, attamen occasionem dedit, omnes Pastores Ultrajecti dimittendi, et novos creandi, imo novum Ecclesiarum ordinem constituendi, magis consentaneum ordini Jacobeo, ita ut, nomine mutato, res fere manserit eadem. Quod factum est a. 1589. et 1590. Exstant articuli in *ordine Ecclesiarum* Rev. Nautae, et summam exhibet Brand.

§. CCCVI. Viguit quoque hoc tempore acris inter Lipsium et Coornhertum disputatio de *dominio* conscientiae, et religionis, nec non de *haereticidio*, digna, quae hic memoretur. Lipsius, Professor hist. Lugdunensis, libros *Politico-*

rum luci a. 1589. exposuerat, in quibus, unam religionem in civitate esse oportere, contenderat, ut et, eos, qui in eam publice peccant, de Deo, et recepta religione, male sententes, et alios abducentes, supremo supplicio esse adficiendos. Cui opinioni sese opposuit Coornhert, cum per Epistolas ad ipsum, et alios, tum per librum contra *haereticidium* et *dominium conscientiarum*. Quem quidem Magistratui Leidensi dedicavit, sed qui, ut Lipsio placeret, publice declaravit, sibi eam dedicationem displicere, absque tamen ut librum ipsum damnaverit, aut prohibuerit. Cui Lipsius libello de *una religione contra Collocutorem* respondit, sed quem Coornhertus refutavit, scripta *apologia*, quae post ejus obitum adspexit lucem. Defunctus enim est a. 1590. Ceterum, ut illud subjungam, varia de hoc viro exstant judicia. Ecclesiastae eum tanquam libertinum, et nullius religionis hominem, depingunt, et vehementer in eum declamant, ansa inde temere adrepta, cum quod nulli sectae nomen dederit, tum Ecclesiam reformatam damnaverit, et pastores non pro legitimis Christianae Ecclesiae habuerit, in primis propter dominium in conscientias, et persecutionem dissentientium, de quo supra exposui. Sed alii ipsum ab ingenio et virtute laudant. Pontanus, in *historia Amstelodami*, quoque pietatis et veritatis studium in ipso celebrat. Hadrianus Junius in *Batavia* sua ipsum *divini ingenii* virum adpellat. Nec negari potest, ipsum studio libertatis flagrasse totum, persecutionis qualiscunque in re religionis strenuum oppugnatorem, omniumque persecutorum flagellum. Opera ejus exstant tribus voluminibus in Fol. lingua Belgica, cujus fuit eximius cultor. Singularia fuerunt ejus verba, cum a morte proximus esset, quibus inter alia dixit, *animam suam, a Deo acceptam, ejus quoque esse, adeo ut eam rejicere vel servare posset, prout ipsi placet: nihil habeo, quod querar, sed Deus bonus est, nec nisi bonum agit, adeoque bonam suam creaturam non perdet.* Quibus verbis absolutam praedestinationem ex puro Dei arbitrio, cui semper contradixerat, non est, ut multi sunt opinati,

nati, confessus, sed modesti et submissi animi signa tantum dedit: nec aliud intendit, ac Deo potestatem esse illud faciendi, si virtutum suarum nullam haberet rationem, Deum itaque tale quid, virtutum suarum causa, non facere.

§. CCCVII. Anno 1540., ut Ecclesiastica persequar, duae sunt habitae Synodi Provinciales, altera Dordraci, altera Hornae, nostra dignae adtentione: *prior*, quod Classis, ut adpellatur, Synodalis ab Ordinibus Hollandiae petierit Deputatos, ab ipsis mittendos, qui Synodo intersint, Ordines quoque id fecerint, sed simul declaraverint, sibi displicere, Synodum sine sua autoritate esse conscriptam, concedere nunc quidem, sed postulare, ut ante Ordinum petatur consensus, et ne aliquid tractetur politici, aut ad ordinem generalem Ecclesiarum pertinens. Respondit Synodus quoque, sibi aegre esse, quod suspecta habeatur Synodus de rebus politicis tractandis, simul petere, ut ratio ejus suspicionis sibi detur, nec Synodorum celebratio intercipiatur. *Altera* Synodus Hornana memorabilis est propter *Andream Volkhartum*, Pastorem in Valkoege, qui circa dogma Praedestinationis, cum annexis, dissentiebat cum reliquis. Classis enim Alkmariensis, inter alia, per modum gravaminis, proposuit, sitne tolerandus, an censurae subjiciendus? Acta Synodi simpliciter habent, ipsum Synodo satisfecisse, quod ad quaesita recte responderit, seseque confessioni Belgicae, cui subscripserat, adhaerere velle declaraverit. Sed Clemens Martinius, et Cornelius Minertius, duo pastores, alter Hornanus, alter in Berkhout, qui praesentes adfuerunt, publico edito scripto declararunt, conclusum fuisse, ut ipse non amplius ratione Praedestinationis lacesseretur, ipsique permitteretur sequi dulcem explicationem Henrici Bullingeri. Vid. Brand.

§. CCCVIII. Ordo Ecclesiarum a. 1582., Principis et Ordinum nomine decretus, sed nece Principis, et tristi Brabantiae ac Flandriae statu, non perfectus, ad examen revocatus est a. 1591., ad instantias Barneveldi, ut stabilis esset

 Eccle-

Ecclesiarum norma ac forma, omnesque praeciderentur lites, ab octo Politicis, et totidem Ecclesiasticis, et, nonnullis in eo mutatis, ordo, ex 41 articulis constans, communi consensu est constitutus; quem Ordines Hollandiae adprobarunt, et confirmarunt, simul ad Urbes et Ecclesias miserunt, ut communi consensu publicaretur. Sed displicuit partim Ecclesiasticis, qui, Magistratum sibi nimium adrogare, iisque nimium tribui, censuerunt, imo nonnulli, octo illos Pastores, qui calculo suo adprobaverant, censurae esse subjiciendos, voluerunt, partim etiam civitatibus quinque, Delphis, Goudae, Roterodamo, Hornae et Medenblico, nimium imminutam fuisse Magistratus autoritatem, putantibus: quo factum est, ut publicatio fuerit omissa. Reperiuntur illi canones in libello Nautae, saepe citato. Ceterum in hoc ordine partes dantur Magistratui in electione et censura Pastorum, et novi eos eligendi forma introducitur, facienda ab octo Viris, partim Politicis, partim Ecclesiasticis: de quo vid. Grotius in apolog. cap. VII. Synodus Provincialis decernitur quotannis celebranda die Mercurii post Pentecosten, sine peculiari convocatione, cui Ordinum Deputati adessent, sed ordo Ecclesiasticus, a modo memorato diversus, hoc etiam anno formatus et publicatus est ab Ordinibus Zelandiae, reservata sibi ampliatione, restrictione, et inmutatione. Qui in Synodo Medioburgensi, Praeside Daniele de Dieu, autoritate Ordinum convocata, constitutus est, et ab Ordinibus sancitus, reliquis Provinciis prorsus praetermissis. Continet octoginta articulos, in citato libello recensitos, inter quos nonnulli sunt valde memorabiles. Denique huic quoque anno ortum suum debet utilissimum illud *seminarium*, seu collegium, Ordinum Leidae, in usum triginta sex studiosorum; quippe hoc anno decretum, et sequente a. 1592. erectum; nemini non notum.

§. CCCIX. Cum Jesuitae Emmericam in Clivia a Senatu admissi, indeque hisce terris inminentes, utpote Reformatorum hostes acerrimi, Papis ac Hispanis devotissimi, fuerint

opera

opera Mauritii Principis inde a. 1592. expulsi: de statu religionis in Clivia, Reipublicae Belgii adeo vicina, quaedam dicenda sunt. Vid. Reid Annal. lib. IX. Dux Cliviae Wilhelmus, animum ad Ducatus sui reformationem, secundum normam Augustanae confessionis, adeo studiose adplicuit a. 1558., ut communionem sub utraque specie non tantum receperit, sed et scriptum reformationis, per Ducatum suum publicandum, composuerit, frustra eum deterrente Cassandro, de quo supra suo loco egi. Sed, comitiis Augustanis a. 1566. intervenientibus, in fumum non tantum abiit totum hoc negotium, sed et ipse Dux sanam perdidit mentem. Cum enim in Comitiis, prae metu Caesaris, Missae contra conscientiam interesset, mente captus est, et eo in statu ad hunc annum usque vixit, summa regiminis penes Magistratum residente: alter enim filius erat furibundus, alter minorennis: ex quo reformata ibi destructa est religio, et Jesuitae, ut dixi, introducti sunt.

§. CCCX. Publicavit etiam hoc ipso anno nonnulla scripta, bonae frugis plena, sed quae nimis methodum scholasticam redolent, lectu non indigna, *Gellius Snecanus*, pastor Snecae in Frisia, in quibus conditionatam Praedestinationem palam defendit, absque ut ipsi aliqua propterea injuria a Politicis aut Ecclesiasticis sit adlata, licet Beza ipsos in Snecanum adnisus sit incitare, teste ejus epistola ad Utenbogardum, apud Brand. Voluit tamen videri Snecanus, suam opinionem ab ea Calvini et Bezae haud longe discedere; conquestus etiam est de novo et insolito casu, inquisitionem redolente, quo librum suum clam typis mandare coactus fuit. Erat jam tunc senex, nec amplius in munere, ob peritiam tamen et pietatem reverendus. Conf. etiam quae de ipso profert Trigland. Narrat quidem Utenbogard, Snecanum dixisse, in principio reformationis in Frisia fuisse novitatis nota inustum, aliter loqui et docere de Praedestinatione, ac Ipse fecerat, sed illud ab aliis in dubium vocatur, ut apud Trigland videre est.

§. CCCXI. Vitam cum morte mutavit a. 1593. *Petrus de Loyseleur* Eques, Dominus in Villiers et Westhoven, alia *Villerius*, minister aulicus, et consiliarius Principis Auriac Gulielmi, et dein Mauritii, vir eruditus et sapiens, omni bus, vel ob solam moderationem in Theologicis, cognoscen dus, et plurimi faciendus. Insulis natus, primum Curia Parisiensis advocatus, dein, persecutione compulsus, Gene vam se contulit, et Theologiae operam dedit. Ecclesiae Rothomagi (Rouaen) cum aliquandiu inserviisset, laniena Parisiensi, ad eam urbem delata, deterritus, alio secessit, et a Principe Condaeo in Angliam a. 1575. ad Reginam ablegatus, ut Reformatorum causam ei commendaret, lectiones aliquot habuit Theologicas: quando in aulam Principis Auriaci adscitus, diu concionatus est Antverpiae: tandem post tragicam ejus mortem, in aula Mauritii versatus e Scripsit, praeter apologiam Auriaci contra Regis profe tionem, supra memoratam, et Epistolam Ecclesiarum Be carum ad autores *formulae concordiae*, egregium et uti mum illum librum, *de ratione ineundae concordiae inter clesias Reformatas*, qui a. 1579. prodiit sub nomine D. A. *Doctoris Aulici* h. e. Cephae κυδωνος (Petri Veller Quo in libro optima sese offerunt consilia moderatiora pacifica, circa quaestiones de *praesentia Christi in S. coen et de Praedestinatione.*

§. CCCXII. Huic viro merito adjungo eruditum, pacificum, Theologum, *Franciscum Junium*, hoc tempore mi sum ad schisma Ultrajectinum e medio tollendum, ut re qua ad ejus vitam pertinentia pertexam. Limburgi non plius tutus, quousque ejus historiam perduxi, Heidelberga petiit, et ab Electore Frederico III. bene exceptus est ac Ecclesiae Scoenoviensi inserviit; unde, propter pestem ibi grassantem, ab Electore abstractus, et in castra ad Prin cipem Auriacum est missus a. 1568., eique a concionibus fuit. Deinde in Palatinatum reversus ei operam suam ad dixit. Ecclesiam vero Scoenoviensem docuit ad a. 1573.

qu

quo anno, ex autoritate Electoris, Heidelbergam adiit, ut cum Immanuele Tremellio Vetus Test. verteret. Inde Neostathmi ab a. 1578. docuit, et porro in Ecclesia Otterburgensi, quando Neostathatmum vocatus est ad Professionem, indeque Heidelbergam; ubi Academiae operam dedit. Tandem per Ducem Bullonium ad Regem Henricum IV. in Galliam adductus, et ejus mandato ad negotium aliquod Regis nomine expediendum, in Germaniam reversus, eo perfecto, ad Regem rediturus per Hollandiam, retentus est Lugduni Batavorum, ubi, consensu Legati Regis, mansit, et ad Professionem Theologicam admotus est. Quo in munere vitae reliquum exegit, a. 1602. e peste mortuus. Opera ejus, quae magni facio, et magis, quam solet, legi velim, exstant duobus vol. in Fol.

§. CCCXIII. Ingentes viguerunt Ultrajecti dissensiones, partim ob Pastores dimissos, et alios substitutos a Magistratu, partim ob ordinem Ecclesiasticum, ejusdem autoritate introductum, ut supra narravi, nimis, ut putabant, iniquum Ecclesiasticis. Quicquid vero ad unionem resarciendam, et illos, qui consistorio adhaerebant, ad subjectionem permovendos, ab Ordinibus Hollandiae, et Principe Auriaco, adhibebatur, cum frustra caderet, Junius, tandem ad hoc negotium vocatus, fundamenta jecit concordiae, ab Utenbogardo adjutus, conventione aliqua facta; ordini quidem illi Ecclesiastico congrua, cui Magistratus nondum renunciare volebat, sed qui promisit, se in posterum illud facturum esse, uno nihilominus articulo adjecto, de electione ministrorum, secundum normam ordinis ab Hollandiae Ordinibus, ut supra notavi, constituti, facienda. Praeterea ut illis, quibus praesentes Pastores displicebant, satisfieret, duo alii, suasu Junii, sunt additi, e Palatinatu vocati, Johannes Ursinus, et Henricus Conchardus. Scripsit et dein Junius cum Epistolam ad Magistratum, ut eum ad ordinem illum Ecclesiasticum mutandum excitaret, tum egregium libellum pacis ad cives, qui cum praesentibus Pastoribus nondum

communicabant. Qua lite durante, nova cum uno Pastorum *Gerardo Blokhoven* orta est a. 1594. Accusatus cum esset a Ludimagistro, quod dixisset, fidem sine operibus nihil valere, nec cum tali fide conjunctam esse inputationem justitiae Christi, reliqui Pastores alia adjunxerunt minus sana capita, quorum eum suspectum habebant, circa Scripturam S., praedestinationem, satisfactionem, peccatum originale, liberum arbitrium, et perfectionem sanctorum in hac vita. Sed pax tandem, post varias collationes, Junii quoque intercessionem, sine effectu, inita est ad confessionem aliquam a Blokhoven datam, quam exhibet Bor, in qua de praedestinatione, et amore Dei erga omnes, nec non sufficientia mortis Christi pro omnibus, paulo modestius loquitur.

§. CCCXIV. Graves insuper lites in Hollandia septentrionali exercuerunt Ecclesiastas cum Cornelio Wiggerts Hornano, et Takone Sibrandz Medenblici, Pastoribus. Cum priore agitatam controversiam prolixe narrat Utenbogard, sed multo fusius Trigland; brevem dedisse summam suffecerit. *Cornelius Wiggerts*, suspectus doctrinae, a recepta diversae, factus, quod in formulis baptismi, et publicarum precum ante concionem, quaedam solitus esset inmutare, a Synodo Edamensi a. 1592. vocatus, ut rationem fidei redderet, et cum Synodo conferret, id non nisi scripto voluit. Traditae itaque ipsi sunt septem quaestiones, ad quas scripto respondit. Exstat Epistola ejus ad Nord Hollandicae Synodi classes, inter Epistolas Eruditorum Remonstrantium. Versatae fuerunt quaestiones circa peccatum originale, ejusque effecta in infantibus, et reliquias in sanctis. Liquet autem mihi ex responsis ejus, ipsum statuisse 1. sicut genus humanum in Adamo, et cum eo, lapsum est, ita foedere gratiae, cum Adamo erecto, idem genus comprehensum fuisse, modo leges foederis non violent homines; adeoque simpliciter et absolute dici non posse, peccatum Adami ad privationem imaginis Dei, et condemnationem, inputari

posteris,

posteris, nisi foedere illo gratiae sua culpa exciderint. 2. reliquias corruptionis in sanctis non adferre reatum damnationis, virtute foederis gratiae. 3. Foederatos Dei generare liberos in eodem foedere et statu gratiae. 4. Reliquias autem illas in sanctis non esse tales, ut orare debeant, *purga corda nostra ab omni malitia et contumacia*; quia regeneratio superat, et subigit, peccatum. Quibus responsis ad Synodum delatis, concordia alio modo, ad confessionem Cornelii, inita est, qua declaravit, se 1. peccatum admittere originale. 2. liberos infidelium excludere foedere gratiae. 3. preces *purga nos a malitia* etc. recipere, modo addere liceat, *quanquam in Christo sanctificati simus*, *sanctifica nos magis*, adeoque verba precum respectu progressus in sanctitate capiantur. 4. Preces quoque pro infantibus in baptismo adsumere, modo addere liceat, *sicut Christo insertus est infans*, *ut magis inseratur*. 5. Primae admonitionis verba ad Parentes in formula baptismi non repudiare, si addatur, *extra Christum*, vel *natura*.

§. CCCXV. Fuit haec pax infida, nec diuturna, quin a. 1593. adeo rupta, ut nunquam resarciri potuerit, sed in ejus excommunicationem, ac separationem ab Ecclesia, proruperit. Accusatus denuo errorum, in concionibus sparsorum, a nonnullis Consistorii senioribus coram Synodo Alcmariensi, et citatus comparere noluit, nec nisi scripto agere declaravit, quod Synodo displicuit, viam illam nimis longam judicanti: praeterea Synodum, tanquam illegitimum judicem, reprobavit, praecipue, quia adversa simul pars foret, petiit itaque, ut errores sui redarguantur ex Scriptura S. Pronunciata itaque est, satis temere, sententia condemnatoria ad excommunicationem, cum propter errores, tum propter contumaciam, et animum incorrigibilem. Magistratu vero Hornano sententiae exsecutionem inhibente, perrexit Cornelius in munere. Quo rerum statu, ut Synodus rem ad optatum finem facilius perduceret, a. 1594. Harlemi congregata, theses quasdam ex ejus scriptis excerpsit, additis

oppositionibus e Scriptura non solum, sed praecipue e confessione Belgica, et Catechismo, ut earum falsitas adpareret: ad quas scripto respondit Cornelius, misitque ad Synodum epistolam, quae meditationes comprehendit de *instauranda et emendanda reformatione*, inter Epistolas Eruditorum Remonstr. Inputati autem ei sunt in thesibus Synodi varii errores. 1. Adamum non perfectum, sed ad perfectionem consequendam, esse creatum. 2. inmortalitatem fuisse Adamo promissam; unde collegerunt, eam natura non habuisse ex opinione Cornelii, adeoque mortem esse sequelam naturae. 3. Praescientiam tantum in Deo, eamque esse ejus providentiam, respectu actionum rationalium. 4. Peccatum originale situm esse in cognitionis inperfectione, et delectatione mali; ergo non in totius naturae corruptione, qua ad omne malum inclinatus, et ad omne bonum ineptus, est homo. 5. Totum genus humanum in Adamo lapsum, sed et in ipso restituto restitutum esse per foedus gratiae cum ipso erectum, cujus virtute liberum, vel liberatum, omnes homines habent arbitrium credendi, et bonum faciendi. 6. Praedestinationem non esse absolutam, sed conditionatam, et ex Dei praescientia. 7 Vocationem gratiae et euangelii esse universalem. 8. Sanctos deficere posse, et gratia excidere.

§. CCCXVI. Synodus Harlemensis has theses, una cum actis Synodorum in hac causa, ad Ordines Hollandiae misit, eorumque inploravit auxilium, ad sententiae Synodalis exsecutionem. Sed dedit quoque Cornelius, cum collegis et Consistorio ipsi faventibus, remonstrantiam contra Synodum, inter Epistolas Erudit. Remonstr., qua declarat, quaestionem tantum esse de peccato originali, infantibus fidelium eadem ratione ac infidelium incumbente, et aliorum ex iis electione, aliorum reprobatione. Ordinum vero jussu variae collationes cum Cornelio frustra sunt institutae. Facultatis quoque Leidensis petitum est judicium, collatio denique inter Professores et Cornelium facta est: sed omnia sine successu.

cessu. Judicavit vero Facultas, Cornelium in capitibus de peccato originali, restitutione humani generis, electione, vocatione, libero arbitrio, bonis operibus, praedestinatione, et perseverantia, a veritate, seu recepta doctrina longius aberrare, quam ut tolerari possit. Decretum itaque ab Ordinibus est a. 1595., ut Cornelius secum deliberaret, et, durante deliberatione, vel a munere abstineat, si se dominanti doctrinae conformem non praestet, vel de erroribus illis sileat. Citatus quoque eam in finem Hagam se excusavit, et apologeticum misit scriptum, conquestus de violentia et tyrannide, nec non, secum ex Confessione et Catechismo, scriptis humanis, agi, denique quaestiones multiplicari, cum paucae sint, ad statum infantum et praedestinationem tantum pertinentes, quas cum Synodis habuit controversas. Addiderunt similem remonstrantiam duo alii Pastores Hornani, et aliqui e Consistorio. Professores vero *justificationem* judicii sui, quae apud Trigland exstat, publicarunt, et plures esse Cornelii errores arguerunt. Cum itaque variis Ordinum ad Cornelium legationibus res adcommodari non potuerit, ipse se a munere abdicavit a. 1596., ut Principi et Ordinibus obediret, attamen in coetu suo docendo in domo privata perrexit. Quod ipsum, quam aequum licet, inpedire quidem conata est Synodus Enchusana a. 1597, Ordinum quoque ope inplorata, et Edamensis a. 1598. Cornelius tamen eo permoveri non potuit, provocans ad libertatem conscientiae, in his regionibus stabilitam; nec, licet a Synodo propterea excommunicatus, a pio cessavit opere, sub Magistratus patrocinio: quod diu post adhuc continuavit.

§. CCCXVII. Actum praeterea est cum duobus aliis Pastoribus Hornanis, *Clemente Martino*, et *Cornelio Meinardi*, eorundem errorum suspectis, in Synodo Amstelodamensi a. 1595., et Hornana a. 1596. Sed, postquam Synodo satisfecissent, declarando, se ordini Ecclesiastico, et doctrinae Ecclesiae adsensum praebere, excepto, quod tam alte non possent, quam Calvinus et Beza, in doctrina praedestinationis sapere, qui-

bus tamen non cuperent contradicere, reconciliati sunt Synodo, et in munere suo relicti. Satisfecerunt quoque Synodo circa apologiam, ab ipsis editam, apud Brand, unde vera eorum opinio de statu infantum ex fidelibus Parentibus, in foedere gratiae quippe natorum, patet. Vid. Trigland.

§. CCCXVIII. Exercuit praeterea Ecclesiasticos alia concertatio, hoc ipso tempore, cum *Takone Sibrandi;* quam praeter Utenbog. et Trigland, enarrat quoque Bor l. XXXII. Postquam Tako, deserta Ecclesia Ultrajectina a. 1586., ut supra retuli, quia in unionem cum Presbyterio consentire nolebat, otiose aliquandiu degisset Alcmariae, vocatus est a Magistratu Medenblici, ad laudabile Ministrorum Alcmariae testimonium, ad munus Pastorale in urbe sua obeundum a. 1589. Cui vocationi cum sese Ecclesiastae, duplici de causa, opponerent, una, quod a Magistratu, nec secundum legitimos Ecclesiarum canones, esset electus, altera, quod sese ordini regiminis et disciplinae non praestaret conformem, seseque canonibus stabilitis non submittat; motus inter Magistratum Medenblicensem, qui ipsum tuebatur, et Classes ac Synodos, orti sunt multiplices, querelae quoque ad Ordines et Principem delatae, etiam de doctrina ejus minus sana, praecipue respectu praedestinationis, et quod confessioni Belgicae recusaret subscribere, nisi hac clausula, *quatenus verbo Dei congruit:* quantum crimen! Tako quoque remonstrantiam scripsit ad Ordines, in qua de adversariis suis, eorumque dominio, acerbas fundit querelas, seseque ab omnibus sinistris accusationibus strenue liberat. Quo eodem tenore acerrimas quoque litteras ad Ordines misit Magistratus, quibus ambitio, et irrequietus Pastorum animus, vivis depingitur coloribus, simul declarat, se non permissurum, ut Tako ulteriore adficiatur molestia. Sopita tandem et haec lis est a. 1599., confessione Belgica cum Catechismo ab ipso recepta, et confessione edita: in qua Synodus, Alcmariae habita eo anno, acquievit, et Tako pro legitimo pastore agnitus est.

est. Tradit vero Utenbogard. in *vita sua*, confessionem Takonis fuisse adprobatam, non obstante diversitate opinionis de Praedestinatione: sed contradicit Trigland. Quod tanti non est habendum.

§. CCCXIX. Reliqua, ad historiam Ecclesiarum Belgii hoc seculo pertinentia, levidensi perstringam brachio. Admovit Dominus Aldegondius, decreto Ordinum Generalium munitus, manum novae versioni Bibliorum, non ex versionibus, sicut praecedentes erant, sed linguis originalibus, Lugdunum eo fini secedens a. 1594. Edidit autem hic ipse vir, quod mirari subit, a persecutionibus per propriam experientiam nondum absterritus, librum contra *Enthusiastas*; in quo Antichristianum illud haereticidium defendit. Eodem anno, quod majoris longe est, Groninga, quae a. 1580. Rennebergii Comitis proditione Hispanis restituta erat, et religionis libertatem perdiderat, Hispanis est erepta a Principe Auriaco, et foederi Belgarum addita: quando reformatio ibi plenissime est stabilita: quod tunc primum publicatum est voce Mensonis Altingi. Vid. de reformatione Groningana brevis historia Cl. Isinck ad calcem *hist. Eccles. Palatin.* Altingi. Fecerunt quoque a. 1597. apud Ordines instantias Ecclesiastae ad Synodum Nationalem celebrandam, consensum etiam Ordinum Hollandiae inpetrarunt, sub conditione, ut confessio Belgica revideretur, et via ad unionem Ecclesiarum, convenienter Verbo Dei, conservandam inveniretur. Sed res non processit, reliquis Provinciis in Synodum Nationalem non consentientibus. Tandem notatu non est indignum, ultimum persecutionis fidei causa editum esse hoc ipso anno exemplum Bruxellis, in provinciis Belgii Pontificiis. Duae sorores ibi cum ancilla habitantes in carcerem, ob haeresios suspicionem, sunt conjectae, sorores, metu perculsae, et insciitiam suam confessae, veniam inpetrarunt, sed ancilla, longe constantior, viva est defossa. Quod martyrium omnium ora resolvit, et eo est notabilius, quod nemo religionis causa ab eo tempore in illis Provinciis le-

gatur morte punitus: sileo, quippe parvi momenti, inter Reformatos et Anabaptistas fuisse litigatum, in qua confessione fuerit ancilla mortua.

§. CCCXX. Historia Ecclesiarum Belgii foederati hujus seculi una serie narrata, pertexenda quidem foret belli cum Hispanis narratio, donec induciae factae sint a. 1609., quibus Provinciae foederatae pro libera, et sui juris republica declaratae sunt: sed, cum ad nostrum non pertineat institutum, nec praeter praelia, urbium expugnationes, et felices celebratissimi Ducis Mauritii Principis successus, multum contineat, hic finio, et ad reformationem Angliae, ac Scotiae, quippe ad eandem fere formam factam, et perfectam, summatim tradendam, duce in primis *Burneto*, qui eam fuse et exacte descripsit, pergo.

REFORMATIO ANGLIAE.

§. CCCXXI. Statum Ecclesiae in Anglia ad animum revocanti multa quidem sese offerunt, quae publicam reformationem reddere videbantur fere inpossibilem, sed et alia, quae probabilem. Obstabant cum studia Theologiae Scholasticae, et Juris Canonici, sub Henrico VIII. renovata, et maxime vigentia, tum Henrici VIII., et Cardinalis Volsei, a cujus nutu omnia pendebant, ingenium, Papis, et religioni Pontificiae, addictissimum: cujus indicium Henricus inter alia dedit in libro contra Lutherum de *septem sacramentis*, sive, ut multi opinantur, a Fisschero Roffensi, sive ab ipso Rege, quod mavult Burnetus, nec inprobabile videri poterit, cum Rex in Theologia Scholastica non fuerit hospes, Thomae Aquinatis quoque adorator, scripto: quo *Defensoris fidei* titulum meruit a Leone X. Cui cum Lutherus, ut suo loco notavi, nimis acerbe, et Majestati injuriose, respondisset, adeo etiam ut Epistolae ad Regem praemiserit, *M. Lutherus gratia Dei Ecclesiastes Witteberg. Henrico* VIII. *ira Dei Regi* etc., animus Regis a doctrina Refor-

Reformata factus est alienior. Accesserunt violentae oppugnationes novae doctrinae, quae magis magisque proserpebat, ad eam exterminandam, quae primis octodecim regni ejus annis, maxime contra Wiclefitas et Lollardos, institutae sunt, uti, exemplis productis, probat Burnetus l. I. et II. Vid. etiam Joh. Foxus in *rerum in Ecclesia gestarum commentario.* Sed non deerant quoque rationes, quae reformationis spem faciebant. Praeterquam quod Wiclefitarum et Lollardorum reliquiae per totum regnum erant sparsae, nec legibus, nec suppliciis, exstirpandae, 1. mores Clericorum et Monachorum erant corruptissimi, et in omnium incurrebant oculos. Quo etiam facit, quod bullam a Papa acceperit Cardinalis Volsei contra dominantia Cleri vitia, cum potestate in ea inquirendi. Unde odium quoque Cleri in ipsum exarsit, sed et simul contemtus Cleri ortus est. Quod idem respectu monasteriorum, tunc corruptissimorum, factum est: quae etiam jussu Regis coeperunt per Wolsei aboleri, ante reformationis initia. 2. Inmunitas Clericorum a judiciis secularium, quae jam Henrici VII. tempore restricta motus dederat, multorum animos in eos exacerbavit. 3. Multum vero huc contulerunt Protestantium libri, e Germania in Angliam translati, et Anglice versi, qui omnium animos ferierunt. In primis versio Novi Test. a Gulielmo Tindalo, Lutheranae doctrinae studioso, qui a nonnullis Anglorum *Apostolus* nuncupatus est, et postea in Belgio Antverpiae, opera Theologorum Lovaniensium, captus, et Bruxellis lata sententia, Vilfordiae, in Brabantia, combustus est, adornata, brevibus additis notis. Quae, Antverpiae inpressa, in Angliam missa est a. 1526., licet mox cum aliis Tindali libris bene multis prohibita.

§. CCCXXII. Quo rerum statu singularis accidit casus, qui domum Regis vehementer turbavit a. 1527., unde occasio et initium reformationis repeti solet. Catharina, filia Ferdinandi, Regis Hispaniae, et soror uxoris Philippi, Ducis Burgundiae, amita Caroli V., nupserat primum Arthuro,

huro, filio Henrici VII., Duci Walliae, dein, eo brevi mortuo, fratri ejus Henrico VIII., dispensante Julio II. Papa, ut Regi Galliae aegre faceret. Quas nuptias initio quidem adprobaverat Henricus VII., maxime ut dotem ejus, et reditus viduae debitos, conservaret, sed dein sub vitae finem inprobavit, dubiam successionem e conjugio cum vidua fratris, Levit. XVIII. prohibito, de quo Papa non poterat dispensare, praevidens. Duxit tamen eam Henricus VIII, Patre defuncto, a. 1509. exque ea, praeter unum alterumve filium non vitalem, procreavit solam Mariam. Sed, postquam tranquille cum ea ad a. 1527. usque vixerat, scrupulum, jam ante conceptum, de illegitimo conjugio publice significavit: qui non erat fictus, ut Annam duceret, sed verus, ut videbitur, cum quod jam antea se ab uxore separaverat, tum serio semper illud professus fuerit Rex. *Mihi*, inquit Foxus lib. infra citato, p. 144., autor aequalis, *in candidiorem partem omnia aestimanti, id potius suspicari libeat, factum esse religionis nonnullius causa, quae scrupulum animo Regis injecerat, de inconcesso, ac illegitimo, cum uxore illa, quae prius fratris fuisset, conjugio.* Interea negari nequit, Annam jam tunc fuisse ab ipso amatam, eamque amores recusasse admittere, nisi nuptam. Accessit ratio quoque politica, quod vereretur, ne Maria, tanquam ex incestu nata, excluderetur successione, saltem multae inde nascerentur turbae. Cum vero Episcopi regni, excepto Fisschero, Episcopo Rochestriae, conjugium cum Catharina declarassent illegitimum, Regina sese opponeret, in Julii Papae dispensatione, et Episcoporum adprobatione ante facta, sese fundans, adeoque ad divortium flecti non posset, et res ad jurgium spectaret, ac motus intestinos, causa est ad Papam Clementem VII. delata a. 1527. Papa in magnas conjectus angustias, cum ab altera parte Julii dispensatio, quae salva Papali autoritate destrui non poterat, et Caroli V. metus, qui, amitam repudiari, ejusque prolem ex incestu natam declarari, non poterat pati, obstaret, ab altera vero favor Regis

Regis Angliae, sedi Papali devoti, nec non metus, ne, si recusaret divortium, reformatio vires acquireret, et Regnum Angliae a Papa abalienaretur, urgeret ad consensum: ad multiplices confugit artes, et Regi vario modo illusit, magna ei promittens. Campegius, Legatus Papae in Angliam missus, bullam quidem Regi ostendit, sed publicare noluit, et, Regem spe lactasse contentus, semper procrastinavit, donec tandem Papa causam ad se traxerit, potestate Legatis data revocata. Discessit itaque et re infecta Campegius, et Rex Romae renuit comparere. Quae prima est Regis inobedientia Papae praestita.

§. CCCXXIII. Tandem aliam, et longe breviorem, hanc litem terminandi viam aperuit Thomas Cranmerus, qui magna cum laude publice docebat Cantuariae, sed tunc, pestis causa, degebat Walthomi, ubi Rex pernoctabat. Ipse enim, cum duobus illustribus aulicis, Gardinero et Foxo, altero Secretario Status, altero Eleemosynario Regis, mensae adsidens, et sententiam hac de re rogatus dixit, sibi optimum videri, ut a Theologis et Universitatibus Europae peteretur judicium, num conjugium cum Catharina, vidua fratris, juri divino repugnaret, nec ne? de Divino enim jure Papa, omnium judicio, dispensare non poterat; adeo ut divortium, si divinitus esset interdictum conjugium, sponte sua sequi deberet. Quae litem finiendi via Regi, mox nunciata, adeo placuit, ut Cranmerus ab eo tempore fuerit in aulam receptus, et florente semper gratia Regis gavisus. Volsei vero brevi post munere Cancellariatus privatus, et muneris Legati Papae, sine speciali permissione Regis inpetrati et accepti, adeoque eo nomine contra acta, *Provisseurs* et *Praemunire* adpellari solita, nec non male administrati, accusatus, eam ignominiam, prae animi inbecillitate, fuit enim summo gradu ambitiosus, simul pecuniae et vindictae cupidissimus, ferre non valens, mortuus est a. 1530. et Thomas Morus ei est suffectus. Universitates vero et Theologi, ea de causa consulti, conjugium Henrici

esse illegitimum, et indispensabili legi Divinae contrarium, responderunt, adeoque dissolvendum. Lutherani damnarunt quidem conjugium, sed dissolvendum negarunt, nonnulli etiam alteram uxorem superiori esse adsociandam judicarunt, cum polygamia non sit illicita. Solus Bucerus leges matrimoniales Lev. XVIII. pro politicis, quae mutari possunt, non sine ratione habuit.

§. CCCXXIV. Rex hisce munitus judiciis, cum nihil a Papa inpetrare posset, cum Parlamento omnia communicavit a. 1530., et Clericorum potestas multum est inminuta, Annatis quoque sedi Papali solvendis abolitis. Duxit praeterea, sed secreto, a. 1532. Annam Boleniam, quae in gynecaeo Reginae versabatur, pulchram, simul inculpatae vitae foeminam, ut Burnetus contra Sanderi calumnias probat. Abolitae quoque sunt a. 1533., decreto Senatus adpellationes ad sedem Romanam, omnibus causis ab ipso Regno terminandis, posito fundamento, Regnum Angliae esse independens, adeoque Ecclesiastica aeque ac Politica a suprema Regni potestate dependere. Warhamo insuper, Archiepiscopo Cantuariensi, defuncto in eam sedem a Rege evectus est Cranmerus, a Papa adhuc confirmatus: quae ultimae fuerunt Bullae a Papa requisitae et missae. Factum vero illud adhuc est, quod neuter, nec Rex nec Papa, ad extremum hoc tempore venire voluerit. Solitum quidem juramentum sedi Papali facere adnuit, sed sub protestatione, se in conscientiae, aut Regis et Regni, detrimentum nolle obstrictum. Decisa porro ab utraque domo Parlamenti est quaestio de conjugio cum vidua fratris, estque vetitum et illegitimum declaratum. Secuta quoque est conjugii cum Catharina solennis abolitio, et novi cum Anna confirmatio, a Cranmero, tanquam Primate, in conventu Theologorum et Canonistarum, post novam causae discussionem, facta; et Anna peperit hoc eodem anno Elisabetham. Papa vero hoc irritum declaravit Cranmeri judicium, simul Regem esse excommunicandum, nisi ante statutum tempus resipiscat: sed uterque

uterque protestatus est, et ad Generale Concilium provocavit. Rem quidem eo adduxit Rex Galliae, ut Henricus sese Romae submitteret Papae, isque per Judices causam secundum Henrici vota terminaret: sed Papa, a Cardinalibus Imperialibus incitatus, sententiam praecipitanter contra Henricum pronunciavit, antequam Regis Legati cum submissione advenerint. Quo Rex exacerbatus, sese cum toto Regno subtraxit obedientiae Papali, et fundamenta jecit Reformationis. Quae per partes, secundum ordinem temporis, summatim narrabo.

§. CCCXXV. Varie jam a tribus, vel quatuor, annis disputatum fuerat de Potestate Papae, et nonnulla per varios gradus erant vel restricta vel abolita. 1. Potestas de jure Divino dispensandi denegata est Papis, et aliis quibuscunque 2. Leges, sub Eduardo III. et Richardo II., olim latae, renovari, et executioni dari coeperunt; inter quas erat Lex *praemunire*, a prima edicti voce sic dicta, contra eos, qui sententias excommunicationis, Bullas de translationibus beneficiorum, verbo, decreta contra Regis et Regni privilegia, a sede Papali recipiebant, aut transferebant. 3. Tributa sedi Papali pendenda, in specie Annatae, sunt damnata, nec non 4. Adpellationes ad eam sedem. 5. Inquisitum in genere est in originem et fundamentum potestatis Papalis, variique ea de materia emanarunt tractatus, quorum summa est, α. *Universalem* Paparum potestatem nec in Scriptura S., nec in antiqitis canonibus, aut legibus Politicis, esse fundatam, sed novum esse institutum, ex Paparum ambitione ortum. β. Regem esse in civitate et Ecclesia *supremum*, salvo tamen Clericorum jure in rebus religionis exercendis, relicta tantum Regi potestate, veram religionem conservandi, defendendi, et promovendi, etiam externam ordinandi formam. Secundum quam fere formam supremus Regni Senatus a. 1534., α. totum Regnum pronunciavit liberum a potestate Papali, omnibusque ejus effectis et consequentibus. β. Regem supremum Ecclesiae caput declaravit, et duos

summos in Regno Archiepiscopatus Cantuariensem et Eboracensem pro supremis sub Rege directoribus. *c.* Veram retinendam esse statuit religionem, articulis fidei comprehensam, et ab Ecclesia Catholica adsumtam, secundum normam Scripturae. *d.* Conjugium Regis cum Catharina esse nullum, et cum Anna legitimum, eique successionem Regni adligandam, addita formula juramenti, ad id confirmandum, ab omnibus praestandi. *e.* Mitigata quoque est lex de haereticis puniendis, decreto facto, neminem, nisi legitime accusatum, et convictum, esse damnandum, nec, nisi autoritate Regis accedente, puniendum, nec propter ullas Papales constitutiones; relicta tamen, secundum illius adhuc temporis infelicia praejudicia, poena mortis. *f.* Constituti denique sunt triginta duo Deputati, qui canones Ecclesiasticos, hucusque receptos, examinarent, et ex iis eligerent postea observandos: ita tamen, ut antiqui, modo Regis et Regni juribus non adversentur, tam diu obtinerent: quod Regis judicio relinqueretur. Sed hoc examen dilatum est, nec defuerunt, qui Regis autoritati judicarunt convenientius, nullos certos constitui canones, quibus ipse Rex subjectus foret.

§. CCCXXVI. Quibus peractis, singularis accidit casus, qui partim persecutionis Monachorum, et monasteriorum destructionis, occasionem praebuit, partim animos populi ab iis, et Pontificiis, magis abalienavit. Puella quaedam Monachalis, Elisabetha Burton, motus fingens ecstaticos, et cum Angelis, ac Maria Virgine, praetendens commercium, dissolutionem matrimonii cum Catharina divinitus inprobari, Regique propterea divinas inminere poenas, publice divulgavit, multosque decepit, ita ut res ad conspirationem in Regem spectare coeperit. Qua fraude detecta, et per ipsius puellae confessionem, qua, se a Monachis fuisse deceptam, et incitatam, declaravit, confirmata, multi sunt eorum, cum ipsa puella, supplicio adfecti. Accessit disputatio *de purgatorio*, hoc fere tempore ventilata, quae reformationem

nem inter populum valde promovit, occasione libelli, cui titulus. *libellus supplex pauperum*, quo hi sistuntur querelas effundentes, quod partim per Monachos, qui eleemosynas, sibi debitas, a populo et divitibus colligunt, et luxuriose vivunt, priventur necessariis vitae subsidiis, partim per doctrinam de purgatorio in sortem conjecti sint miserabilem, quia pecunia carent, qua e purgatorio possent eripi. Qui libellus avide fuit lectus, etiam ab ipso Henrico, cui ab Anna fuit oblatus, et commendatus. Refutavit quidem eum Thomas Morus, libello edito, sub titulo, *libellus supplex animorum in purgatorio*, in purgatorii patrocinium, sed et respondit Johannes Frith, et purgatorium solide refutavit. Fuit vero Frithus vir eruditione, pietate, et, quod notari meretur, moderatione Theologica, celebris, postea ob negatum purgatorium, et transsubstantiationem, martyrio coronatus a. 1533. De quo legi meretur Joh. Foxus, Anglus, in *rerum in Ecclesia gestarum commentario*, ad a. 1533., qui moderationem ejus valde laudat, simul *virtutem* illam dicit *tantum in Ecclesia Christi semper valuisse, ut sine hac caeterae dotes cognitionis, quantumvis magnae, haud ita multum prosint, obsint etiam nonnunquam.* Causam vero, quare mortuus sit, ipse, apud Foxum, tradit fuisse, *quod Theologis et Ecclesiae Proceribus in eo consentire non potuerit, statuendum esse pro fidei articulo necessario, ut sub condemnationis periculo credamus, substantiam panis et vini in corpus et sanguinem servatoris nostri Jesu Christi commutari, formis duntaxat non commutatis.*

§. CCCXXVII. Manus reformationi hoc tempore praebuit Anna Regina, quae Schaxtonem et Latimerum suos fecit eleemosynarios, eosque postea curavit creari Episcopos Salisburiensem et Worchestriensem: sed ei inprimis incubuerunt Cranmerus et Cromwellus, ille Archiepiscopus Cantuariensis, et hic vice regis in rebus Ecclesiasticis, ille laboriosus, et moderatus, simul eruditus, sed cujus singularis fuit opinio, totam sacrorum directionem competere Regi,

quam tamen nunquam conatus est in praxin reducere. Reformationi vero sese magno studio opposuerunt Dux Norfolciae, avunculus quidem, sed inimicus, Reginae, Gardinerus, amicus ejus, et Langland, qui Regis fuerat confessionarius, usi maxime rationibus politicis, quae reformationem dissuadebant, quaeque Regi visae sunt potiores, librum quoque suum contra Lutherum adhuc nimis amanti. Praestitit autem sese Rex ab hoc tempore per omnia *Caput* Ecclesiae, quin alterum Papam, de rebus fidei et religionis pro autoritate disponens, nihilque magis agens, quam ut novam suam dignitatem tueretur, modo etiam Antichristiano, seu tyrannico, in Pontificios aeque ac Reformatos multipliciter saeviens, licet illorum magis, quam horum adhaeserit religioni. Quod per annales paulo distinctius enarrabo.

§. CCCXXVIII. Severitatem Regis experti sunt a. 1535., praeter Monachos aliquos, qui legibus non tantum de successione Regni, et primatu Henrici, adversabantur, sed et ubique injuriosa ac seditiosa verba effutiebant, duo celeberrimi viri, *Fisscherus*, Episcopus Roffensis, et *Thomas Morus*, antea Cancellarius, vir eruditus et eloquens, autor *Utopiae*, nemini non notae, aliorumque operum, sed superstitiosus quoque progressu aetatis factus, et religionis Pontificiae defensor, ille octoginta jam, hic quinquaginta tres, annos natus, uterque divortii et primatus Henrici adversarius, et a juramento Regi praestando alienus, licet alia sub formula non recusarint jurare, se legi de successione obedituros, quia integrum erat Parlamento ea de re disponere. Adfecti sunt, in Regis et Regni dedecus, poena capitali, non quod in Primatum jurare noluerint, ut multi scripserunt, cum ante a. 1538. tale juramentum nulla lege fuerit requisitum, ut Burnetus docet l. III. Sed partim, quod sese primatui opposuerint publice, partim caussae Catharinae non destiterint patrocinari. Mortem pie et constanter subierunt, Regique magnam crearunt invidiam, simul terrorem

aliis

aliis incusserunt civibus, adeo etiam, ut aut in primatum jurarint, aut mentem occultarint. Utique nemo, ante rebellionem Provinciarum Lincolniae et Eboracensis, poena mortis propter crimen laesae Majestatis adfectus legitur.

§. CCCXXIX. Eodem hoc anno propositum sumsit Rex destruendi *monasteria*, multo justioribus, saltem nonnullis, motus rationibus. Regnabat enim per ea superstitio et corruptio, non ferenda amplius, divortii et primatus, utroque licet suscepto, manebant Monachi infensissimi hostes, et populum propterea ad seditionem concitabant. Indigebat praeterea pecunia cum ad bellum, quod cum Caesare praevidebat, tum in usum commercii et navigationis. Accessit etiam, ipsum novos erigere Episcopatus in animo habuisse, suasu in primis Cranmeri, qui reformationis progressum, cui nihil magis monasteriis obstabat, maxime intendebat. Instituta itaque hoc scopo monasteriorum visitatione, nonnulla sese sponte dederunt Regi, alia anno sequente 1536. decreto Parlamenti sunt abolita, nec tamen omnia: quod a. 1539. demum factum est. Quae abolitio, non Monachos tantum et Pontificios, sed et Nobiles, familias suas per monasteria, quibus liberi addici poterant, sustentantes, ac pauperes de eleemosynis monasteriorum viventes, valde exacerbavit, multis etiam Monachis ad paupertatem redactis; unde graves exorti sunt motus: ut postea patebit. Acciderunt a. 1536. nonnulla, quae reformationi haud parum nocuerunt. Praeterquam quod Rex a Protestantibus Germaniae fuerit factus alienior, nec ad foedus Smalcaldicum accedere voluerit, tum rationibus politicis a Gardinero, Legato ejus in Gallia, inductus, tum quod decreta sua videret ab iis minoris aestimari, quam volebat: tristissimum evenit Annae Reginae fatum, quo Regis non tantum excidit gratia, sed tanquam rea adulterii, licet indubiis testimoniis non convicta, semper etiam contra protestata, capite plexa est. Suspicionem vero praebuit speciosam, quod nimis hilaris, et adfabilis, indecora etiam nonnulla locuta fuerit, et egerit.

Accessit divortium ante mortem ejus factum, in eo fundatum, quod cum alio sponsalia fecisse ante nuptias cum Rege confessa fuerit, licet per omnia non fuerit verum. Secuta est exclusio Elisabethae, filiae ejus, a successione, quae in liberos ex sequente conjugio nascituros est translata. Abalienavit maxime Regis animum ab Anna amor ejus in *Johannam Seymer*, quam etiam mox uxorem duxit, quae quidem reformationi favit, sed minore studio Cranmerum tuita est, etiam brevi mortua, cum *Eduardum* peperisset.

§. CCCXXX. Viam quidem, sed minus planam et puram, ad reformationem straverunt *articuli* nonnulli fidei et religionis, hoc anno autoritate Regis confirmati, et publicati, quibus Clerici et Doctores sese conformes praebere debebant. Tenuerunt medium, fere sicut *Interim* Caroli V. in Germania, inter Reformatos et Pontificios, adeoque et profuerunt, et nocuerunt, reformationi. Bene ei cessit, quod Scriptura S., et antiqua Symbola, et quatuor prima Concilia generalia, missis traditionibus et decretalibus Paparum, fuerint pro unica norma et regula fidei declarata, duo tantum sacramenta recepta, purgatorium in dubium vocatum, imaginum et sanctorum cultus directus repudiatus, foederis gratiae conditiones rectius explicitae sint, meritis humanis rejectis. Sed in detrimentum reformationis, quod confessio auricularis, Transubstantiatio, indirectus imaginum cultus respectu objectorum, et sanctorum tanquam intercessorum invocatio, ut pro nobis orent, et cerimoniae aliquae, tanquam imagines rerum Spiritualium, retentae sint. Directius reformationem juvit, quod 1. Concilium, a Papa convocandum fuerit tanquam illegitimum, iniquum, et noxium, repudiatum. 2. Potestas Papalis denuo decreto Parlamenti in Anglia abolita. 3. Nova denique Scripturae S. versio, post eam Wiclefi et Tindali, decreta, instante maxime Anna, quae a. 1538. confecta est. Praecipui vero reformationis autores hoc tempore celebrantur *Cranmerus*, qui prudenter et solide, *Latimerus*, qui fervide, et cum simplicitate, et *Schaxton*,

ton, qui rustice, et superbe, in eo opere versatus est. Sed factionis Pontificiae caput inter Ecclesiasticos fuit *Lee*, Archiepiscopus Eboracensis. In publicum quoque pro causa Pontificia prodiit *Reginaldus Polus*, regio sanguine cretus, et primum Parisiis, dein Paduae, ubi studiis operam dedit, Papisticis inbutus principiis, qui librum de *Ecclesiastica unitate* composuit contra Henricum, quo ejus primatum, et Paparum rejectionem, acriter et injuriose perstrinxit, Regem cum Nebucadnezare comparans, et Caesarem, aliosque Principes, ad Regem bello oppugnandum excitans, a Tonstalo, Gardinero, et aliis refutatum. Ad reformationis commoda quoque refertur mandatum Regis, propria autoritate, Senatu Ecclesiastico non consulto, editum, contra nonnulla superstitionis capita, ut peregrinationum, cultus imaginum, et sanctorum, nec non contra peregrinae linguae in sacris necessitatem, aut utilitatem, denique ad Clericos arctiori disciplinae adstringendos, ut pie vivant, concionibus habendis incumbant, populum contra autoritatem Papalem moneant, et Primatum Henrici inculcent, nonnulla etiam festa tempore messis sunt abrogata. Postremo confirmata fuit Regis autoritas, per rebellionem Provinciae Lincolniae et Eboracensis, quae praetextu religionis in bellum intestinum eruperat, feliciter superatam et sopitam, quam Burnetus fuse enarrat lib. III.

§. CCCXXXI. Annus 1538., licet nonnulla, quae reformationi faverunt, in eo contigerint, fatalis maxime fuit purae reformationi sub Henrico. Multum lucrata est reformatio, quod 1. monasteria sese sponte tradiderint Regi, 2. incredibilis Clericorum, et Monachorum in primis, superstitio, circa imagines et reliquias, fuerit coram oculis populi exposita, magna etiam pars Londini combusta. 3. Bulla excommunicationis, et depositionis, Henrici, jam ante triennium concinnata, hoc anno fuerit a Paulo III. publicata; qua Rex indignissime tractatur, omnibusque est injunctum, ut eum bello inpugnent etc. Quod inprudens Papae facinus, sicut

ſicut Henricum vehementer irritavit, ita Regni ab obedientia papali ſeparationem fecit inſanabilem. Ipſi quoque Epiſcopi regni Papam, qui jus gladii, et Regum, ſibi vindicat, declararunt tyrannum, et Regni Chriſti hoſtem. Denique 4 edicto publico Regis α Scriptura S. in linguam vernaculam verſa, et typis expreſſa, fuerit in uſum publicum introducta. β. Imaginum cultus abolitus, earum uſu, non niſi morali, ut rudibus inſtar librorum ſint, tantum relicto. γ. Sanctorum interceſſiones deſtructae ſint, et δ. nonnullae cerimoniae ſuperſtitioſae, inter quas fuit feſtum famoſi illius Thomae Becketi. Ad quae omnia acceſſit, quod ex Johanna natus fuerat, a. 1537., *Eduardus;* quo Papiſtarum animi fracti, et ad ſubjectionem, ſaltem ſimulatam, permoti ſunt.

§. CCCXXXII. Sed vulnus lethale ab altera parte reformationi verae ac purae ſub Henrico inflictum eſt. Incepit enim reformatos perſequi, et religioni Pontificiae in praecipuis articulis praebere patrocinium. Initium ſumſit Rex a ſupplicio ignis egregii Viri *Johannis Nicholſoni*, alias *Lambrechti*, vel *Lamberti*, qui, purioris fidei principiis a Bilney inbutus, ulterius confirmatus eſt per Tindalum, et Frithium, cum Antverpiae verſaretur. Dein, in Angliam redux, et in carcerem haereſios cauſa, juſſu Warhami, Archiepiſcopi Londinenſis, conjectus, eo mortuo, liberatus, ſcholam tenuit Londini, et Tranſubſtantiationi primum privatim, dein publico ſcripto, ſeſe oppoſuit: a quo inſtituto cum per Cranmerum, Latimerum, et alios, qui opinioni Lutheranorum erant addicti, avelli non poſſet, adpellavit, ſed in perniciem ſuam, ad Regem. Rex enim ſeſe ab invidia, acſi receptam fidem vellet mutatam, liberare volens, hac arrepta anſa, Lambrechtum, poſtquam in publico conventu, admodum pomposo, Rege praeſente, etiam opponente, eſſet auditus; et cum Epiſcopis de Tranſubſtantione diſputaſſet, nec ad meliorem mentem ſe adduci pateretur, ad vivicomburium condemnavit. Quam tragoediam fuſe

fuse enarravit Joh. Foxus, lib. cit. a. 1538. Quo facto, cum Rex ad coelum usque celebraretur a zelotis Pontificiis, Reformatos ab eo tempore instituit persequi, et antiquae fidei firmandae inpendit operam: eo magis, quod Foxus fuerit mortuus, Episcopus Herefordiensis, cui multum tribuebat, quique forte etiam effecisset, ut cum Principibus Protestantibus in Germania pepigisset foedus, cui tantum obstabat, quod communionem sub utraque specie, linguam vernaculam in sacris, et conjugia Clericorum, nimis urgerent Germani: de quibus capitibus actum fuisset ulterius, et forte transactum, nisi Foxi intervenisset obitus. Accessit adhuc inmoderatus Schaxtonis, et aliorum zelotarum inter reformatos, inportunus zelus, quo Regis animus magis fuit ab iis abstractus, nec non inminuta Cranmeri potestas, mortuo Foxo, et utraque Regina e medio ablata.

§. CCCXXXIII Cum vero lites religionis causa vellet abolitas Henricus, simul in gratiam cum Pontificiis redire, ut autoritatem suam, et monasteriorum totalem abolitionem, facilius promoveret, articulos quosdam fidei a. 1539. concinnari jussit. Circa quos cum Episcopi secum dissentirent, Dux Nortfolciae sex quaesita proposuit Parlamento, ex quibus, quicquid contraniteretur Cranmerus, hi sex articuli sunt confecti, 1. Transubstantiationem esse credendam 2. communionem sub una specie legitimam esse 3. Clericis, post consecrationem, non licere nuptias contrahere. 4. Votum castitatis, et 5. missas pro defunctis, servari debere, denique 6. confessionem auricularem esse utilem et necessariam. Sanciti quoque sunt articuli poena mortis contra eos, qui se iis opposuerint, ne quidem per retractationem praevenienda, sententia tamen, non a Clericis, sed secularibus pronuncianda. Inquisitores etiam sunt instituti, qui, non contenti, inquit Foxus l. c., *legis proprio rigori* adpendices adjecerunt, ex. gr., quod Missam non adirent, licet ei non adversarentur, rarius frequentarent Templum, in Bibliis aliquid lectitarent etc. Quibus ita constitutis, perse-

cutio ipfa brevi eft fecuta, adeo ut carceres breviffimo tempore quingentis hominibus in fola urbe Londini fuerint repleti, qui legem hanc accufabantur tranfgreffi. Sed hic ipfe numerus iis favit, cum Rex iis gratiam fecerit, interceffione Audlei, Cancellarii Angli, viri prudentis et diferti, nec ante Cromwelli obitum legis facta fit exfecutio, Latimerus quoque et Schaxton Epifcopatus fuos abdicarunt non tantum, fed et carceri funt mancipati: in quo ufque ad mortem Regis manferunt. Solus Cranmerus in gratia Regis continuavit. Illud tamen profuit reformationi, quod, publico Regis edicto, lectio Scripturae lingua vernacula fuerit fingulis permiffa. Quod infigne privilegium acceptum ferendum eft Cranmeri inftantiis. Denique Monafteria cum Abbatiis decreto Parlamenti funt abolita, et Regi adfignata.

§. CCCXXXIV. Curfus reformationis plane interruptus eft a. 1539, triftiffimo cafu Cromwelli, et atrocis perfecutionis incepit periodus. De quo vid. Joh. Foxus lib. cit a. 1539. Cromwellus e viliore conditione, erat enim fabri ferrarii filius, ad fupremam evectus Vice-regentis in rebus Ecclefiafticis dignitatem, fatalem cafum fuum debuit averfioni Regis ab Anna Clivenfi, cujus conjugii ipfe fuerat autor, et multorum invidiae, nec non odio reformationis, cui patrocinabatur: acceffit monafteriorum abolitio, ipfi inputata. Damnatus autem eft fententia Parlamenti ad mortem, abfque ut juftae defenfioni ejus locus fuerit datus: *Dolo enim malitiofo quorundam circumventus*, verba funt Foxi pag. 163, — — — — *in arcem, quam turrim vocant Londinenfem, mandatus eft*, in quem carcerem qui femel dedebatur, nulla poft quaeftione habita ad necem abripiebatur: quam injuftam legem ipfe Cromvellus primus tulerat; ut Foxus tradit, qui et injuftitiae fefe in alios reum egerat. Rex eo facilius confenfit, quod, invidia geftorum in miniftrum conjecta, fe populum hac victima placare poffe putabat. Accufatus eft laefae Majeftatis, et haerefios, et inter capita accufationis etiam fuit, ipfum ftatuiffe, quod notatu dignum eft, fingulos

fos Christianos, quae et Tertulliani sec. III fuit opinio, de quo ibi egi, habere potestatem S. coenam consecrandi et administrandi. Mortuus traditur in fide *Catholica*, sed quae vox eo tempore veram religionem, Pontificiae oppositam, denotabat, adeo ut *Catholica* sit, vel sensu generali antiqua et vera, vel in regno adoptata et stabilita. Animadversionem quoque meretur *expositio fidei*, decreto Henrici, hoc anno a Theologis, ad id delegatis, concinnata, qua de natura fidei, justificatione, bonis operibus, symbolo fidei, oratione Dominica, decalogo, et sacramentis, paulo adcuratius differitur; quae, publica munita autoritate, cum populo, tanquam norma, est communicata. Continet autem, ut sex articuli modo memorati, utriusque religionis mixturam, sed et Pontificiam a multis abusibus ac superstitionibus purgatam, foederis quoque gratiae conditiones rectius exhibet. Intra quos limites stetit, nec ulterius provecta reformatio sub Henrico. Merita itaque bonorum operum, sed moderatius explicita, retenta sunt, fides justificans cum virtutibus et bonis operibus conjuncta est requisita, septem etiam sacramenta adprobata sunt, imaginum et sanctorum cultus agnitus est, sed, ut dixi, purius et modestius. Externa devotionis officia sunt minoris aestimata, superstitio in multis rebus damnata, denique Ecclesia a Potestate Papali pronunciata libera. etc.

§. CCCXXXV. Experti sunt rigorem Regis et zelotarum non tantum purioris reformationis studiosi, aliqui etiam, tanquam haeretici, ad rogum damnati, inter quos praecipui fuerunt *Barnes*, vir doctus, et magnae existimationis, *Hieronymus* et *Gerardus*, simul combusti, nulla licet accusatione aut quaestione facta, tantum in *citatoria sententia*, inquit ibid. Foxus, *continebatur, quod detestandi abominandique essent haeretici, multosque propagassent errores et haereses*, sed et aliqui Pontificii, qui contra Henrici primatum defendebant Papalem potestatem, adeo ut in utriusque sectae studiosos fuerit saevitum, absque tamen ut multum sanguinis sub Hen-

 rico

rico fusum. Sequenti tempore, ut reformationis sub ipso historiam absolvam, hostes reformationis a. 1542. conati quidem sunt versionem Scripturae Anglicam, nova promissa, abolere, praetextu errorum in ea commissorum; sed in vanum illud prudentia Cranmeri cecidit. Praeterea, prae concionatorum inopia, introductum est, Regis jussu, *homiliarium* succinctam et piam textuum Dominicalium et Festalium, cum nonnullis sermonibus in singularibus casibus, tractationem complexum, et ab iis, quibus non licebat concionari, praelegendum. Imo, cum ipsi concionatores studio partium et adfectibus nimium se paterentur abripi, mos *scribendi et legendi* sermones introductus est: qui sequentibus temporibus, huc etiam usque, mansit in Anglia: simul ad alias regiones, progressu temporis, etiam Belgii nostri, propagatus est, seseque, si cum gratia aliqua recitentur sermones, variis commendat commodis. Denique vita Clericorum, et Monachorum, eorumque superstitio, prostituta est, et traducta publicis *comoediis*, saepe in ipsis Templis: Clericis quidem prudentioribus inprobantibus, sed Politicis defendentibus: adferre quoque illud institutum potest magnam utilitatem, sed et multiplici abusui est obnoxium, ut facile perspicitur, et experientia docuit.

§. CCCXXXVI. Rigor quidem cónstitutionum contra Reformatos mitigatus est a. 1543., ita ut Politici fuerint periculo poenae exemti, nec Ecclesiastici, nisi post tertiam vicem aliquid haberent metuendum, omnibus etiam sese testimoniis defendendi data potestate, denique reformatorum vita in manu Regis posita, qui condonare et punire potuit: sed haud diu post ad pristinam severitatem rediit Rex, et reformationis hostibus aures denuo praebuit: sicut Windsori degentes experti sunt, qui novae haereseos accusati multum sunt passi, nonnullis etiam vivicomburio punitis. In ipsum etiam Cranmerum conspirarunt, sed in proprium caput. Demonstravit enim Regi, se, ejusdem licet fidei, ut antea, tenacem, contra legem de sex articulis non peccasse,

caſſe, nec uxorem, ex quo lex contra Clericorum nuptias fuit lata, ſecum retinuiſſe. Unde ortum eſt, ut a. 1544. ſeveritas conſtitutionum, reſpectu ſex articulorum, fuerit, nova lege Parlamenti, mitigata, nemini perſequendi poteſtate conceſſa, niſi duodecim juratis teſtibus accuſatio ſit confirmata, et ſtatutum intra tempus inſtituta, etc. Egit eodem anno et alia in favorem reformationis Henricus, inter quae ſolennium precum tranſlatio in linguam vernaculam. Sed et ad reformatorum perſecutionem ſeſe mox vertit Schaxton, Epiſcopus Salisburienſis, haereſios ſacramentariae reus actus, poſtquam diu fuiſſet in carcere, ad rogum eſt damnatus, ſed, ea ejurata, veniam a Rege accepit, tantumque mutatus, ut ſub Maria acerrimus Reformatorum factus ſit perſecutor. Abnegarunt et alii fidem ſuam, ſed *Anna Aſkeua* martyrii meruit coronam, a. 1546., cum tribus ſociis, foemina nobilis, filia Gulielmi Askeu, ordinis equeſtris, probe inſtructa, et in fide conſtans, in magno etiam apud omnes honore, quae, crudelem torturam, ut fautores profiteretur, viriliter paſſa, igni eſt tradita. Vid. Joh. Foxus lib. cit. a. 1546. Quo elati ſucceſſu, novum in Cranmerum non tantum ejus hoſtes fecerunt inpetum, ſed et ipſam Reginam Catharinam Parre, viduam Latimeri, Regi, qui eam a. 1543. duxerat, dilectiſſimam, et reformationis ſtudioſiſſimam. Quod tamen hoſtibus male ceſſit: cum ingentem inde in eos conceperit iram Henricus, in primis in Epiſcopum Winceſtriae, et Ducem Norfolciae, ejuſque filium Surrei, qui duo poſteriores irae ejus effecta maxime ſenſerunt. Epiſcopus enim ſubjectione ſua ſe a morte liberavit, licet favorem Regis non recuperaverit, Dux vero Norfolciae, ejuſque filius, tanquam rei laeſae Majeſtatis, licet injuſte, condemnati ſunt ad mortem; quam filius tamen luit ſolus, Patre, morte Regis interveniente, liberato. Unica, vel praecipua ratio, quae Regem tam vehementer in eos animavit, fuiſſe traditur, quod rex metueret, ne, poſt mortem ſuam, duo hi viri ſucceſſionem Eduardi filii ſui,

turbarent, vel inpedirent, ac Mariam in throno collocarent. Vitam cum morte commutavit Rex a. 1547., cum 56 annos vixisset, et 37 regnasset, nomine relicto infami per tyrannicam gubernationem, qua multum effudit sanguinis, non reformatorum tantum, sed et Pontificiorum, qui Primatui ejus se opposuerunt, et Reginam defenderunt: quorum multa protulit exempla Burnet l. III. Primatum in omnibus actionibus, ad religionem spectantibus, in oculis habuit, adeo ut omnes id credere, vel profiteri, voluerit, quod ipsi placebat.

§. CCCXXXVII. Henrico mortuo cum Eduardus VI. successisset, decem adhuc annorum puer, adeoque summa rerum esset penes Regentes, seu Senatum, ab Henrico constitutum, in primis penes Protectorem, summum eorum Ducem Somerset, regis avunculum, animi eorum fuerunt circa reformationem divisi. Praeter alios Gardinerus, Bonnerus, et Tonstallus, magnae autoritatis viri, Mariae adhaerentes, a reformatione alieni, contenderunt, omnia in eo manere debere statu, in quo res reliquerat Henricus, donec Rex esset majorennis; alii reformationi promovendae intendebant, ut Protector, in primis Cranmerus unus quoque Regentum, nec non Eduardi Praeceptores Cox et Cheek, alii quoque Episcopi, ut Holgate Eboracenses, Ridlei Rochestriensis, Holbeach Lincolniensis, et Godrich Eliensis. Qui aliorum praetextum eo refutabant, quod opus illud ulterius promovere, in specie missam cum S. eucharistia inmutare proposuerat ipse Henricus, quodque Cancellario filii minorennis potestas ab Henrico et Parlamento data erat, edicta plena cum auctoritate eadem, qua Henricus usus erat, promulgandi. Decretum itaque est, praevalente parte, quae reformationem urgebat, illud opus pedetentim, et rationali modo, peragere. Adeoque ad illud efficiendum, ut 1. homiliae quaedam componerentur, necessarias ad salutem complexae veritates, a populo legendae, ut ab altera parte discerent, fide implicita non dependere a sacerdotibus

super-

superstitiosis, ab altera sibi a pseudo-euangelicis caverent, qui, sola in Christum fide se servari posse, credebant, quocunque modo viverent. Quae duo extrema prudenter admodum censuerunt vitanda. Quales homiliae etiam confectae sunt. 2. Novum Testamentum cum paraphrasi Erasmi lingua Anglicana in singulis parochiis praelegeretur. 3. Visitatores per totum Regnum cum idoneis mitterentur concionatoribus, ad statum Ecclesiarum inspiciendum, et abusus exstantiores emendandos, in specie tollendas imagines 4. Episcopi non nisi in Cathedralibus, reliqui tantum in parochialibus, Ecclesiis, pro tempore conciones haberent; quo praecavebatur, ne ubique id facerent Pontificii. Quo eodem anno communio sub utraque specie stabilita est, missae quoque solitariae sunt abrogatae, jussu Parlamenti: denique electio et inauguratio Episcoporum Regi plane est subjecta. Tentata quidem sunt alia, sed non conclusa, aut perfecta. Denique sub finem anni invitatus est, et persuasus, instantiis Cranmeri, Petrus Martyr, cum Bern. Ochino, ut in Angliam veniret: quando Canonicatum Cantabrigiensem accepit. Erat autem Florentinus, et Monachus Augustinianus, qui, ibi terrarum nusquam tutus, Tigurum, Basileam, denique Strasburgum venit, ubi litteras Cranmeri accepit.

§. CCCXXXVIII. Majores adhuc fecit reformatio progressus a. 1548. Praeter alias nonnullas cerimonias paschales, et similes, omnes imagines, jussu Protectoris et Senatus, sublatae sunt, cum illis Missaticis, simpliciore instituto officio, cujus conspectum, animadversione dignum, dedit Burnet, et Missa in communionem mutata, sed poenitentia, cum auriculari confessione, cujusque relicta arbitrio. Libri porro liturgici reformati sunt quoad preces, cantiones in sacramentis et sanctorum festis usitatas, retentis tamen liturgiis, quae ferri poterant, cum vestibus missaticis. Est itaque, ut verbo dicam, liturgia Anglicana in eam redacta formam, quae et nunc fere in Anglia obtinet, et supersti-

tiosae sunt abolitae cerimoniae, reliquis servatis, quarum ad superstitionem non erat metuendus abusus. Concessa quoque morituris est communio, crucis etiam retentum signum in sacramentis et confirmatione, cum aliis nonnullis, ut precibus pro mortuis, et unctionibus, conjugia denique Clericorum permissa sunt. Quae omnia partim hoc, partim sequenti, anno sunt Parlamenti decreto confirmata, licet non sine nonnullorum oppositionibus. Venerunt praeterea hoc tempore in Angliam Martinus Bucerus, et Paulus Fagius, qui Germania propter formulam *Interim* excesserunt, missi a Cranmero Cantabrigiam, ubi Fagius brevi occubuit: ut supra narravi suo loco.

§. CCCXXXIX. Praeter novam Ecclesiarum visitationem, ad nonnullos ritus superstitiosos, ut *ave Maria*, *pater noster*, *missae solitariae* etc. e medio tollendos, a. 1546. decretam, et cum successu institutam, pedem ad ipsam doctrinam repurgandam promoverunt, sed lentis passibus, ut populus eo facilius et rectius permoveretur. Disputatum itaque est contra Transsubstantiationem, quae variis libris est refutata, nec tamen abolita. Petrus Martyr Helveticam tenebat doctrinam. Sed Bucerus, mediam insistens viam, Christum statuit, generalibus usus phrasibus, *realiter* esse praesentem, modo non definito. De Cranmeri opinione postea. Sed acciderunt hoc anno nonnulla, quae reformationem haud parum turbarunt, et vehementer commacularunt. Cum Anabaptistae in Anglia inceperint opiniones disseminare, et pejores, qui, praeter paedobaptismum, Divinitatem Christi, ejusque veram incarnationem, ac satisfactionem, inpugnabant, et melioris generis, qui simpliciter infantum baptismum, contra hos disputatum est pro paedobaptismo, sed contra illos saevitum, more Antichristiano, ad vivicomburium usque. Qua terribili poena adfecta est foemina, *Johanna Bocher*, alias de Kent, propter incarnationem negatam, *mulier*, inquit Foxus l. c., *si eo vacasset errore, et in scripturis prompta, quum tamen nihil sciret legere, etiam officiosa, maxime*

ime in eos, si quos carceres haberent captivos, et Georgius Germanus, propter Divinitatem Christi, *Vir integrae et inculpatae*, uti a suis habebatur, *vitae*, frustra intercedente Hero ejus Moguntino, viro nobili, et uxore ejus. Quod, sicut Cranmero, qui poenam hanc adprobavit et ursit, ita Reformatis ingentem, nec injuria, creavit invidiam apud Pontificios, et populum. In ea absurda adhuc fuit opinione Cranmerus, antiquis praejudiciis fascinatus, crimina illa esse in Divinam Majestatem, et propterea aeque ac laesae Majestatis reos puniendos esse, qui ita errarunt. Longe rectius sensit Rex, qui condemnatoriam hanc sententiam signare recusavit in initio, nec eo dein, ad Cranmeri instantias, adductus est, nisi sub hac protestatione: *quod si hac in re male ageret, ut Cranmerus, cujus solius autoritate id faceret, coram Deo de eo responderet.* Quod quidem Cranmero aliquem initio incussit terrorem, sed eum non deterruit, qui *in eo naturam, erat enim ingenio mitissimus, suam non est secutus*, verba sunt Foxi, sed *Ducis Northumbriae inperium secutus dicebatur.* Obicem etiam aliquem reformationi posuerunt, saltem eam odiosam fecerunt, aliqui Euangelici, sic dicti, qui, dogmate in primis de Praedestinatione, tunc apud Reformatos satis recepto, abusi, admiserunt, ut videbantur, decreto Dei esse fidendum, nec necesse esse virtutis studio incumbere. Quare Hooperus, et alii, populum recte admonuerunt, ut sibi ab his subtilitatibus caveat. Denique intestini quidam motus exorti sunt, ad Papismum renovandum; sed feliciter sopiti. Bonnor quoque, vir turbulentus, Episcopus Londinensis, depositus est: ut prolixe narrat Burnet.

CCCXL. Ad progressum reformationis a. 1550. pertinet, quod nova forma ordinationis Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum fuerit invecta, ab abusibus superstitiosis, et novis, seu post seculum V*tum* introductis, libera, qualis fere et adhuc in usu ibi est. Unctiones itaque, vestium consecrationes, similesque cerimoniae, sunt abrogatae, et inpo-

sitio manuum ac preces praecipui facti sunt ritus, tantum addita sunt interrogata, ad quae respondere debebat, ex. gr. *num motum Spiritus S. sentirent ad hoc officium, ut Deo serviant ad propagationem gloriae ejus, et aedificationem Ecclesiae.* Hooperus, Glocestriensis factus Episcopus, Episcopalibus nequidem vestibus voluit inaugurari, eas pro Papisticis superstitionibus habens: unde aliqua orta est dissensio, nec nisi anno sequente est initiatus. Venit quoque Johannes a Lasco, de quo alibi agitur, cum aliquo Germanorum numero, qui Germaniam propter *Interim* deseruerant, Londinum, eorumque congregationis, Londini admissae, *superintendens* factus, brevi post aliquos concitavit motus, scripto contra ordinem Ecclesiasticum, ibi receptum edito, tum in causa vestitus sacri, tum habitus corporis in sumenda eucharistia, contendens, sedentes, et non genuflectentes, Christianos ea uti debere. Denique loco formae altaris introducta est ea mensae, primum a Redlei, viro erudito, et reformationis studiosissimo, in Episcopatu suo Londinensi, quem hoc anno accepit, et dein in toto Regno, autoritate Senatus Regis.

§. CCCXLI. Praeterquam quod a. 1551. Bucerus fuerit defunctus, magno sui relicto desiderio, vir eruditus et moderatus, Gardinerus, qui, animo Pontificius, male se gerebat in ordine stabilito observando, cui se simulate submiserat, incarceratus et depositus sit, Hooperus vero ea conditione consecratus, ut sacras vestes post consecrationem indueret, easque in solennibus tantum gereret concionibus, Episcopatus denique tenerent viri Reformationis studiosi: annum inprimis reddidit celebrem, quod *articuli* fidei in eo fuerint compositi, postquam populus per varias institutiones et disputationes satis praeparatus esset, et cultus superstitiosus abolitus, praecipua fidei capita, opposita in specie erroribus Pontificiorum, et haereticorum ejus temporis, complexi, iidem etiam, qui cum levi mutatione postea sunt sub Elisabetha sanciti. Fuerunt hoc tempore quadraginta duo; in

in quibus parum se offert singulare, et notandum, nisi quod 1. de reprobatione ne verbum occurrat, et electio generalioribus phrasibus proponatur, nihil quoque 2. de inputatione peccati Adami, tantum de corruptione inde orta. 3. descensus Christi ad inferos ponatur in animae ejus descensu ad locum inferorum, ubi Spiritus degunt, quibus adnunciatum est euangelium, secundum 1. Pet. III., ut putabatur. 4. Rex Caput Ecclesiae post Christum, et sub eo, agnoscatur. 5. Sacramenta non tantum signa, sed et sigilla adpellentur, imo cum ipsa gratiae spiritualis collatione conjuncta. 6. Denique regnum millenarium, et damnatorum restitutio, rejiciatur.

§. CCCXLII. *Liturgia* etiam novo subjecta est examini, et in eam redacta formam, quae et nunc ibi obtinet, exceptis nonnullis additis. Mutatio vero hoc anno in eo praecipue fuit sita, quod 1. nonnulli ritus fuerint abrogati, ut ex. gr. chrisma in confirmatione, extrema unctio, crucis signum, et preces pro defunctis 2. generalis peccatorum confessio, et absolutio, fuerit sancita in communione sacra. 3. Lex decalogica tempore communionis praelecta, coetu in genua procumbente, denique 4. genuflexio etiam in communione stabilita sit, sed ratione addita, non ut adorationis, sed humiliationis, et reverentiae, gestus esset. His addatur, sex electos fuisse concionatores, nomine Capellanorum Regis, quorum duo semper in Aula essent, reliqui per Regnum irent, et ubique conciones haberent, ubi vellent. Denique, quod non est negligendum, instituta est, Regis jussu, Juris Canonici reformatio, et legum Ecclesiasticarum, in primis opera Cranmeri concinnata, a. 1552., et libello comprehensa, qui dein, regnante Elisabetha, a Johanne Foxo editus est. Complectitur LI articulos, ad normam Pandectarum Justiniani, sed, morte regis interveniente, publicam non nactus est autoritatem. Inter notabiles articulos duo occurrunt, quibus hic locum dabo, unus laude, alter vituperio, dignus. Prior tit. II. cap. 22., Praedestinationis dog-

mate explicito, hanc habet clausulam: *quapropter omnes nobis admonendi sunt, ut in actionibus suscipiendis ad decreta Praedestinationis se non referant. Sed universam vitae suae rationem ad Dei leges adcommodent, cum et promissiones bonis, et minas malis, in Scripturis Sacris generaliter propositas, contemplentur. Debemus enim ad Dei cultum viis illis ingredi, et in illa voluntate Dei commorari, quam in Sacris Scripturis patefactam esse vidimus. Alter*, qui ad Antichristi characterem, in persecutione situm, nimis prope accedit, habet, tit. III., *de haeresibus: qui de crimine haeresis fuerit confessus aut convictus — — erit infamis, nec ad publica officia gerenda, nec ad consilia, nec ad testimonium dicendum, ullo tempore adsumatur, imo nec Testamentum illi condere fas erit: praeterea, quodcunque negotium illi cum aliis intercesserit, ipse quidem omnibus, illi vero nullus cogatur in judicio respondere. Crimen enim haeresis publicum esse statuimus, quoniam Dei religio, communis inter omnes, cum violatur, in eo publice videtur omnibus injuria fieri.* Quod vero ad Principem Mariam adtinet, ut de ea aliquid subjungam, quae antiquae religioni adfixa manebat, et domi Missam celebrabat, initio quidem, metu Caesaris, mitius cum ea egerunt, religionis exercitio ei concesso, sed dein, foedere cum Galliae Rege pacto, et Caesarem minus metuentes, severius, cum nec blanditiis, nec minis, aliquid apud ipsam Rex cum Senatu efficere posset: videntur tamen, conniventia usi, occultum religionis exercitium ei permisisse.

§. CCCXLIII. Reformatio, hac ratione fere ad finem adducta, lethalem accepit a. 1553. ictum, in morte optimi, et supra aetatem eruditi, Regis Eduardi, et successione Mariae, sororis ejus. Licet enim Regnum ab Eduardo in Johannem Gray, filiam Ducis Suffolciae, quae filio Ducis Nordhumberland nupserat, esset translatum, ipsa quoque proclamata Regina, res tamen in favorem Mariae, cui, ex Henrici et Parlamenti decreto, competebat Regnum, sese brevi vertit, populo etiam se ad eam inclinante. Voluit

quidem

quidem Maria, in throno collocata, mox cum Papa redire in gratiam, et Papismum introducere, sed Gardinerus, ejus factus Cancellarius, ipsa prudentior, effecit, ut pedetentim illud egerit. Publicavit itaque initio, se quidem Catholicae esse fidei, sed neminem cogendum esse, donec res religionis communi consensu fuerit constituta, eo ipso tamen declarans, quid animo volveret. Praeterea, praetextu motuum vitandorum, nemini permisit docere, aut concionari, nisi data licentia: quo ipso Euangelicis fuit os clausum. Primo autem Regni anno congregato Parlamento, acta Eduardi sunt publico decreto abolita, divortium Henrici cum Catharina damnatum, conjugio hoc declarato legitimo, adeoque Eduardo et Elisabetha spuriis. Praeterea conventus illiciti, sive religionis causa, sive aliam ob rationem, severa prohibiti sunt sub poena. Germani etiam et Galli, reformationem professi, regno excedere jussi sunt: quando Johannes Lasco Angliam, cum multis suorum, deseruit, etiam Petrus Martyr. Erant praeterea jam multi Reformatorum, inter quos ipse Cranmerus, incarcerati, et Episcopi depositi, ac Catholici restituti. Spectarunt itaque omnia ad reformationis totalem ruinam, maxime cum Mariae conjugium cum Philippo, Infante Hispaniae, Caroli V. filio, accessisset.

§. CCCXLIV. Incepit mox publica persecutio, et multi, partim conspirationis in Mariam, partim reformationis, causa occisi sunt. Quam historiam fuse narravit Joh. Foxus, lib. cit., l. III. etc. Inter prioris generis fuit, cum sociis, ipsa Johanna Regina, quae capita plexa est, inter posteriores Cranmerus, Redlaeus, et Latimerus, praeter plures alios, qui, posteaquam publica in disputatione Londini, et dein Oxoniae; essent prostituti, ac indignissime tractati, clamoribus et convitiis continuo interrupti, et a disputatione absterriti, martyrii coronam acceperunt. Disputationes in Academia Oxoniensi habitas a. 1551., inter Cranmerum respondentem, et Chedsaeum ac Jung opponentes, nec non inter D. Nicolaum Redlaeum, Episcopum Londinensem,

et Doctorem Smithum, caeterosque Doctores Oxonienses, de Transubstantiatione et Missa, denique inter Latimerum et Smithum, recensuit fideliter Joh. Foxus lib. cit. l. VI. Quod antequam factum est, rediit Reginaldus Polus, cujus supra memini, jam Cardinalis, in Angliam, sub titulo Legati Papae, et Regnum ab Interdicto sacro liberavit, ac cum Papa reconciliavit, postquam omnia Henrici contra Papam acta decreto Parlamenti essent rescissa, et titulus *primatus* Regum Angliae abolitus. Sed divisi fuerunt Polus et Gardinerus circa modum agendi cum haereticis, contra quos antiquae Antichristianae leges sunt renovatae. Polus, qui moderatior erat, et a persecutione alienior, suspectus etiam aliquando Lutheranismi habitus, de quo Vid Schelhorn amoenit. Hist. etc. tom. I., ubi etiam ejus epistola, lectu digna, ad Eduardum VI. reperitur, modum propagandae et tuendae religionis rectius intelligens, leges censuit mitius, Gardinerus severius, executioni esse mandandas. Sed severitas triumphavit. Rogerus itaque, Hooperus, Sanderus, et Taylerus, viri egregii, et publicis muneribus illustres, quorum vitam et martyrium luculenter enarrat Joh. Foxus lib. cit., sunt flammis traditi, idque ob solam fidem, cum nihil contra novas leges commiserint. Qua tyrannide cum totus populus conturbaretur, plures etiam in fide confirmarentur, secus ac putaverat Gardinerus, ipse rem reliquit Bonnero, Episcopo Londinensi. Quid? quod ipsa Regina, et Rex Philippus II., quibus haec tyrannis praecipue inputabatur, sese per confessionarium publice excusaverint, seseque contra haereticidium declaraverint, ita ut in solos Clericos omnis reciderit culpa, sed haec pura puta erat hypocrisis. Perrexerunt quoque illi in hoc opere quam strenuissime. Combusti utique sunt a. 1555. sexaginta septem causa religionis, inter quos quatuor Episcopi, et tredecim Presbyteri. Dein a. 1556., eodem martyrii genere coronati sunt octoginta quinque, quorum, et aliorum post occisorum sub Maria, nomina apud Foxum prostant, ad cal-

cem libri, qui etiam ibidem Cranmeri martyrium exacte descripsit; et inter eos ipse Cranmerus, post triennium carceris. Cranmerus, quod non est silentio involvendum, initio quidem metu mortis fractus, fidem suam scripto abnegavit, et Catholicam professus est: sed, cum ne sic evadere posset, Regina ejus perniciem obstinate postulante, animo resumto, fidem ingente cum animi moerore et poenitentia palam et intrepide est professus, mortem animose subiit, ipsa manu sua dextra, qua abnegationem signaverat, in ignem inmissa et combusta. Ceterum cor ejus inter cineres inventum est integrum et illaesum. Archiepiscopatum ejus cum mox sequente die suscepisset Polus, ei dictum Eliae ad Achabum, respectu Nabothi, *occidisti et possessionem cepisti*, fuit adplicitum. Dein a. 1557. in mortuos saevitum est, et vivos. Buceri et Fagii corpora solenniter damnata sunt et combusta, P. Martyris uxor, sepulchro educta, et inhoneste sepulta est, sed quorum corpora sub Elisabetha in integrum sunt restituta. Quae contrariae actiones eleganter sunt descriptae in libello de vitis Buceri et Fagii, qui a. 1522. prodiit Argentinae, cura Joh. Oporini. Fundamenta quoque Inquisitionis jacta sunt, tribunali nihilominus nondum erecto, et plures sunt martyrio adfecti, et usque ad nonaginta septem flammis absumti: sicut et a. 1558. usque ad triginta novem. Martyrio vero coronati a nonnullis sub Maria numerantur 284., sed, secundum alios, 800, primis jam duobus annis persecutionis. Sed hoc ipso anno, Maria Regina, cum Cardinale Polo, morte abrepta, Ecclesia non tantum a persecutione liberata, sed et felicissime reformata est sub Elisabetha. Quae longe laetissima periodus per totum hoc seculum duravit, mortua Elisabetha a. 1603.

§. CCCXLV. *Elisabetha*, inter varia vitae discrimina, et conscientiae morsus, cum sese, ad mortem evitandam, aliquatenus ad dominantem religionem adcommodare debuerit, fidem suam non tantum occultando, sed et missam

audiendo, in vivis relicta, ipsius etiam Philippi ope, q Maria uxore sine liberis mortua, eam in animo habebat cere, et sine qua regnum ad Mariam, Reginam Scotiae, p venire debuerat, incredibili cum populi laetitia, Cleri Pontificiis exceptis, in throno collocata, ac religioni I formatae addicta, mox quidem animi sui hac parte indi praebuit, jubendo, ut communio sub utraque specie adi nistraretur, et Parkerum ad Archiepiscopatum Cantuariens et Baconem ad munus Cancellariatus, licet alio et min titulo, promovendo: attamen in reformatione introducer prudenter instituit, mediamque tenuit viam, ut motus pr veniret, et Regno pacem procuraret. Quae duo sem in oculis habuit. Facta quoque est lente et gradatim ref matio, ut summatim enarrat Cambdenus ad a. 1559. Stat ac Parlamentum esset convocatum, oblatus ipsi est *Prima* in Ecclesiasticis et Politicis, gravi sub negantium poe rem quidem adsumsit, sed a titulo abstinuit, cum ut Po ficios placaret, tum quod eum, quippe solius Christi, I gi, aut Reginae, minus convenire censuerit: cui conv entius egisset, si et rem ipsam a se removisset: poe praeterea mitigavit, bonorum et muneris amissione tan statuta, exercitium quoque Primatus non uni personae, sub Henrico, sed collegio, commisit, sub titulo *excelsae* *mus commissionis*, cujus origo hinc repetenda est. Pontifi dein contra haeresin, et novitatem, pro concione declama bus, et motus concitantibus, potestas concionandi omni est ademta, nisi quibus licentia sub *magno sigillo* esset d Mox publica praemissa disputatione de lingua vernacula sacris, de missa, et potestate singularum Ecclesiarum o nandi sacra sua, quam Pontificii, in hac causa longe i riores, abruperunt, praetexentes, sibi non licere sine pern su Papae aliquid de religione statuere, aut de rebus def tis disputare, ordinatio sacrorum, sub Eduardo facta, c aliqua tantum mutatione, est renovata, ex. gr. respectu *pr* *sentiae* Christi corporalis in S. coena, quae generalibus a

phrasi

phrasibus est expressa, ut ea non fuerit directe negata. Imagines quoque, sed sine cultu, tolerari initio voluit, sed, rectius dein instructa, eas aboleri, simul decreta, aliasque constitutiones Eduardi, cum levi quadam mutatione, publicari jussit. Ceterum nemini sese gravem praestitit. In principio quidem aliqui, qui suprematus juramentum recusabant praestare, in carcerem conjecti, sed et statim dimissi sunt, nec, qui Regno excedere voluerunt, prohibiti; imo, qui munus deponere eligebant, iis decretae sunt pensiones. Denique, articuli doctrinae, sub Eduardo concinnati, itidem, cum aliqua variatione, confirmati sunt, ex. gr. articulus de Christi ad inferos descensu omissus est, recensio librorum Canonicorum et Apocryphorum addita, sicut etiam, Ecclesiam potestate pollere de ritibus et doctrina judicandi, sed secundum verbum Dei: respectu S. coenae simpliciter habetur, corpus Christi Spirituali dari modo, et sumi, medium, quo accipitur, esse fidem. Quod prudentiae causa factum censetur, cum omnes corporalem rejecerint praesentiam: ut Burnetus demonstrat. Tandem nova facta est Bibliorum translatio, primum, ut videtur, edita a. 1561.

§. CCCXLVI. Hac ratione instituta et stabilita est reformatio in Anglia, adeo ut ab eo tempore primas ibi obtinuerit, et dominans, ut dici solet, facta sit; quo diuturnum Elisabethae regnum, quod 44 annorum fuit, multum contulit. Typus *doctrinae* Ecclesiarum Angliae, ex triginta novem articulis, a. 1571. confirmatis, ad quos Burnetus est commentatus, facile repetitur, nec est ignotus. *Politiae* vero conspectus omnium accuratissime datur in libello, cui titulus; *tractatus de politia Ecclesiae Anglicanae*, tempore Jacobi conscriptus, a Doctore Mocket, Archiepiscopo Cantuariensi a sacris, cui alia accesserunt, in edit. Londin. a. 1705. Nihil itaque restat, quam, ut nonnulla ad rem religionis pertinentia, quae sub Elisabetha acciderunt, in primis quoad motus, et schisma, Puritanorum et Independentium, quibus Ecclesia Anglicana misere turbata est, subjungam.

§. CCCXLVII. Duo edicta publicavit a. 1560. Regina, *unum*, contra Anabaptistas, et id genus haereticos, qui e transmarinis regionibus sese persecutionis causa in Angliam receperunt, suasque male sanas sparserunt opiniones, quo, intra viginti dies, Regnum jussi sunt deserere, sub poena incarcerationis, et amissionis bonorum: *alterum* contra turbulentos, qui, superstitionis tollendae obtentu, sepulchra, epitaphia, aliaque antiquitatis monumenta, delere moliebantur, ipsas campanas e Templis tollebant. Vid. Cambdenus. A. 1572. defunctus est *Johannes Juellus*, Academiae Oxoniensis alumnus, exul sub Maria in Germania, sed sub Elisabetha Episcopus Sarisberiensis, vir admodum celebris libro, *Apologia Ecclesiae Anglicanae*, aliisque operibus, contra Thomam Hardingum, qui ad Pontificios defecerat, lectu dignissimis. Vitam ejus conscripsit et vindicavit Laurentius Humfredus. Theologus Oxoniensis, quae operibus Juelli praefixa est. *Petrus* aliquis *Burchettus*, vesana, et humanitati, ac Christianismo, injuriosa, opinione ductus, licere veritati euangelicae adversantes inpune occidere, cujus specimen jam dare conatus erat, in carcerem compactus, et, cum alterum e custodibus occidisset, tanquam homicidii reus est suspensus a. 1573. Quod Cambdenus relatu dignum judicavit, sicut vel eo nomine est, quod, quousque praetextu religionis in devia possint fanatici abripi, edoceat. Sed et illud notari meretur, severius circa idem tempus coepisse agi cum Pontificiae sectae patronis. Religio illa, licet legibus vetita et proscripta, inpune quodammodo, connivente Regina, fuit exercita intra privatos parietes, usque ad *Bullam declaratoriam* Pii V., contra Reginam, et Regnum, ejus publicatam, quae apud Cambdenum exstat a. 1570. Quo tempore lex lata est a. 1571., contra eos, qui ejusmodi *bullas*, *agnos Dei*, *et grana benedicta*, Papalis obsequii tesseras, in Regnum introduxerint, qua laesae Majestatis est statuta poena: sed quae toto sexennio, licet non defuerint, qui contra eam commiserunt, non est executioni mandata. Primus ex ea damnatus,

tus, et ſupplicio adfectus, eſt Cuthbertus Mainus ſacerdos, Pontificiae contra Principem potentiae adſertor acerrimus, et contumax, ut Cambdenus refert a. 1577. Ad quam ſeveritatem compulſa traditur Regina per turbulentas Pontificiorum artes, quibus Regnum, praetextu religionis, conturbare adgreſſi ſunt: quod in primis fecerunt Jeſuitae, et Seminarii Angli. De quibus leg. Cambdenus a. 1580. et 1581.

§. CCCXLVIII. Commacularunt etiam, et turbarunt Eccleſiam, et rempublicam, Anglicanam, advenae ex Hollandia, homines fanatici, adpellati e *familia amoris*, ſeu *domicilio charitatis*, quo titulo ſe ipſi inſigniverunt; qui, ſocios ſuos ſolos eſſe electos, jactabant, licitumque ſtatuebant, jurejurando quicquid lubet negare coram Magiſtratu. Cum autem ſingularis pietatis, vel devotionis, ſpecie ſe in animos vulgi inſinuarent, varias quoque ſpargerent haereſes, eos edicto compreſſit Regina, libris igni traditis a. 1580. Sed praecipuam meretur adtentionem ſchiſma *Puritanum*, vel *Presbyterianum*, indeque mox *Independiſticum* ortum; quo Eccleſia, cum Regno, mirum in modum concuſſa eſt, unde multa mala, caedes etiam et rapinae, in primis ſeculo ſequente, ortae ſunt, dum inmoderato zelo, ab utraque etiam parte, litarint. Originem autem ſuam huic ſeculo debet, remotiorem ſub Maria, et propiorem ſub Eliſabetha. Quae hiſtoria varie, pro diverſae partis ſtudiis, narratur. Conferendus eſt ab altera parte Gulielmus Nicholſius in *adparatu*, praemiſſo defenſioni ejus Eccleſiae Anglicanae, ab altera parte Jacobus Peircius in *commentario Hiſtorico Apologetico*, ille Epiſcopalium, hic Presbyterianorum, fautor et defenſor. Dabo, quantum pote, paulo adcuratiorem, ſed ſummatim, pro more, ejus intellectum. Poſtquam, quod neglexi, uno notavero verbo, mortuum eſſe a. 1595. inſignem Theologum *Gulielmum Whitakerum*, Profeſſorem Theol. Cantabrigienſem per quindecim annos: quo tempore quaeſtio viguit, *an fides vera et juſtificans* amitti poſſit.

§. CCCXLIX. In prima verae reformationis Anglicanae periodo, sub Eduardo, nulla fuit de regimine, liturgia, et ritibus, controversia inter Reformatos. Solus Hooperus, ut supra narravi, Episcopus Glocestriensis electus, usitato habitu et vestitu Episcopali renuit initiari, inutilem eum esse, et superstitiosum, existimans; cui Cranmerus et Ridlejus se opposuerunt. Cujus disputationis summam exhibet Burnet ad a. 1550. sed lis tandem composita est, ut in sacris tantum uteretur habitu Episcopali. Tempore vero persecutionis Marianae majorum motuum sunt inter exules Anglos Francofurti jacta semina a. 1555. Cum enim illi, fidei causa, cum multis aliis, profugi e patria, et Francofurti benigne excepti, in sacris et liturgiis propius ad Gallicanam, et Calvinianam, Ecclesiam accedere inciperent, novamque liturgiam, Genevensi adcommodam, adornarent, pastore constituto Knoxio, celebri Theologo, mutatio illa reliquis exulibus Tiguri et Argentorati valde displicuit, et dissensionis praebuit occasionem. Richardus enim Koxius, Argentorati degens, nimio accensus studio, Francofurtum se contulit, et apud Magistratum effecit, ut Knoxius urbe coactus fuerit excedere: accusatus nimirum reverentiae, Caesari debitae, violatae, quia in concione, postea typis mandata, dixerat, *Inperatorem haud minus ac Neronem esse Christo inimicum*. Dixerat quidem illud, sed dum in Anglia adhuc versaretur, nec nisi persecutionis respectu. Excesserunt itaque cum eo et reliqui, novae liturgiae devoti, et Genevam tetenderunt, ubi novam erexerunt Ecclesiam Anglicanam, regiminis et liturgiae respectu Genevensi similem.

§. CCCL. Rerum facie sub Elisabetha in melius mutata, et exulibus undequaque Patriam repetentibus, Genevenses ritus suos et liturgiam secum in Angliam detulerunt non tantum, sed et de inperfecta reformatione apud Elisabetham conquesti sunt; Episcopale quoque regimen cum Presbyteriali commutandum esse urgentes. Qui, purioris, ut putabant, reformationis studiosi, tunc *Puritanorum* nomine insigniti

insigniti sunt, multosque in partes traxerunt, absque tamen, ut in factiones fuerit discessum. Imo dissentientes adhuc ad publica in Ecclesia admissi sunt munia, nec ea gravati sunt obire, inter quos fuerunt Gulielmus Wittingamius, Laurentius Humfridus, Thomas Samsonus, alii: sed progressu temporis, tantum abest, ut quod, fieri deberet, moderatiores fuerint facti ab utraque parte, ut dissentientes, zelotarum more, et viva voce et scriptis, naevos Ecclesiae Anglicanae flagrantiore studio perstringere, et ulteriorem reformationem postulare, Episcopales etiam haud minore zelo se iis opponere, coeperint: donec, articulis fidei denuo ad examen revocatis, *confessio* fidei fuerit jussu Parlamentario omnibus Clericis subscribenda, et juramento adsumenda, injuncta, omnibus quoque praescriptum, ut, se ritibus Ecclesiae, et regimini Episcopali, subjecturos, religiose promitterent. Quod decretum, ut, teste omnium temporum historia, similia in ejusmodi rebus habere solent, noxia admodum produxit effecta. Dissentientes enim magis irritati, et ardentiore zelo accensi, maluerunt partim munere exui, partim separatos condere coetus. Quod tamen tunc per omnia effectui nondum dederunt: quo inter alia haud parum contulerunt litterae Theodori Bezae ad eos, quibus a schismate eos absterruit *propter cerimonias, per se non inpias, nec tanti momenti.* Quae ejus est epistola XII. *ad quosdam Angl. Eccles.*

§. CCCLI. Sed zelus, in pectore ardens, sese diu continere non valens, dein vehementius erupit, et schisma peperit publicum. Episcopales enim cum varie insectarentur, ac vexarent dissentientes, et hi inportunius in receptam liturgiam, et regiminis formam, inveherentur, moderatiores, ut fieri adsolet, non amplius audirentur, cujus exemplum fuit in Edmundo Grindallo, Archiepiscopo primum Eboracensi, dein Cantuariensi, qui gratia Elisabethae, per factiones Leicestriensis Comitis, et aliorum zelotarum, excidit, quod Puritanos, eorumque conventus, toleraret, res tandem in pu-

 blicum

blicum erupit schisma, Puritanis in segreges coetus discedentibus, autoreinprimis Thoma Cartwrigto, alias Carturito, Theologo Cantabrigiensi. Ipse enim, Calvini doctrinam et instituta sectatus, in liturgiam, ordinem Episcopalem, et usum Albae, more zelotarum, detonuit pro concione, multosque juvenes Academicos sibi adsociavit: attamen illud inpune non tulit. Refutatus enim a Witgifto, ejusdem collegii S. Trinitatis Praefecto, dein ad colloquium frustra invitatus, tandem collegio est expulsus, etiam Margaretici Professoris munere privatus. Quo tamen mala non sanata, sed aucta, sunt.

§. CCCLII. Cartwrigtus enim ejectus per totam oberravit Angliam, ubique concionando, et scribendo, contra ordinem Episcopalem, ritusque receptos, tanto cum successu, ut ingens hominum multitudo huic sectae nomen dederit: qui et eo venerunt audaciae, a. 1572., ut admonitionibus, tanquam libellis supplicibus, non sine interminationibus, postulaverint regiminis sui et disciplinae introductionem, ac confirmationem. Cum autem votorum non fuerint compotes, separatas a. 1573. condiderunt Ecclesias, ubique per Regni provincias, secundum normam et disciplinam Genevensem. Patrocinium quoque multi Nobiles et Aulici praebuerunt, ut Leicestriensis, Valsinghamius, et alii, ab Episcopatu e medio removendo, etiam ut praedam opimam occuparent, et bona invaderent, non alieni. Regina quidem nihil non, ad motus compescendos, et legem de *uniformitate* sartam tectam tuendam, egit; sed manus opprimendis Puritanis inprimis praebuit Johannes Whitgiftus, modo memoratus, nunc Archiepiscopus Cantuariensis, qui a. 1583. tres articulos introduxit, ab omnibus subscribendos ministris. 1. Reginam esse suprema in Ecclesiasticis praeditam potestate. 2. Librum precum publicarum, et de Episcopis ac sacerdotibus ordinandis, esse Verbo Dei consentaneum, ac retinendum. 3. Articulos Synodi Londinensis a. 1562. esse fide adsumendos. Dici nequit, quantum hinc disputationum et oppositionum

fuerit

fuerit exortum. Puritani enim, ferociores facti, nulli amplius pepercerunt Ordini, libellis etiam famosis, convitiorum plenis, proſciderunt Ordines Eccleſiaſticos, inter quos eminet *Martinus Praelatorum Malleus*: cujus autor, ſaltem unus autorum, Penrius, rei in Principem probroſae convictus, ſuſpendio vitam finivit a. 1588. Alii etiam vexati ſunt, et puniti. Reliqua ad ſeculum ſequens pertinent.

§. CCCLIII. Sed duo caſus Puritanis inſpirarunt moderatiora conſilia, unus Coppingeri et Hacketi conſpiratio, alter Browniſtarum, vel Independentium, ortus, unde Puritanis magna eſt creata invidia, ipſique quoque ſeſe uſque ad Eliſabethae mortem tenuerunt quietos: ipſe Cartwrigtus ad ſaniorem, ſeu magis Chriſtianam, mentem rediit, qui, ſacerdotali curae redditus, et Metropolitano ſuo reconciliatus, officio tranquille functus eſt. Prioris caſus, a Cambdeno narrati a. 1591., quo contigit, haec eſt ſumma. Hacketus, vir plebejus, indole ferox, et vitae inprobae, ſubito in alium mutatus, bonis dilapidatis, ſingularem non tantum ſanctitatem et devotionem prae ſe tulit, ſed et extraordinariam vocationem divinam ad Eccleſiam reformandam, ac Genevenſem diſciplinam Presbyterialem introducendam, ementitus eſt, nonnullis ſimul Theologis Puritanis comprobavit, inter quos erat Wiggintonus; per quem innotuit Edmundo Coppingero, e clara familia, ſed ejuſdem animi, qui extraordinariam etiam ad hoc opus ſibi adrogavit vocationem, ſimul perſuaſit Arthingtono. Inter quos convenit, ut Hacketus totius orbis Rex proclamaretur, Angelus iſte, qui noviſſimo tempore veniret, cum ventilabro ad aream purgandam, et pedo ad haedos ab ovibus ſecernendos, Satanam et Antichriſti regnum deſtruendum. Hacketo itaque domi manente, duo illi fanatici, Coppingerus et Aringhtonus, quaſi mente capti, per urbem diſcurrentes, Hacketum adnunciarunt glorificato corpore cum Chriſto regnum participare, adeſſe legatum et Angelum ad Regnum Chriſti erigendum, ſummumque eſſe orbis monarcham, ſe vero duos

os esse prophetas, alterum *misericordiae*, alterum *judicii*, coadjutores Regis, Reginam itaque esse regno exuendam, et novo Regi obedientiam praestandam. Quo facto, ad diversorium Hacketi reversi sunt, sed et mox adprehensi, et puniti. Hacketus est ad patibulum damnatus, et horrenda inter ac blasphema dicta suspensus. Erupit, ut narratur, sine horrore vix proferendum, nisi Deus se miraculose liberaret, quod precatus erat, in haec verba: *coelos inflammabo, et te tuo throno his manibus deturbabo:* Coppingerus voluntaria fame in carcere infelicem efflavit animam, Athingtonus ad poenitentiam reservatus est, quam edito libello etiam est testatus. Puritanis, etsi hanc insaniam fanaticorum vehementer damnaverint, tantum abest ut manus praebuissent, magna hinc creata est invidia.

§. CCCLIV. Alter casus est *Brownistarum* ortus, unde seculo sequente nati sunt *Independentes*, sic dicti: cujus sectae autor fuit *Robertus Brownius*, in libris Puritanorum probe versatus. Ex quibus opiniones de Papismo, Antichristianismo, et idololatria, in Ecclesia Anglicana adhuc superstitibus, hausit. Nec hic substitit, sed, ulterius progressus, Presbyteriale, Classium, et Presbyterorum, dominium etiam proscripsit, simul ab Ecclesia Anglicana esse secedendum contendit. Ipse itaque, quotquot in partes trahere poterat, a reliquis separavit, propriam erexit Ecclesiam, eamque *independenter* ab omni alio dominatu gubernavit. Crevit haec secta exiguo tempore, et nonnullorum suorum martyrio ab ipsis Reformatis honorata est. Utique Thascerus, et Coppingerus, quia Brownii libros evulgaverant tantummodo, suspensionem meruerunt. Qua eadem poena adfecti sunt Barovius et Grenovodus, quod, libris editis, Ecclesiam Anglicanam probris lacerassent, coetusque concivissent factiosos. Sed quid Brownius? ipse, severa sociorum animadversione fractus, ut hanc tempestatem averteret, aliam induit mentem, et ad Ecclesiam dominantem rediit, sacerdotium satis opimum adeptus; in quo cum quadraginta trivisset

annos

annos tandem tamen, propter uxorem male et duriter tractatam, in vinculis exspiravit. Ceterum Brownistarum apologiam, lectu dignam, conscripsit Johannes Robinson, Anglo-Leidensis, a. 1619., et jam antea confessionem fidei Anglorum, in Germania inferiore exulantium a. 1596., Genevensibus Reformatis conformem. In apologia autem quaedam in Ecclesiis reformatis Belgii, productis rationibus, carpuntur, animadversione non indigna. 1. Quod Ecclesiae particulares ampliores sint, quam ut unum in locum coire, et ab uno Pastore administrari possint. 2. Infantes eorum, qui non sunt Ecclesiae membra, ad baptismum admittantur. 3. Liturgiae, in specie formulae precum scriptae in usu sint. 4. In regimine Ecclesiarum Laici Presbyteri, ad tempus instituti, locum teneant, et plebs a consultationibus ac votis arceatur. 5. Alia, praeter diem Dominicum, festa celebrentur, divinitus non instituta. 6. Conjugia solenniter in Ecclesiis a Pastoribus consecrentur, cum non sint sacra, sed civilia et politica. 7. Dies vero Dominicus minus severe observetur, acsi divina careret institutione. 8. Viris, docendi licet dono instructis, potestas publice docendi non concedatur, sed certo ordini hominum adstringatur. Reliqua, ad Independentes pertinentia, non sunt hujus seculi.

REFORMATIO SCOTIAE.

§. CCCLV. Ecclesiarum *Scotiae* status ante reformationem, aeque ac reliquarum orbis Pontificii, totus erat depravatus, si non magis. Ignorantia, superstitio, avaritia, luxus, et reliqua vitia, totum Clerum et populum adeo occupaverant, et inundaverant, ut parum sani, aut Christiani, superesset. Imo tanta erat coecitas, inquit Buchananus hist. Scotiae l. XV., cujus ductum maxime sequor, a. 1545. *ut sacerdotum plerique, novitatis nomine offensi, librum Novi Test. contenderint nuper a Martino Luthero fuisse scriptum:* addit, Novum Test. habere, et legere, inter gravissima crimina fu-

isse illo tempore numeratum. Imo Cardinalis Betonius et Prorex Hamiltonius regiones circuibant, publice declarantes, se ad poenas de Novi Test. lectoribus sumendas ire. Episcopus Duncalde Foresto, Canonico regulari, continuo ex Vet. et Nov. Test. concionanti, regessisse traditur, *se, Deo sint laudes! multos annos vixisse, absque ut Vet. aut Nov. Testamentum cognoscat, sed suo Pontificali et Breviario esse contentum:* ut tradit Burnet. reform. Angliae p. I. lib. III. Interea sec. XV. studia jam ex Gallia quoque in Scotiam erant invecta, et Archiepiscopus S. Andreae Wardlavius Academiam in suo Archiepiscopatu erexerat, a. 1412. ejusque exemplum secuti erant alii. Coeperat quoque nonnullos eo tempore notitia verae religionis illustrare, sed qui quantum pote repressi sunt. Inter quos excelluit Johannes Resby, Anglus, Wiclefi opinionibus inbutus: qui, haeresios suspectus, ad rogum est, Wardlavii tempore, damnatus. Quam eandem sortem, viginti quatuor annis post, subiit Paulus Krau, Bohemus et Hussita, qui S. Andreae illas veritates instituerat propagare. Sub finem vero seculi superioris multi in limitibus Scotiae versus Angliam sese manifestarunt Lollardi, suamque doctrinam valde propagarunt. Vid. Burnet l. cit.

§. CCCLVI. Sed primus ad reformationem gradus factus est per *Patricium Hamiltonium*, ejusque martyrium a. 1527. Erat ipsi Regi Jacobo V., qui tunc regnabat, sanguine proxime conjunctus, et ad praeclara destinatus munera. Missus vero ad exteras oras, ut aptior redderetur, in commercium Lutheri, Melanchtonis, et aliorum similium, incidit, eorumque opiniones inbibit. Quas cum, in Patriam redux, ingente cum successu spargeret, multisque persuaderet, erat enim eruditus, blandus, et eloquens, adductus est S. Andream a Clericis, qui cum eo colloquendi praeferebant desiderium. Contulit etiam saepe cum Dominicanorum Priore, Alexandro Cambello, eo cum effectu, ut omnia fere reformationis capita vera esse confiteretur, qui tamen

ipse

ipse fraudulentus zelota eum accusavit, et martyrii ejus causa fuit. Noctu enim apprehensus, in castellum Archiepiscopi ductus, a duodecim Theologis, quorum unus erat Cambellus, quibus causa ejus erat examinanda commissa, condemnatus, et mox ab Archiepiscopo Betone ac sociis traditus est brachio seculari, ut combureretur: quod e vestigio est executioni datum, ne Rex, qui absens erat, veniam daret. Notatu dignum est, quod Cambellum, qui, praeter alios, ipsum ad fidem Catholicam adhortabatur, in haec verba, omnibus audientibus, fuerit adlocutus, *ego te, hominum nequissime! qui, quae nunc damnas, ea vera esse scis, et paucis ante diebus apud me es confessus, ad tribunal Dei vivi in jus voco.* Quibus verbis adeo fuit conturbatus miser mortalis, ut mentis ab eo tempore desierit esse compos, imo, ad furibundam delapsus insaniam, haud multo post infelicem animam exspiraverit. Ultima vero Hamiltonii notabilia fuerunt verba: *Domine quamdiu hae tenebræ hoc regnum occupatum tenebunt? quamdiu talem tyrannidem tolerabis inter homines? Domine Jesu suscipe Spiritum meum.*

§. CCCLVII. Hoc martyrium, quod semen fuit Ecclesiae Reformatae in Scotia, sicut in populo desiderium inquirendi produxit, ita et nonnullos in ipsa Academia convertit. Inter quos fuit Seton, Dominicanus, et Regis confessionarius, qui, gratia Regis propterea privatus, et a Clericis persecutionem passus, se in Angliam recepit. Paulo post Benedictinus aliquis monachus, nomine Forestus, in carcerem compactus est, quia Hamiltonium dixerat tanquam martyrem esse mortuum. Ut autem testimonia contra ipsum conquirerent, pudenda usi fraude, ut solent zelotae persecutores, alium ei adjunxerunt monachum, qui confessionarium ejus ageret: quo coram cum confessus esset, opiniones Hamiltonii defendi posse, mox, delata confessione, ad ignem est damnatus, tanquam haereticus. Ad locum supplicii cum duceretur *vae* pronunciavit in Monachos, et confessionarios, secretum confessionis non observantes. Corripuit etiam

ignis persecutionis alios. Anno enim 1534., severe in Reformatos est inquisitum. Quidam publice recantarunt, inter quos, praeter sex alios, fuit soror Patricii Hamiltonii, a Rege eo compulsa. Duo sunt cremati, Normandus Gourlaeus, et David Strato, purgatorium negasse, et Papae potestatem in Scotia, accusati, et posterior in specie decimas Clero solvendas. Sed tradit Buchananus, Stratoni, a Lutheranismo puro, inpactum tantum fuisse, quod in decimis solvendis pertinacius ageret. Denique alii, quia citati non aderant, exules pronunciati sunt, qui in Regnum Henrici secesserunt. Inter quos fuerunt Alexander Alessus, Johannes Fife, et Johannes Mackabaeus; quorum duo priores postea in Saxoniam tetenderunt, et Lipsiae facti sunt Professores, tertius in Daniam, Capellanus Christierni II. factus.

§. CCCLVIII. Grassata dein magis magisque est persecutio, posteaquam Rex, ducta uxore Maria Guisia, ab Henrico et Anglis plane avulsus, sese totus tradidisset Clericis regendum. Henricus quidem nihil non egerat, Maria quoque filia sua ipsi oblata, ad Regem a Papa abstrahendum, sed Papa Clemens VIII., et Clerus, animum ejus plenissime in partes suas traxerunt, ipsi cum opem promittendo, tum viam ad pecuniam corradendam, cujus indigus et avidissimus erat, monstrando, per inquisitionem in haereticos, eorumque bonorum confiscationem. Fecerat enim inter Nobiles, et divites, jam magnum progressum reformatio, et haeresios nota quibuscunque facile inprimi poterat. Ingens addidit momentum, ad Regem inclinandum, uxor Guisia, foemina valde superstitiosa, et religioni Catholicae addictissima. Anno itaque 1539., Episcopis Edenburgi in unum coactis, multi citati sunt coram hoc tribunali, et capti; quorum novem palinodiam cecinerunt, complures ad exilium, quinque ad mortem, sunt damnati, inter quos fuit Forestus, supra laudatus. Buchananus quoque, notissimus ille poeta et historicus, vir admodum eruditus, et praeclarus, in

in carcerem detrusus est, sed unde, sopitis custodibus, per fenestram evasit, ut ipse narrat lib. XIV. Quo eodem anno martyrio sunt adfecti duo, Roussel et Kennedy, quorum hic, quippe juvenis octodecim tantum annorum, cum retractare vellet, a socio admonitus, adeo est corroboratus, ut Deo propterea publicas egerit gratias. Porro a. 1540., cum Rex pecunia egeret, et Legati Henrici eum magnis promissis ad colloquium cum Rege Angliae incitarent, sacerdotes eum non tantum absterruerunt, sed et ad graviorem permoverunt persecutionem instituendam, Regi persuadendo, ex bonis eorum, qui a vetere religione deflectebant, in fiscum redactis, posse supra centum aureorum millia annua confici, modo Rex, qualem vellent, daret judicem. Addunt, *in quaestione exercenda nullum fore periculum, aut in judicando moram, cum tot hominum millia nihil dubitent, Vet. et Nov. Test. libros contrectare, de Pontificis potestate sermones serere, veteresque ritus Ecclesiae contemnendo, religiosis hominibus, ac Deo sacratis, obsequium ac reverentiam detrahere.* Unde sicut inprobus horum hominum animus elucescit, ita inmensus reformatorum numerus, et reformationis progressus, colligitur. Datus vero judex est haereticis Jacobus Hamiltonius, nothus, Comitis Araniae frater, multis largitionibus Clero obnoxius. Vid. Buchananus l. cit.

§. CCCLIX. Sed terribilis haec tempestas brevi est discussa, Jacobo Hamiltonio circumvento, et capite mulctato, ipsius Regis jussu, et Rege quoque, aegritudine animi et curis brevi post confecto, ac mortuo. Mens enim ejus aegra insomniis continuo solicitabatur, quorum unum, satis singulare, memorat Buchananus: videre sibi visus est *Jacobum illum Hamiltonium ense stricto in se ruentem, primum dextrum, dein sinistrum, detruncasse brachium, cumque comminatus fuisset, se brevi, ut vitam quoque adimeret, adfuturum, disparuisse.* Regi experrecto, et de somnio solicito, nunciatum est paulo post, utrumque filium, alterum ad fanum S. Andreae, alterum Sterlini, eodem fere temporis momento, decessisse.

cessisse. Rege defuncto, unica relicta filia, haerede regni, minorenni, et Jacobo Hamiltonio, Araniae Comite, Prorege constituto, triumphatura videbatur causa reformationis. Erat enim ipse Reformatorum fautor, et, ut fama ferebat, animi modesti et temperantis. Sed haec spes brevi decolavit, arte et fraudibus Cardinalis Betonii, qui Hamiltonium eo novit adducere, ut sententiam de religione mutaverit, sesque Cardinali per omnia fecerit obnoxium: adeo ut summa regiminis fuerit penes Reginam viduam, et Cardinalem, umbra penes Proregem. Cujus rei tristia mox senserunt Reformati effecta, a. 1545. Quo tempore Cardinalis Proregem, praetextu partium, quae seditionibus erant convulsae, sanandarum, vere, ut Reformatos puniret, per varias circumduxit regiones. Perthi, ex. gr., quatuor, quod carnem die vetito comedissent, supplicio sunt adfecti: mulier parturiens, quod virginem Mariam in auxilium non advocasset, una cum prole exstincta est. Taodunum profecti promulgarunt, se de Novi Test. lectoribus sumturos esse poenam.

§. CCCLX. Eodem anno captus, condemnatus, et crematus est, tanquam pervicax haereticus, vir insignis, *Georgius Sophocardius*, alias Wyshart, seu Wishart, quod est Gallicum Guiscard, a Buchanano in Sophocardium mutatum. Sed quod martyrium in ipsius Cardinalis necem exiit. Quae notabilis valde est historia, a Buchanano l. XV., et Burneto l. cit., narrata fusius. Sophocardius, nobilis Scotus, peritia et puriore doctrina hausta Cantabrigiae, in patriam redux a. 1544, in errores et mores corruptos sui aevi declamavit, veritatis lucem ubique sparsit, multos et doctrina, et pia vita, convertit, omniumque amorem, excepto Clero Pontificio, sibi conciliavit. Cum vero apud Johannem Cocburnum, virum nobilem, ad septem millia passuum Edinburgo, ubi tunc Ecclesiasticus habebatur conventus, diversaretur, missi sunt a Cardinale Betone equites, qui eum prehenderent. Quibus cum tradere eum nollet Cocburnus,

nus, non obstante Cardinalis et Proregis praesentia, fidem suam interposuit Comes Bothueliae, vir potentissimus, se ab omni damno eum defensurum. Coram tribunali itaque sacerdotum, hac fide data, comparuit, et haereseos pronunciatus est reus, ad supplicium tradendus Judici seculari. Recusavit quidem Prorex judicem, qui in reum animadvertere debebat secundum leges, quippe quod Clero erat illicitum, incitatus a Davide Hamiltonio Prestoniano, propinquo suo, et rem integram ad suum adventum servari jussit, secus si faxit Cardinalis, in ejus caput poena vertat: verum hic, nulla interposita mora, Georgium sua autoritate tradidit comburendum. Tulit martyrium pie et constanter, postquam, jentaculo cum familiaribus Praefecti arcis et ministris sumto, S. coenam quoque illa occasione cum ipsis participasset, palo adligatus dixit Praefecto arcis, qui eum bono animo esse jussit, *haec quidem flamma corpori adtulit molestiam, animum vero non fregit: at qui nos ex editiore loco tam superbe despicit*, (Cardinalem, qui oculos tam nobili facinore pascebat per fenestram, innuens) *intra paucos dies non minus ignominiose jacebit, quam nunc adroganter cubat.* Quod vanum non fuit dictum, sed eodem fere tempore exacte impletum. Quamvis enim a sacerdotibus ob praeclarum hoc facinus in coelum fuerit elevatus, non promiscuum tantum vulgus, sed plerique genere et opibus illustres, vehementius irritati, adrogantissimum sacrificulum, eundemque saevissimum tyrannum, tolerandum amplius non esse dictitarunt. Quindecim itaque eorum, in ejus necem conspirantes, ipsum in ipsa illa arce, et cubiculo ejus, trucidarunt, et cadaver per ipsam eam fenestram ostentarunt. Quod tamen ipsis male cessit, ut apud Historicos videre est; hic non narrandum.

§. CCCLXI. Reformatio licet hoc tempore ingentes fecisset progressus per totum Regnum, a populo, Nobilibus, et Principibus viris admissa, primas tamen sine gravi lucta, multis malis, bello quoque civili, obtinere non potuit, par-

 tim,

tim, quod Hamiltonio Prorege volente nolente se abdicante, Regina vidua, Pontificiae religioni plane devota, ad clavum regiminis fuerit admota a. 1554., partim Regni haeres filia nupserit Francisco II., Galliarum Regi, adeoque regni administratio a Gallis dependeret, ubi tunc Guisii dominabantur, a. 1557. Jacuisse quidem causa religionis ad illud tempus usque videbatur, morte Sophocardi nonnihil compressa, dum reformati ab altera parte censerentur contenti, *si in coetibus privatis tranquille Deum patrio sermone colere, et de divinis rebus sobrie disputare liceret*, Pontificii vero ab altera *Duce partium magis, quam vindictae cupiditate, carerent:* Caeso Cardinale, successor ejus magis quoque pecuniam, quam sanguinem, adversariorum sitiebat. Sed animi denuo a. 1558. inflammati sunt occasione martyrii *Valteri Milli*, sacrificuli, sed litteris non exculti, qui suspectus erat haeresios, quod missare aliquandiu desiisset, variisque in locis esset concionatus. Ad Clericorum conventum ab Archiepiscopo S. Andreae adductus, et de capitibus doctrinae Protestantium interrogatus, adeo acute et libere respondit, licet natura et aetate esset invalidus, verba sunt Buchanani lib XVI., *ut tanta animi magnitudo et fiducia in tam tenui corpusculo, etiam inimicissimis, Divini Numinis vi nixa videretur.* Cives vero S. Andreani hujus viri condemnatione adeo fuerunt exacerbati, ut nemo *judex* sedere vellet, nemo aliquid ad supplicium exsequendum venale haberet. Quo vita unum diem producta est. Postridie sese judicem obtulit unus ex Episcopi familiaribus, Alexander Somervallius, homo nequam, et ipse Archiepiscopus funes lecti sui dedit; quando palo adligatus, et combustus, est, indignante et fremente populo, qui, ne memoria mortis ejus periret, ingentem lapidum cumulum ibi congessit. Vid., praeter Buchananum, Burnetus p. II. ad calcem.

§. CCCLXII. Hoc facto martyrio, et aliis adhuc citatis, e quorum numero erat nobilis concionator, Paulus Mefanius, Proceres et Nobiles, qui una cum praecipuis civitatibus

tibus manus jam dederant reformationi, capita tandem erigere, et causam reformationis publice ac viriliter agere, inceperunt. Nobiles quidam, maxime e Fifa et Angusia, ut et cives aliquot oppidorum illustriores, per Scotiae praefecturas dispersi, hortati sunt universos, ut se tyrannidi communibus viribus opponerent, et reformationem introducerent, dicentes, *si jure vellent inimici agere, se esse superiores, si vi contenderent, non fore inpares.* Quotquot sese huic rei tradebant, nomina sua tabulis subscripserunt, nomine *congregationis* adsumto. Antequam vero ad extremum adduceretur res, miserunt hi purioris religionis vindices per Jacobum Sandelandium Caldoranum, aetate venerabilem et splendidum Equitem, postulata ad Reginam Regentem, *ut in sacris populari lingua uti fas esset, ministrorum electio penes populum foret, ut probi ministri eligerentur, et indocti ac flagitiosi removerentur.* Regina, se tempori cedere debere videns, respondit, invitis sacerdotibus, sed subdole, *patrio sermone uti licere*, hac conditione, ne doctores eorum Edenburgi et Lethae conciones haberent publicas. Sed, cum decreto Ordinum Rex Galliae, maritus reginae Scotorum factus, corona Scotiae esset ornatus, Regens, omnium nunc, ut putabat, rerum compos, animo mutato alia coepit uti oratione, dissimulaverat enim donec Regi Galliae coronam inpetrasset. Conventu itaque Sterlini indicto a. 1559. cum, *se non passuram majestatem summi inperii gradu dejectam, sed nobili aliquo exemplo restituendam*, declararet, reformati deprecatum ad eam venerunt, missis legatis, sed superbum retulerunt responsum, *invitis vobis, vestrisque ministris, isti, etsi Paulo Apostolo sincerius concionabuntur, tamen exulabunt*: cum porro supplices ei in memoriam revocarent promissa, regessit, *fidem promissorum a Principibus exigendam, quatenus eam praestare commodum iis videtur.* Ad quod cum animosum eorum responsum accepisset, *se ergo omne obsequium et parendi necessitatem ei renunciare*, de irae inpetu aliquid visa est remittere, verum nova fax iram mox acrius accendit.

 §. CCCLXIII.

§. CCCLXIII. Audito enim, Perthanos reformationem publice adsumsisse, Patricio Ruveno, urbis Praefecto, jussit, ut motus illos compesceret, sed responsum ab eo accepit, *se jus in animos non habere, tantum in corpora.* Theoduni quoque Praefectus, accepto mandato de Paulo Mesanio vincto ad Regentem mittendo, ei, ut urbe excederet, suasit. Denique ad conventus scripsit, ut Pascha celebrarent more Romano, sed nemo ei paruit. Quibus in furibundam conjecta iram *omnes Ecclesiarum totius Regni ministros* Sterlinum in jus vocavit. Sed incredibili sociorum numero, quo advenerant, perterrita Regens, promisit, *se nihil adversus eos molituram.* Quo promisso freti cum multi rediissent domum, Regens, promisso susque deque habito, die conventus expleto, *omnibus, qui citati ad nomen non respondissent, velut contumacibus, aqua et igni interdixit.* Quo irritati Proceres, qui odium Regentis inexpiabile, nullamque fidem, deprehendebant, de aperta vi et armis cogitarunt. Accessit tumultus populi Perthani, a Knoxio excitati, quo imagines cum aris, et aliis profani cultus monumentis, destructae, aedes Dominicanorum, Franciscanorum, et Carthusianorum dirutae et spoliatae sunt, spoliis in usum pauperum datis. Quo audito, Regens sancte juravit, *se civium sanguine, et oppidi incendio, tam execrandum scelus expiaturam esse.* Secuti interea Perthanorum exemplum Cuprenses Fifani, aedem, simulacris aut confractis aut ejectis, summo consensu quoque repurgarunt.

§. CCCLXIV. Quo rerum statu Regina vidua, Gallorum et Scotorum conscripto exercitu, Pertham copias misit, ut iram et minas exsequeretur. Sed, purioris religionis vindicibus ibi ingente numero ad vim vi repellendam paratis, de pace actum, et conventum est, ut, Scotis militantibus utrinque dimissis, oppidum ad paucos dies pateret Reginae, ad lassitudinem levandam, absque ut alicui civium inferretur damnum, aut Gallorum aliquis intraret. Sed dictis non stetit Regina, omnia enim ibi miscere coepit, civium alios

spoliavit, alios exilio mulctavit, Magistratus mutavit, Scotis etiam mercenariis praesidii loco relictis. De qua perfidia admonita dixit, *promissorum fidem a Principibus non esse adeo anxie exigendam, ubique haeretico non esse servanda promissa*: imo se nulla prohiberi conscientia declaravit, a tota illa secta ad internecionem delenda. Fuit hic dies ultimus Reginae rerum secundarum, et primus publici contemtus, ac ruinae, magnis per omnes Regni partes ortis motibus.

§. CCCLXV. Inceperunt mox Reformati, copiis coactis, in oppidum Caraliae, in extremo Fifae angulo, inpetum facere, aras evertere, simulacra confringere, omnemque missificandi adparatum destruere. Inde ad fanum S. Andreae profecti, reliquis divorum aedibus spoliatis, Franciscanorum et Dominicanorum coenobia solo aequarunt. Dein receperunt Pertham, Sterlinum occuparunt, et Reginam cum Gallis et Scotis suis fugarunt Dumbarum; denique Edenburgum venerunt, et ubique locorum superstitionem deleverunt, ac ab omni missificandi adparatu repurgarunt. Qua ratione ad incitas redacta Regina, inducias cum iis pepigit a die 24. Jul. ad 10. Januar., quae inter alia habebant, ut nemo cerimoniis, quas nollet, cogeretur uti, nec militare praesidium Edenburgi collocaretur, Parlamentum denique ad res religionis ordinandas 10. Januar. conscriberetur. Sed cum Franciscus, iis inprobatis, copias in Scotiam misisset, Reginae animus adeo est erectus, et inflammatus, *ut sancte promiserit, se propediem poenas de Divorum et Regum hostibus esse expetituram.* Erupit itaque res in acre bellum, Gallis Reginae, et Anglis Reformatis, opem ferentibus. Quae prolixior est historia, quam ut hic narretur. Vid. Buchananus lib. cit.

§. CCCLXVI. Cum Scoti, Elisabethae opibus et copiis adjuti, in ordinem redigi non possent, Gallus, belli pertaesus, animum adplicuit ad pacem, ope Elisabethae efficiendam. Quae antequam effectui potuit dari, occubuit Regina vidua, non mala foemina, nec infelix futura, si sui fu-

issset juris, nec a Gallis dependisset. Pax denique promulgata est 8. die Jul. a. 1560., his fere legibus, ut Galli excederent Scotia, et Angli tunc quoque copias suas educerent, Regina Scotorum Maria, consensu mariti Francisci, sanciret, lege lata, oblivionem omnium, eaque sanctio in publico Scotorum conventu adprobaretur, cui habendo Francisci et Mariae consensus accederet. Pace hac ratione inita, et copiis utrinque dimissis, summa fuit ab armis tranquillitas, usque ad Mariae Reginae reditum. Coepit vero Ordinum conventus haberi Edenburgi, in quo de vera religione promovenda potissimum est actum, decretumque 1. Papalem potestatem esse abolendam. 2. Leges pro religione Pontificia, et superstitione, latas esse irritas et nullas. 3. Puniendos esse, qui missam dicant, audiantve. Denique 4. Confessio fidei et religionis, a Knoxio conscripta, quae Genevensi per omnia respondet, confirmata est. Maria vero in Regnum redux nihil aliud inpetrare potuit, quam ut missam licuerit domi celebrare. Ultima tandem manus huic rei inposita est per Jacobum VI., qui Ecclesias Scotiae tamen multum turbavit per Episcopatus, quos introducere voluit. Sed de quo hic non est agendi locus, ut nec de Hibernica reformatione, cujus primordia e collectione Anglicana, sub nomine *Phoenices* publicata, at Latine versa, exstant in *scrinio* Gerdesii tom. VII.

REFORMATIO HUNGARIAE

ET TRANSYLVANIAE.

§. CCCLXVII. Restant regiones, in quas reformatio, sive Augustanae ad normam confessionis, sive Helveticae, quidem intravit, et occupavit, sed in quibus primas non potuit obtinere: quam historiam succincte, pro more, referam, initio facto a locis Germaniae vicinis, aut cum ea arcte conjunctis. Inter quae primo sese offert *Hungaria* et *Tran-*

sylva-

sylvania: quarum reformationis historiam summatim tradam ex *historia diplomatica* de *statu religionis Euangelicae* in Hungaria, incerto autore, a. 1710. edita, nec non Bonfinio hist. Hungariae, ac Lampio hist. *reformationis Hungariae*. In cujus *scrinio* tom. VII. exstant quoque ex MSS. Georgii Bod, Hungari, reformationis ministri, et Promotores. Semina reformationis, haud diu post Lutheri molimina, per Hungariam et Transsylvaniam spargi coeperunt, per libros Lutheri, ope mercatorum eo translatos. Qua ratione jam a. 1521., inter Cibinienses jacta sunt prima fundamenta, et a. 1522 duo Plebani, Ambrosius quidam Silesita, et Georgius, ex Ordine Praedicatorum, in Papatum instituerunt declamare: ipso Comite Saxonum, seu Regio, Marco Pemphlingero, qui ex libris Lutheri puriorem doctrinam hauserat, eo multum contribuente. De quo progressu etiam severum Ludovici II., Hungariae et Bohemiae Regis, edictum, ipsi a Clero extortum, et a. 1523. publicatum, testatur, quo libri Lutheri igni addicuntur, et in Euangelicos gravis statuitur poena. Quo tantum abest, ut opus cessaverit, ut longe ardentius fuerit susceptum, viris exercitatis Wittenbergam se jam a. 1524. conferentibus, ut notitia religionis instruerentur. Accidit, sicut narratur, ut, cum libri Lutheri in foro Cibiniensi publice concremarentur, Psalterium Lutheri Germanicum, mediis e flammis in sublime actum, et in Commissarii, ad hoc opus missi, rasum caput inciderit, et cranium excusserit, adeo ut brevi fuerit mortuus. Quod, sive verum sive fictum, creditum effecit, ut Euangelici sese magis in publicum dederint, Archiepiscopo Strigonensi brutum anathematis fulmen licet continuo vibrante. Frustra etiam fuit decretum, in Comitiis ad Pestum, in campo Rakos, habitis a. 1525., cusum, quo Euangelici exstirpandi, et, ubi reperiuntur, flammis tradendi, jubentur. Quo eodem anno conversio nonnullarum aliquot Ecclesiarum superioris et inferioris Hungariae initium sumsit. Budae vero huic operi incubuerunt viri egregii Simon

 Grynae-

Grynaeus, et Vitus Winshemius, Scholae Budensis, et Bibliothecae, praefecti, qui, inde pulsi, in Germaniam redierunt, Grynaeus etiam propterea in carcerem conjectus, sed Nobilitatis Hungariae ope liberatus est, postea Philosophiae Professor Basileae factus, sicut Winshemius Graecae Ling. Wittebergae.

§. CCCLXVIII. Quo in statu cum res essent, Ludovicus II., qui Clero, eum continuo incitanti, manus praebere fortiores promiserat, statim ac a bello Turcico rediisset, infelicissimo praelio Mohacsiano, ingente cum suorum clade, periit a. 1526., regnumque in adflictissima reliquit conditione. Quando nonnulli Procerum, ad animum revocantes, Praelatos bonis regni ditari, nihilque pro bono publico agere, bona Episcoporum, qui in praelio occubuerant, occuparunt et administrarunt; sed et mox reformationem admiserunt, ejusque strenuos se praestiterunt promotores. Primus et praecipuus inter magnates fuit Petrus Perini, districtus Agriensis Dynasta, dives admodum et potens, reformationem cum tota familia amplexus: cui Bonfinius introductionem ejus in Hungariam acceptam refert. Comes quoque Pemphlingerus, Cibinium redux, purius euangelium libere permisit doceri. Imo omnes fere Magnatum, Comitum, et Baronum, in Hungaria, familiae illud ab hoc tempore amplecti sensim coeperunt. Johannes quidem Scepusiensis, Rex Hungariae electus, Clero irritato aures praebens, reformatorum instituere voluit persecutionem, sed, brevi post a Ferdinando victus, in Poloniam aufugit; et Transylvania data est Alexio Bethlenio administranda, viro moderatioris ingenii, et ab omnibus in re religionis violentis mediis alieno: qui, dissidiis componendis, et Pontificiis ad magis Christiana media reducendis, incubuit; licet frustra. Praeterea eo ipso anno 1529. Cibinienses publico edicto Monachis praeceperunt, ut intra triduum, si Pontificiae religioni renunciare nolint, urbe excedant. Quod effectu non caruit.

§. CCCLXIX.

§. CCCLXIX. Anno sequente 1530. prima confessio, viginti articulos complexa, quinque liberarum civitatum superioris Hungariae, exhibita est Ferdinando I., Regi tunc Hungariae, et Bohemiae. Multi quoque Proceres in suis comitatibus permiserunt religionis reformatae exercitium, Patakini quoque cum Templo erecta est Schola illustris a Petro Parenyi, viro illustri, a. 1532. Nova quidem injecit inpedimenta Johannes Scepusiensis, recepta Buda, a. 1533., et Statilius, Episcopatu Albae Juliae ab eo inpetrato, vir Epicureus, qui inmaniter in Reformatos saevire coepit; sed hic brevi post inter multos conscientiae angores animam exspiravit, et Johannes, foedere, post multas concertationes, cum Ferdinando inito, ut per vitam gauderet regno Hungarico, et defuncto succederet Ferdinandus, a Reformatis vexandis abstinuit, defunctus a. 1450. Circa quae tempora reformationi plurimum profuerunt duo egregii viri, Matthias Devai, Lutherus Hungaricus a suis dictus, et Johannes Honterus, qui propriis sumtibus typographiam erexit in Transylvania, multosque libros, scientiae et reformationi promovendae inservientes, primus in lucem emisit. Devai bis in carcerem est trusus, Budae et Viennae, seseque colloquio cum Fabro, Episcopo Constantiensi, quod apud Lampe exstat, reddidit celebrem. Honterus vero a. 1542., autoritate Senatus Coronensis in Transylvania, una cum sociis, libellum reformationis non tantum cum publico communicavit, sed et totam Barciam in Lutheri transtulit castra.

§. CCCLXX. Quem progressum in Transylvania sistere conata est vidua Johannis Scepusiensis, quae, ope Turcarum Ferdinandi copiis profligatis, regno Hungariae, quod ex pacto debebat, cedere nolens, mox, in perfidiae poenam a Turcis regno exuta, in Transylvaniam cum filio minorenni secedere coacta fuerat, sed operam lusit. Comitiis enim regni Claudiopoli indictis a. 1543., et Coronensibus citatis, ut gestorum in causa religionis rationem redderent, tantum

abest, ut voti evaserit compos, ut multum causae Pontificiae nocuerit. Colloquio enim, quod consiliarii Reginae urserunt, inter Pontificios et delegatos Coronenses instituto, illorum causa plane fuit prostituta. Secuta mox est a. 1544. omnium Ecclesiarum Saxonicarum reformatio, ad Augustanae confessionis normam, in Transylvania. Dein a. 1545. Synodo Euangelicorum *Mediae* Saxonum, quod Transylvaniae est oppidum, coacta, sacra omnia secundum formam Saxonicam, seu Lutheranam, ordinata sunt. Quo eodem anno Synodus Reformatorum celebrata est in urbe Erdöd, sub tutela Gasparis Dragfii, et confessio fidei duodecim articulorum confecta. Ceterum hic vir spectabilis jam ab a. 1531. reformatis locum in oppidis suis Vyhaly et Erdöd dederat, conversus opera Matthiae Devay. Sed generalior Reformatorum Synodus a. 1549. habita est Tornae, seu Toronae, quae Temesvarum esse putatur, in qua tredecim conditi sunt, ad disciplinam Pastoralem ordinandam, articuli, sicut ibidem a. 1550. ad visitationes Ecclesiarum. Fecerat quoque jam magnos progressus reformatio in Hungariae partibus Turcico subjectis dominio; ut ex litteris Michaelis Starini, qui eo multum contribuit, apud Lampe, patescit. Bucerus etiam de *Regno Christi* cap. IV. testatur, non paucas suo tempore in Hungaria fuisse Ecclesias, quae cum pura Christi doctrina solidam etiam ejus disciplinam receperunt, custodiuntque religiose.

§. CCCLXXI. Turbata haud parum circa haec tempora est Ecclesia Hungarica per schisma Lutheranorum et Reformatorum, in causa sacramentaria, nec non quaestionem Stancarianam. Licet Saxonicae doctrinae principiis passim fuerint reformationis autores inbuti, non defuerunt tamen Helveticae addicti confessioni. Quales jam ante a. 1530. fuerunt *Johannes Praedicator* Cibinianus, et *Simon Grynaeus*, qui Budae docuit, ad partes Helveticas inclinatior, sed moderatior, et pacis studiosus, *Matthias Devai*, de quo supra, et *Stephanus Tzegedinus*; quibus plurimum debuit reformatio.

tio. Schisma vero praecipue erupit ab a. 1552., quo Synodus Saxonica Cibiniensis canones pro Augustana confessione, ejus apologia, utroque catechismo Lutheri, et articulis Smalcaldicis, condidit tanquam libris symbolicis. Ab altera vero parte nihil non pro Helvetica confessione molitus est vir magnae autoritatis et eloquentiae, *Martinus Calmanchaeus*. Quod ad posterius adtinet, *Franciscus Stancarus*, Mantuanus, Theologus et Medicinae Doctor, favebat quidem in re sacramentaria Reformatis, sed invidiam ipsis per errorem suum creavit, quem ubique in Hungaria sparsit et Transylvania a. 1553., de Christo non nisi secundum humanam naturam mediatore. De quo postea in historia Polonica.

§. CCCLXXII. Interea causam reformationis insigniter promovit, quod Inperator et Rex Ferdinandus I. liberum concesserit religionis exercitium quinque Hungariae superioris civitatibus liberis, Cassoviensi, Bartphensi, Epperjesiensi, Leutschoviensi, et Cibiniensi, praeterea Sepusii oppidis tredecim, et inferioris Hungariae aliquot, ut Posoniensi, Soproniensi, et aliis: Quod a. 1459. factum est. Sed, Synodo Tzengerina, a. 1557. et 1558. celebrata a Reformatis, nobilis illa concinnata et introducta est confessio, quinquaginta duas complexa propositiones, syntagmati confessionum a. 1612. inserta, pro publica Ecclesiarum Hungariae reformatarum confessione habenda. Lutherani partibus suis quoque non defuerunt firmandis. Duplice enim habita Synodo, eodem anno, una Claudiopoli, altera Cibinii, contra sacramentarios, ut adpellabantur, forma Ecclesiastica Saxonica est stabilita, Denique, ne omnia ad hanc litem pertinentia, quod longum et inutile foret, enarrem, solennior prodiit Ecclesiarum reformatarum confessio a. 1562. a locis, ubi scripta et publicata est, dicta *Tartzaliensis Tordensis*; quae insignem habuit successum, et deinceps a Siculis et Hungaris est adsumta, etiam a multis Saxonibus, contra Lutheranos.

§. CCCLXXIII. Firmata dein est a. 1563., pax religionis in Transylvania, edicto anni 1557. in Comitiis Tordensibus renovata, quo cuique relinquitur religionis libertas. Maximilianus II., Inperator, et Rex Hungariae, indulsit quoque a. 1564. religionis Augustanae exercitium civitatibus Montanis metallicis; pro aurea sua, juri naturae et Christianismo unice congrua, quam tenebat, regula, *Principum esse inperare corporibus hominum, sed conscientiis solius Dei.* Reformati vero, ut consensum suum cum aliis Ecclesiis testificarentur, earum confessiones etiam adoptarunt, ut a. 1566. Genevensem, et Helveticam, ipsam quoque Belgicam. Variae fuerunt sequentibus annis concertationes cum *Neoarianis*, ut vocantur, et *Socinianis*, quorum primipili tunc erant Lucas Agrinus, Franciscus Davidis, et Georgius Blandrata, de quibus postea alibi, varia habita colloquia, et concilia celebrata, quibus recensendis hic non inmorabor. In Synodo Szikszoviensi a. 1568., a qua panis azymus cum orbiculari hostia est abrogatus, et vulgaris panis introductus, haec inter alias proposita est thesis disputanda, et definienda, quod memoratu dignum videtur, *hunc Deum unum solum Scriptura S., propter tres distinctas, et hypostaticas, proprietates aeternas, item propter dispensationes et manifestationes, sensibiliter et realiter distinctas et patefactas, vocat Elohim, id est tres dantes testimonium, Patrem Filium et Spiritum S.* Qualia effata et alibi in disputationibus cum Anti-trinitariis occurrunt: unde judicium de Euangelicorum fide circa Trinitatem ferri aliquatenus poterit. Christum quoque et Spiritum S. adpellarunt *realem hypostaticam, et in se ipsa subsistentem potentiam, sapientiam et amorem Patris.* Manifestabant quoque propositiones, ibi factae, eorum fidem, aliorum dogmatum respectu. Notanda etiam est Synodus Cassoviensis, eodem anno celebrata, in qua Lucae Agriensis theses prolatae et refutatae sunt, edita quoque Trinitatis orthodoxa confessione. Lucas vero Agriensis, in fide sua constans, conjectus est in carcerem, et per quinque annos deten-

detentus, quando fidem profeſſus orthodoxam liberatus ei
Sed de Socinianiſmo poſtea agam.

§. CCCLXXIV. Jacturam quidem haud levem fecit E clesia a. 1572., morte duorum heroum euangelicorum *Steph ni Szegedini*, cujus vita, autore Scaricaeo Pannonio, et a quali, exſtat in ſcrinio Gerdeſii tom. VI., et *Petri Meli* ſed multum boni recuperavit in *Stephano Bathori*, qui J hanni II., Principi faventi Arianis, ſucceſſit in Tranſylv nia, qui Socinianos aula ſua expulit. Jeſuitas quidem i regnum admiſit, quod ipſi vitio vertitur, ſed ſe ab ipſi et Monachis, incitari ad Reformatos vexandos paſſus non eſ hac data reſponſione, *ſe Regem eſſe populorum, non conſcie tiarum*; *tria etiam Deum ſibi reſervaſſe, creare aliquid ex n hilo, praenoſſe futura, et conſcientiis dominari.* Cui concinit quod idem, Rex Poloniae factus, reſpondit Epiſcopo Olom cenſi, *religionem Chriſtianam occidi, non occidere, graviſſimu ſcelus eſſe dominari conſcientiis, id enim eſſe coeli arcem inv dere.* Fuit ceteroquin Jeſuitis valde addictus, qui, opera J hannis Leſſii, collegia primum in Tranſylvania, Claudiopo et Albae Juliae, dein etiam in Hungaria fundarunt, a. 1585 quorum collegia etiam ſub finem vitae commendavit Sigi mundo Bathoreo, ſucceſſori ſuo in Tranſylvania. Qu licet Jeſuitis ſe educationem, inſtitutionem, aliaque mult debere profeſſus ſit, illud non tantum non praeſtitit, ſed ad Statuum continuas inſtantias a. 1589. conſtituit, ut J ſuitae intra quindecim dies excederent ditione ſua. Cuj facti ſeriem e publicis documentis exhibet *hiſtoria diplomat ca:* quacum conferenda ſunt, quae in lucem produxit C Lampe. Evenit autem hoc Jeſuitis, ob nimium, ſaepe et am violentum, propagandae religionis ſtudium, multaſqu machinationes alias, a quibus regni metuebatur ruina.

§. CCCLXXV. Profuit etiam Euangelicis multum exen plo ſuo, quo Pontificiorum animos reddidit Reformatis f ventiores, *Andreas Dudithius*, Epiſcopus Quinqueccleſienſi qui ſacri ordinis Hungariae nomine fuit ad concilium Tr

dentinum miſſus, variiſque modis, ſibi inſtituta euangelicorum non adeo inprobari, demonſtravit. Ingentem etiam iis utilitatem adtulit *Caſparus Caroli*, Hungarus gente, Theologus Calvinianus, qui Biblia ex linguis originalibus tranſtulit in Hungaricam. Quae verſio poſtea eſt recognita ab Alberto Molnar, et ſaepius recuſa. Sed turbavit rurſus utriuſque confeſſionis Auguſtanae et Helveticae Eccleſias, pacifice degentes, inſanum nonnullorum ſtudium, qui famoſum illud *Ubiquitatis* dogma urſerunt: quorum praecipui fuerunt Gregorius Scultetus, paſtor Eccleſiae Bartfenſis, Georgius Mutakoſi, paſtor Eccleſiae Saarvarienſis, et poſtea Lutheranorum in Hungaria inferiore ſuperintendens, et alii ſimiles zelotae. Ejecti quoque ſunt Academia Wittebergenſi ſtudioſi Hungari, qui diſſentiebant, juſſu Principis, artibus Aegidii Hunnii, et Gregorii Mylii, circumventi.

§. CCCLXXVI. Tandem, ut hanc hiſtoriam concludam, publicae ſecuritatis et libertatis Euangelicorum fundamenta jacta ſunt in initiis ſeculi ſequentis, poſt multa a Pontificiis inflicta mala, animoſe tandem ab ipſis repulſa. Cuſum eſt a. 1604. in Comitiis Poſonii clandeſtinum contra Euangelicos decretum, quo ad novam perſecutionem via eſt ſtrata. Cum omnia in comitiis a Rudolpho Inperatore, et Hungariae Rege, Poſonii indictis, quibus Matthias Archidux praefuit, communi conſenſu eſſent peracta, nihil grave in cauſa religionis eſſet decretum, iis finitis, et Ordinibus Euangelicis ad ſua regreſſis, articulus aliquis, ipſis inſciis, additus eſt, quo religionis negotium in Comitiis agi prohibetur: quo ipſo Euangelicis poteſtas querelas de violentiis adverſariorum in Comitiis movendi, et remedia quaerendi, ademta fuit. Quem ipſum articulum Rudolphus confirmavit, renovatis ſimul deceſſorum ſuorum decretis et conſtitutionibus pro religione Catholica. Quibus muniti armis Pontificii hic illic in Euangelicos inſurrexerunt, Templa abſtulerunt, Eccleſias diſſiparunt, Paſtores expulerunt, multumque vexarunt Euangelicos. Sed quod ipſum in bonum eorum

ceſſit,

cessit, et stabilem peperit libertatem publicam. Cum enim, per modo memoratum decretum, viae ipsis essent ad statum suum tuendum obstructae, illi, tandem ad disperationem redacti, ducibus Stephano Bockzkaio, et Gabriele Bethlen, ad arma convolantes, terribiles concitarunt a. 1604. motus in Regno, Ducibus Austriacis caesis totam occupant Hungariam, ipsas Austriacas Provincias variis depraedantur invasionibus. Quae tandem animos ad saniora adduxerunt consilia, et pacem pepererunt Viennensem a. 1606., quae primum publicae securitatis ac libertatis religionis Euangelicorum jecit fundamentum. Huc enim usque religio eorum erat tantum tolerata, nulla lege sancita, nulla aulae autoritate, Magnatum maxime patrocinio, nixa: sed ab hoc tempore pro tolerata non tantum, sed et publice in Hungaria stabilita, haberi coepit; ut tenor *pacificationis* habet, superioribus constitutionibus omnibus abrogatis, nominatim articulo illo Posoniensi, qui diserte declaratur *extra diaetam, et sine regnicolarum adsensu adjectus.* Abiit porro haec ipsa pacificatio, religionis respectu, *in publicam Regni Hungariae legem*, a. 1608. Vid. *Historia diplomatica.*

ECCLESIAE BOHEMIAE.

§. CCCLXXVII. Purior religio per Bohemos fratres, quorum historia videtur hic pertexenda, antequam ad reformationem Poloniae enarrandam pergam, tanta jam superiore seculo fecerat incrementa, ut circa initium hujus fere ducentae fuerint Fratrum Ecclesiae in Bohemia et Moravia, quae varia inter pericula, et hostium persecutiones, statum suum utcunque sunt tuitae, imo, accessu reformationis, e Germania etiam ad Bohemos translatae, haud parum auctae. Vid. Regensvolschius in *hist. Eccles. Sclavonicarum Ecclesiarum*, et in primis *historia persecutionis Bohem.*, quae Comineum habet autorem, cap XXIII. et seq. Ex quibus monumentis summa perstringam capita. Uladislaus, Casimiri

Regis Poloniae filius, qui in Bohemia adhuc ad annum seculi decimum sextum regnavit, mitissimi animi Princeps, saepius a Catholicis in Fratres incitatus, eo se non est passus permoveri, nisi hoc seculo, licet invitus, inportunis hostium clamoribus resistere non amplius valens. Emanavit itaque a. 1503. edictum de inquisitione in Fratres instituenda, iisque a civitatibus regiis ac muneribus arcendis, et pro lubitu tractandis: quod nonnulli per carceres, exilia, et mortes, etiam experti sunt. Causam, vel occasionem, edicti, praeter apertos hostes, praebuerunt nonnulli Fratres. Orta enim quaestione inter eos, utrum Christiano liceat Magistratum gerere, gladio uti, juramentum praestare, aut exigere? plures quidem adfirmarunt, sed aliqui negarunt non tantum, verum segregem coetum Pragae instituerunt, et socios fidei criminati sunt, quod gladium sumere, seseque vi tutari proposuerint. Quod hostes adripuerunt, et Uladislaum in eos incitarunt, qui dixisset, ut fertur, *itane jam ergo nobis Zizkam reducere cogitant? compescendi hanc insolentiam non nobis deerunt viae.* etc.

§. CCCLXXVIII. Inpetrarunt quidem Fratres aliquam edicti mitigationem, Regi oblata confessione, et apologia, quae tom. I. Waldensium Lydii exstat; sed a. 1510. in comitiis Cattenbergae, ab Ordinibus utriusque partis, scilicet sub una, et sub utraque specie in eucharistia, unanimiter fere, rem ita dirigente Episcopo Varadenensi, Regis Legato, conclusum est, ut litterae Regis contra Bohemos in tabulas Regni, in perpetuum monumentum, deferrentur, et quantocyus executioni unitis viribus mandarentur. Unde ingens Fratribus luctus, hostibus vero magnum gaudium ortum est, sed ad brevissimum tantum tempus; praecipuis persecutionis autoribus, quod singulare est, mirabiliter e medio abreptis: quorum exempla apud Regenvolsch. exstant. Quod occasionem proverbii inter eos dedit: *si quem vivere piget, adgrediatur Picardos, non annum supervivet.* Decretum itaque vim non exseruit, licet aliqui adhuc ob religionem,

nem, seu zelum suum, passi sint, uti exemplum est in Andrea Polocoka, Cattenbergensi cive, qui zelum, quo populum ab idololatria publice avocare adgressus est, vivicomburio debuit luere, a. 1511. Hist. persec. Bohem. c. XXVI.

§. CCCLXXIX. Circa hoc tempus, vel paulo ante, Bohemi, utilitati Ecclesiae intenti, Biblia vernaculo idiomate primi Europaeorum curarunt inprimi Venetiis, et brevi post Noribergae, ubi etiam *confessio*, una cum *apologia*, Uladislao, ut modo dixi, oblata, excusa est, et a. 1511. ad Erasmum, ut examinaretur, et, si pote, adprobaretur, missa. Favorabile quidem ab ipso acceperunt responsum, sed adprobationem non inpetrarunt publicam, ob rationes prudentiae, quia sibi noceret, ipsis non prodesset. Causam tamen eorum egit Erasmus, in responsione ad Johannem Schlechtam, fratrum calumniatorem, cujus convitia mascule retudit. Vid. *excerpta librorum* Johannis Lasitii, ad calcem libri ejus *octavi*, qui solus est Latine editus. Familiarius vero cum Luthero habuerunt commercium ab a. 1522., a quo laudabile consecuti sunt testimonium, quo declaravit, *ipsos ad puritatem Euangelii propius accedere, quam ullos, quos cognovit.* Sed illud commercium a. 1524. interruptum est per decem annos, occasione legationis, eo anno ad Lutherum missae, ad *disciplinam in renascente Ecclesia ibi locorum inspiciendam.* Quae cum ipsis displicuisset, ob hanc causam Lutherus, a malevolis excitatus, minus bene ab eo tempore de Fratribus cogitavit, ac locutus est. Reprehendit in primis, quod infantes non propria in fide, sed Ecclesiae, baptizarent, morem cum foemina choreas ducere vetarent, justificationem denique hominis parum sincere explicarent, innocentiae vitae plus satis tribuendo. Ad quod Fratres, quod notatu dignum est, responderunt, se mirari, quod Lutherus *in fide depraedicanda, et peccatis per eam facile remittendis, adeo occupatus, in urgendis effectis justitiae fidei, per poenitentiam se exserentibus, minus operae poneret.* Vid. Lasitii excerpta l. cit.

§. CCCLXXX. Atra iterum tempestas ipsis incubuit, a. 1525., sed et cito est dissipata. In comitiis Pragensibus fuit, Ludovico Rege, decretum, Templa iis esse eripienda, et religionis inhibendum exercitium. Praetendebatur enim, eos in causa esse, quare Bohemi in gratiam cum Romana Ecclesia redire nequeant, Papa continuo diversas in Bohemia sectas objiciente. Sed, Ludovico in fatali pugna cum Solimanno a. 1526. ingente adfecto clade, et occiso, Bohemia etiam variis agitata motibus, religionis causa est neglecta, et Fratribus nata occasio, Templa sua recipiendi, et religionem exercendi. Quo in statu, licet non sine adversis et periculis, manserunt usque ad a. 1548. Vide Camerarius de Eccles. Bohem., et Scultetus in Annal. Amiserunt vero a. 1528. insignem, et de ea Ecclesia praeclare meritum, virum, *Lucam Pragensem*, scriptis quoque notum, cujus, inter alia, hoc notabile dictum memoriae proditum est, *Fratrum Ecclesiae non esse metuendum ab externis hostium persecutionibus, quibus illa exscindi non possit, sed a neglectu disciplinae*, etc. ut tradit Lasitius. Profuit autem ipsis libellus, fidem et disciplinam eorum complexus, ab ipsis compositus, et ad Georgium, Marchionem Brandenburgicum a. 1532. missus, qui, ipsis insciis, primum inpressus Tiguri, sed minus sincere, a. 1533., dein Wittenbergae eodem anno, cum Lutheri epistola commendatitia, quem ipsi postea emendatiorem, et multo auctiorem, Latine publicarunt a. 1538. Exstat in Waldensibus Lydii tom. I. Indicatur autem in praef., Bohemos, qui antea rebaptizabant, paulo ante novam libelli editionem, meliora edoctos, iterationem baptismi omisisse. Ex quo libello, quicquid ad religionis eorum notitiam facit, hauriri potest. Libello autem a Luthero commendato, Fratres commercium cum eo renovarunt, arctamque inierunt unionem a. 1538., biennio post repetitam, opera in primis Johannis Augustae, viri inter eos praeclari, qui triplici illa functus est legatione, et in tertia socium habuit Georgium Israelem: quibus, dextra data,

ta, his verbis valedexit Lutherus, *sitis vos Apostoli gentis vestrae Slavonicae, ego cum meis ero Apostolus gentis Germanicae:* nescio an satis modeste? Societatem etiam tunc fecerunt cum Martino Bucero Argentorati, misso ad eum, aliosque Argentinenses, legato, cum ut judicium eorum de confessione expiscarentur, tum ut ipsi aliorum cognoscerent instituta. Confessio vero, quam innuo, oblata est a. 1535. Ferdinando Regi, ut adsiduis adversariorum maledictis obviam irent fratres, seseque ab euangelicae et purioris fidei sectatoribus non discedere significarent. Quare Lutherus eam Wittebergae denuo excudi curavit, praefatione commendatitia praefixa. Prostat etiam in Waldensibus. Lydii tom. II.

§. CCCLXXXI. Status eorum, qui ad a. 1547. usque se haud male habuerat, subito turbari coepit per Ferdinandum, Bohemis ob negata subsidia contra Electorem Saxoniae infensum, in primis Fratribus, in quos omnis culpa fuit conjecta. Vid. hist. *persecutionis Bohem.* CXXXV. Ipse, Protestantibus in Germania superatis, a. 1547. Bohemiam cum exercitu intravit, Pragam occupavit, et praecipuos Baronum, Nobilium ac civium, carceribus inclusit, quosdam virgis percussit, alios morte punivit, vel pecunia mulctavit, aut proscripsit. Jesuitas quoque, ut adversarios facilius domaret, Pragam introduxit, splendido iis erecto collegio, unde in alia irrepserunt loca, viamque ad mala, quibus pressa est Bohemia, pararunt. Praeterea edicta publicavit varia, quibus Templa claudi jubentur, exercitium religionis prohibetur, dein regiis possessionibus intra 42 dies expelluntur, denique ministri Fratrum ad carceres damnantur. Unde factum est, ut varii fuerint adflicti, alii incarcerati, inter quos praecipui fuerunt Paulus Bossacus Diaconus, Georgius Israel, Pastor Ecclesiae Turnoviensis, et Johannes Augusta, Litomishiensis Pastor. Quorum duo primi singulari ratione divinitus, ut fertur, evaserunt in Prussiam, et tertius, post sedecim annorum moram in carcere, modico pane et aqua sustentatus, varie tortus, tandem Magnatum inter-

cessione a Maximiliano dimissus a. 1564. Alii, patria deserta, partim in Poloniam majorem secesserunt, partim in Borussiam Ducalem, quibus postea et illi se adjunxerunt, qui Polonia, in quam se contulerant, expulsi sunt jussu Regis, relicta tamen Ecclesiola tunc Thoruni, prima Prussiae Regiae urbe, ubi menses aliquot fuerant morati, tum Posnoniae in majore Polonia. In Prussia vero Ducali, sub auspiciis Alberti, Marchionis Brandeburgici, et Ducis Prussiae, postquam, edita confessione, puritatem fidei et religionis comprobassent Theologis, libere degerunt, religionis suae usi exercitio, usque ad a. 1574. Quo tempore, rebus in Patria laetioribus, alii Patrios repetierunt lares, alii in majorem Poloniam sunt reversi, paucis in Prussia manentibus. Prussia vero et hanc ob rationem excesserunt, quod, Alberto Duce mortuo a. 1568. Fratres per novi Ducis Theologos, nimio ductos zelo, facultate utendi ministris Bohemicis, suisque cerimoniis, orbati, etiam systemati alicui doctrinae subscribere coacti fuerint. Ceterum, durante hac persecutione Ferdinandina, publici coetus Euangelici in Bohemia cessarunt, sed multi latenter ibi degebant: in Moravia vero majore gavisi sunt libertate, sub Procerum tutela, qui subditos, licet non sine periculo suo, tutabantur: imo Slezanis in Moravia Synodus est a. 1557. habita, ubi Cleri numerus fuit supra ducentos.

§. CCCLXXXII. Laetiorem res Fratrum induerunt faciem sub Maximiliano II., Rege Bohemiae facto: qui, se omnes, lecta eorum confessione, in protectionem suam sumere, declaravit, quotquot ei subscripserint a. 1564. Quod majore adhuc praestitit efficacia Inperator in locum Ferdinandi electus, libero religionis exercitio ipsis benigne concesso. Erat enim Princeps admodum clemens, in cujus quoque gratiam Papa Pius IV. Bohemis Catholicis, licet sub multa restrictione, permisit communionem sub utraque specie, a. 1564. Vid. Bibl. Bremens. cl. VII., ubi brevis sacerdotum instructio hanc in rem reperitur. Dicere autem solitus

ſolitus erat Maximilianus, ut in hiſt. Perſecut. Bohem. cap. XXXIX. narratur, *eos ſibi videri thronum Dei invadere velle, qui conſcientiis dominari cupiant.* Cum autem Medicus ejus Johannes Crato, ipſi admodum familiaris, qui etiam eum in conſiliis pacificis multum corroboravit, dixiſſet, *nullam videri ſectam propius Fratribus accedere ad primaevam Eccleſiam*, Inperator ei adſenſum praebuit: ut Comenius ex Laſitio narrat, in *hiſt. Fratrum Bohemorum.* Accidit etiam a. 1565. ſingularis caſus, cujus non poſſum quin aliquam faciam mentionem. *Joachimus Baro a Neuhaus*, vel de *Nova Domo*, cancellarius Bohemiae, acerrimus Euangelicorum hoſtis, cum diplomata, quibus Uladiſlai edictum in Picardos renovaretur, inpetraſſet a Maximiliano, eaque in Bohemiam deferre vellet, portis Viennae vix egreſſus, ponte Danubii rupto, incidit una cum rheda in aquas, et ſuffocatus eſt: ſed, ipſo mortuo extracto, ciſta cum feralibus illis inſtrumentis nuſquam eſt reperta: uti narrat Comenius l. cit. Alii tradunt, illud accidiſſe, dum diplomata Viennam deferret Inperatori ad ſubſcribendum: ut Laſitius apud Regenvolſ. l. cit. Rem ipſam verbo memoriae quoque prodidit Thuanus lib. XXXVIII. a. 1565., ubi ejus mortem memorat. Floruit itaque, et valde multiplicata eſt, Eccleſia Fratrum ſub Maximiliano, ita ut in Bohemia et Moravia numeroſi admodum fuerint coetus, et patronos habuerint ſeptendecim Barones primarios, ex equeſtri vero Ordine 146., ut ex Fratrum apologia refert J. Laeti in compend. hiſtor. Tentata praeterea eſt concordia a Fratribus et Auguſtanae confeſſionis ſociis, effectaque fuiſſet, ſi diutius vixiſſet Inperator. Communis tamen et Calixtinorum, et Lutheranorum et Fratrum confeſſio, a. 1575., in Generalibus Comitiis a Paulo Preſſio, Lipſia Pragam vocato ad profeſſionem Theologicam, et Georgio Vettero, vulgo Strecio, Fratrum miniſtro, de quo vid. Laeti l. cit., et *hiſt. perſecut.* Bohem. c. XXXIX. conſcripta, et ab Academia Wittebergenſi adprobata, oblata eſt Inperatori, et ab eo admiſſa. Qua ratione

tione os fuit adversariis obstructum, qui Fratribus dissensum cum Augustanis objiciebant. Quae confessio Ordinum, Bohemice scripta, non est in linguam Latinam conversa, ac typis excusa, ante a. 1619., cum Frederico, tunc Regi Bohemiae electo, oblata est ab Academia et Consistorio Pragensi: nec tamen in *Confessionum harmonia* exstat. Denique notari meretur, Fratres manus admovisse versioni Bibliorum ex linguis originalibus, additis notis: prodiit prima pars a. 1579., et ultima a. 1593.

§. CCCLXXXIII. Rudolpho facto Inperatore res in tranquillo manserunt, et Fratribus successerunt feliciter, usque ad a. 1602. Quo hostes eorum occultis machinationibus decretum de edicto Uladislai contra eos exsequendo inpetrarunt, et publicari fecerunt, autore in primis Rumpio, Inperatoris Consiliario. Quo ipso die cum Albam, Hungariae urbem, a Turca esse captam, nunciatum esset Rudolpho, ipse dixisse fertur, *exspectabam talia, postquam hodie Dei regimen, quod est conscientiarum, usurpare coeperim*, teste Comenio l. cit. Nec temere dixisse ipso testatus est facto. Rumpio enim aula ejecto, jus sacrorum Fratribus ademtum restituit. Imo a. 1609, Ordinibus Regni sub utraque, sive Euangelicis, publica constitutione concessit, praeter liberum religionis exercitium, Templa, Scholas, consistorium inferius, et Academiam, prout antiquitus ad illos pertinuit. Quae omnia sunt effectui data, et laetissimam constituerunt catastrophen, Euangelicis etiam et Fratribus secum unitis, ac commune habentibus consistorium, pseudo-Hussitis per totum fere sublatis regnum, ita ut vix centesimus quisque superesset, qui non profiteretur fidem Euangelicorum. Vid. Regenvolsch. l. I. Nec tamen durabilis fuit prospera haec conditio, sed cum Rudolphi obitu mutare coepit, a. 1622., donec prolapsa fuerit, fratribus rursus in exilium missis, et gravi persecutione vexatis, sub Ferdinando II. De quo hic non est agendi locus. Vid. Hist. Persecut. Bohem. c. XLI. et seq.

REFOR-

REFORMATIO POLONIAE.

§. CCCLXXXIV. In hac illuſtranda hiſtoria inſignem poſuit operam Regenvolſchius, in *hiſtoria Eccleſiaſtica Sclavonicarum Provinciarum*, qui Eccleſiarum ibi erectarum, et variorum earum fatorum, exactam dedit notitiam. Nonnulla quoque huc facientia reperiuntur in Bibl. Brem. cl. VIII. Perſtringam pro more ſumma rerum capita, poſtquam de ſtatu Eccleſiae ante reformationem, et in ejus primordiis, quaedam praemiſero, quae viam ad eam reddiderunt faciliorem. In mediis ignorantiae et ſuperſtitionis tenebris, quae Poloniae haud minus quam reliquis orbis partibus incubuerunt craſſiſſimae, 1. non deficiebant animae ſimplices, quae in Dei miſericordia, et ſola Chriſti obedientia ad mortem, acquieſcebant, ſecundum praeceptiones, et quaeſtiones baptizandis et moribundis proponi ſolitas, antiquo ex more, adhuc in Polonia obſervato, quae omnem merentur animadverſionem, ſimul demonſtrant, capitales Chriſtianae fidei veritates per ſuperiora ſecula fuiſſe reſervatas. Exſtant apud Regenvolſ. 2. Haud pauci adhaerebant reformationi aliquali Huſſiticae, et coena Laicis ſub utraque ſpecie adminiſtrabatur. 3. Ipſa majoris Poloniae Nobilitas, in ipſo ſeculi introitu, Poſnaniae congregata, vehementer, et gravibus ſub minis, poſtulavit a ſacerdotibus reſtitutionem calicis. Quod tamen Epiſcopus Poſnanienſis tunc, bonis datis verbis, eluſit. Luce vero per Lutherum, et ſocios, in Germania, aliiſque in regionibus accenſa, aliquos etiam nonnullis in locis per Poloniam et Lithuaniam ante a. 1548. illuſtravit, et occulte proſerpſit, in primis in diſtrictu Cracovienſi, in Polonia Minore, ubi Johannes Coſmenius, et Laurentius Praſniſius, Sigiſmundi II. Auguſti Polonorum concionatores, puriorem doctrinam, non ſine notabili ſucceſſu, evulgarunt ab a. 1542. Sed cauſa illa mirabiliter eſt ab a. 1548. promota, et Eccleſiae brevi tempore poſt ubique ſunt per utramque Poloniam et Lithuaniam erectae.

§. CCCLXXXV. Cujus felicis periodi fundamenta posuerunt fratres Bohemi, a Ferdinando ex Bohemia a. 1548. pulsi, qui, per Poloniam tendentes, ibi aliquo numero moras traxerunt, et veritates Euangelicas adnunciarunt, eo cum successu, ut et inde expulsi ingens sui dereliquerint desiderium, praecipue Posnoniae, ubi paulo post reversi Ecclesiam coeperunt fundare: sicut a. 1549. Posnoniae factum est a Matthia Sconio, Seniore. Fratrum numero dein ibi aucto, Minister ordinarius creatus ibi est Georgius Israel a. 1551. Quando purioris doctrinae lux, et ibi, et in vicinis locis, illustravit multos, etiam viros et foeminas Nobiles, in quibus eminuit domus Ostorogiorum. Jacobus enim Ostorogius secum e regione Cracoviensi duxerat Felicem Crucigerum, e Papatu quidem egressum, sed minus adhuc instructum, cui adjunxit Franciscum Stancarum, Mantuanum, iisque terrarum suarum reformationem demandaverat. Factus autem per hos Doctores paulo alienior a Georgio Israele, et fratribus unitatis, quibus uxor et soror ejus adhaerebant, ita ut, cui parti in religionis negotio se adjungeret, dubius haeserit, subito, et singulari modo, ad puriorem fidem est conversus. Concione, quae a Fratribus in arce Ostorogana, ad uxoris ejus petitionem, habebatur, durante, ipse, a Pontificiis inflammatus, qui talem uxorem, quae novam religionem in domum introducebat, verberibus esse castigandam dixerant, arrepto flagello, ut hoc faceret, furibundus in conclave, in quo Matthias Erythraeus, adsidente Georgio Israele, concionabatur, intrat, sed, stupore correptus, concionem ad finem usque tranquille audivit, eo cum effectu, ut sese totum ab eo tempore adsociaverit Fratrum Ecclesiae. Quibus curam Ecclesiae Ostorogiensis dedit, Crucigero et Stancaro in destrictum Cracoviensem jam dimissis. Dixisse fertur Ostorogius, *tanta istius coetus reverentia se fuisse e vestigio captum, ut, si sibi dictum fuisset, sub mensa hac, vel hoc scamno, locum occupes, tergiversari non fuisset ausus, acsi coram tribunali Dei stetisset*, Receptus

itaque

itaque est Comes in Fratrum coetum a. 1553., seseque Ecclesiae insignem praestitit patronum usque ad mortem a. 1568. Crevit quoque ab eo tempore Ecclesia Euangelica insigniter. Quae latius non licet enarrare. Vid. Regenvolf. l. cit. Series vero Episcoporum, vel Seniorum Fratrum Bohemorum in Majore Polonia exstat in Scrinio Gerdesii tom. VII.

§. CCCLXXXVI. Ad minorem Poloniam et Lithuaniam antequam pergam, verbo notari velim, Ecclesiam Augustanae confessionis fuisse quoque Posnoniae fundatam a. 1568. per Nicolaum Gliesnerum, posteaquam Doctores Augustani jam ante ibi occulte sparsissent lucem Euangelicam, sub patrocinio Andreae, Comitis a Gorka, et filiorum ejus, aliorumque nonnullorum Nobilium. Sed et Helveticae confessionis Ecclesiae sunt erectae in Cujaviensi districtu per Andream Prasmovium, a. 1549. expulsum ab Episcopo Posnonia in Cujaviam. Fuerunt quidem initio Helveticae et Bohemicae Ecclesiae divisae, sed plenus postea consensus a. 1555. Cosminecii initus, et dein a. 1565. Lisscoviae, in pago Nobilis Patroni, simul Theologi, Jacobi Niemojevi, renovatus, denique in Synodo Ostorogiensi est consummatus seculo sequente; adeo ut Ecclesiarum illarum cessaverit distinctio.

§. CCCLXXXVII. In *minore* Polonia districtus Cracoviensis omnium primus luce Euangelica gavisus est, jam ab a. 1542., tum per Sigismundi Concionatores Johannem Cosmenium, et Laurentium Prasnisium, tum in primis per Franciscum Lismaninum Franciscanum, et Reginae Bonae confessionarium, qui in privato suo Collegio Theologico Cracoviae multos Romanae Ecclesiae errores in lucem protraxit, et refutavit: unde multi purioris doctrinae principia hauserunt, ipse vero ea ex libris exterorum, quos probe versavit, perceperat. Postea, Lismanino absente, Episcopus Cracoviensis Maciejovius evocavit ad Professionem Hebraicam in Academia Cracoviensi Franciscum Stancarum,

Mantuanum Italum, a. 1550., qui in Hebraicis suis lectionibus subinde doctrinas Euangelicas instillavit auditoribus suis: quare haeresios accusatus inde discessit. Lismaninus autem postea religionem Euangelicam palam suscepit, sed suspectum se simul reddidit novitatis circa Trinitatem. Coepit quoque in opere Reformationis laborare Felix Cruciger, ab Ecclesia novella electus *Superadtendens* a. 1554. Qui, ut cum sociis eo rectius formam Ecclesiae institueret, unum alterumve habuit cum Fratribus Bohemiae et Majoris Poloniae colloquium a. 1555., primum in pago Chremice, minoris Poloniae, mox Goluchoviae majoris Poloniae, denique Cosminecii, oppido Comitis Ostorogii in majore Polonia. In qua Synodo confessio, ordo sacrorum, et disciplina Fratrum, est adprobata, adeoque inter utriusque Poloniae Euangelicos inita unio, cui tamen, magno suo damno renunciarunt, in minore Polonia, fraude Arianizantium. Ceterum ad reformationem multum contulit schola Goltbergensis in Silesia, studio et opera Valentini Trocendorfii, qui, Melanchtonis imitator, scholae per triginta annos praefuit, a. 1556. mortuus. Longe itaque lateque propagatae sunt Ecclesiae, et Nobiles ac Comites plurimi sese puriori tradiderunt Euangelio. Circa haec etiam tempora in Patriam rediit Johannes a Lasco, a. 1557. variisque Synodis districtus Cracoviensis interfuit, veritatis euangelicae adsertor strenuus, et Stancari oppugnator, qui opinione sua de Christo, secundum humanam tantum naturam mediatore, Ecclesias tunc turbavit. Decessit a Lasco Pinezoviae a. 1560., quando Cracovienses confessionem Tigurinam, et ritus Helveticos, adoptarunt, usi Bullingeri et Calvini consilio.

§. CCCLXXXVIII. In *Lithuaniae* magno Ducatu Vilnensis districtus reformationis principia adoptavit primus, opera et patrocinio Nicolai Radzivilii, Ducis Olicensis et Niesviensis, qui multos et maximos in Patria gessit honores, Dux simul et Princeps sacri Romani Inperii, cum tota Rad-

Radziviliorum familia, creatus a Carolo V. in Comitiis Augustanis. Purioris autem fidei in Germania, ubi plus una vice functus est legatione, gustu hausto, redux a. 1553., pios et doctos Pastores e Polonia et Borussia vocavit, et euangelium in aula sua doceri jussit, dein in praedio Lukiscano, uno ab urbe Vilnensi lapide, publicum reformatae instituit religionis exercitium: quo ingens hominum numerus confluxit, cujusque sub auspiciis prima Synodus Vilnae a. 1557. celebrata est. Primus quoque Sarmatis dedit a. 1563. Biblia, ex fontibus per idoneos interpretes versa in linguam Polonicam. Magno ipsi in causa hac religionis adjumento fuit uxor ejus Elisabetha Szidloviecia, pia admodum foemina. Diem obiit supremum egregius Princeps a. 1565., eo majore damno Reformatorum, quod filii ejus ab eorum religione paulo post desciverint. Interea locum ejus in reformatione tutanda supplevit patruelis ejus Nicolaus Radzivilius dictus Rufus, sicut ille Niger; insignis quoque Euangelicorum Patronus, magnaque praeditus autoritate, Dux non tantum Birzarum et Dubiniorum, sed et Palatinatus Vilnensis, et summus exercituum Praefectus; cujus soror Barbara fuit Poloniae Regina, Sigismundi II. uxor secunda, mortua a. 1551. Dux vero est a. 1584. defunctus, ejusque posteritas ad hoc tempus usque, serie non interrupta, patrocinatur rei Reformatae.

§. CCCLXXXIX. Reformationis Poloniae summis ductis lineis, molimina Pontificiorum contra, ut et Principum edicta contra eam et pro ea, aliaque, quae eam turbarunt, et promoverunt, succinctim restant enarranda. Anno 1539. Senatoris Cracoviensis uxor Catharina, ob negatam praesentiam Christi secundum fidem Catholicam, est ad rogum damnata ab Episcopo, et exusta, Christiana cum fiducia et laetitia, falso religionis Christianae abnegatae, et Judaicae susceptae, accusata. Dein a. 1543. emanavit Sigismundi I., Regis Poloniae, Clero instigante, edictum, quo, libros e Germania in Sarmatiam invehi contra religionem

Pontificiam, vetatur, Germaniam ftudiorum caufa petere interdicitur juvenibus. Qui ipfe Rex poftea non tantum alienus non fuit a Reformatis, fed et iis patrocinium praebuit. Quem etiam animum fpiravit Sigifmundus II., cui propterea Calvinus commentarium fuum in Epift. ad Hebr. dedicavit. Quo irritati Pontificii, commodam coronationis Reginae Barbarae Radziviliae nacti occafionem, eam permittere recufarunt, donec Regi edictum, infciis Senatoribus, et Ordine Equeftri, extorferunt, quo Euangelicis, ad Regem delatis, denunciatum eft exilium, omnefque honores ipfis denegati funt: quod Cracoviae a. 1550. eft publicatum. Rege deinde fe aequiorem praeftante, et Nobilibus, libertate fua fretis, fefe Epifcoporum ingravefcenti poteftati ac licentiae ftrenue opponentibus, reformationi quoque patrocinantibus, Epifcopi, magis incitati, caufam fuam majore diligentia decreverunt agere, ac Nobilitati indicere bellum. Quo tumultu Polonia haud parum ab a. 1552. turbata fuit. Ut autem fefe Nobilitati, et Reformationi, fortius opponerent, a Papa inpetrarunt Legatum, qui in Polonia refideret, qui primus fuit ab a. 1555. Aloifius Lipomannus, Venetus, Epifcopus Veronenfis, a Paulo IV. eo miffus. Statim ac in Poloniam adpulit, fruftra renitente Nobilitate, Synodo ex Epifcopis et Abbatibus coacta, de modo religionem receptam tuendi deliberavit, fed et primum Antichriftianifmi fpecimen dedit in foemina quadam Chriftiana capitis fupplicio adficienda, quae rea hoftiae Judaeis venditae agebatur, quam Judaei cultris compunxiffent, ut fanguis manaverit: propter quod eorum crimen, licet non conftiterit, combufti funt.

§. CCCXC. Circa hoc ipfum tempus, feu a. 1560. reformatio ubique fere jam recepta erat, cum non folum ipfe Rex ei faveret, fed et Senatus Regni magnam partem ex Euangelicis conftaret, ipfi Ecclefiaftici Senatores nutare inciperent. Vid. verba Piafecii, Epifcopi Premyflienfis, in Chronico Poloniae, excerpta in Bibl. Brem. cl. VIII. ubi

etiam

etiam verba Stanislai Lubienski, eo spectantia, proferuntur. Fratrum vero unitatis Bohemicae, hoc ipso rerum statu, confessionem obtulerunt Sigismundo II., Euangelici majoris Poloniae, in comitiis Varsoviae, qui eam tanquam communi fidei consentaneam adprobavit, iisque pacem promisit, a. 1563. Interea haud parum dilaceratae sunt Ecclesiae quaestionibus circa Trinitatem, cum, sic dictis, Antitrinitariis, quorum praecipui fuerunt, praeter Stancarum, cujus supra, et alibi, memini, Georgius Blandrata, Theologus et Medicus satis celebris, Petrus Statorius Tonvillanus, Franciscus Lismaninus, Paulus Alciatus Mediolanensis, Valentinus Gentilis, Bernardus Ochinus, Paulus Orlacius, et alii, de quibus in historia Socinianorum agam: quibuscum, post multa colloquia, publicam habuerunt Euangelici disputationem Petricoviae in Comitiis a. 1565. Quo rerum statu, ut Ecclesiae rectius consuleretur, consensum in fide et religione, inter Ecclesias utriusque Poloniae et Lithuaniae sanciverunt Euangelici in Synodo Generali Sendomiriensi a. 1570., secundum confessiones Augustanam, Bohemicam, et Helveticam. Qui consensus deinceps in aliquot conciliis generalioribus, Cracoviensi a. 1573., Petricoviensi a. 1578., Wlodislaviensi a. 1583., et Turoniensi a. 1595., confirmatus est. Ex quarum Synodorum decretis ordo et disciplina Ecclesiarum Poloniae recte petitur. Ab illo autem tempore sensim collapsus est consensus, donec a. 1712. resuscitari coeperit. Ceterum eadem in Synodo Sendomiriensi confessio tertia Helvetica, seu Tigurina, lingua Polonica conscripta est adcuratius, conformis Augustanae et Bohemicae, hinc Sendomiriensis eximie adpellata, Sigismundo in Comitiis Varsoviensibus oblata a. 1572. Unde privilegium, publice datum, liberi religionis exercitii, ortum est: quod in Bibl. Brem. l. cit. recensetur. Novissime etiam in lucem misit, et historiam consensus ad nostra tempora usque pertexuit, Jablonskius in *historia consensus Sendomiriensis*.

§. CCCXCI. Sigismundo mortuo a. 1572. Ordines Polo-

niae et Lithuaniae, generali confoederatione, in generali convocatione Varsoviensi a. 1573. sancita, unionem inter Catholico-Romanos et Euangelicos fecerunt, ne religionis nomine alicui fiat injuria, aut ullis muneribus quispiam propterea arceretur. Exstant etiam verba confoederationis huc pertinentia in Bibl. Brem. l. cit., ex *volumine Constitutionum* Regni. Quam ipsam confoederationem Henricus Andegavensis, postea Henricus III. Rex Galliae, Rex Poloniae electus confirmavit, licet invitus, et tergiversatus initio. Adegit eo Regem Johannes Firlei, Palatinus Cracoviensis, qui, cum corona regia ei jam jam inponeretur, publice intercessit, ne ante praestitum in eam confoederationem juramentum id fieret. Addunt alii, Palatinum, arrepta corona exire voluisse Templo, et in haec verba erupisse, *si non jurabis, non regnabis.* Ita ex Annalibus Polonicis refert Regenfvolf. Sed Thuanus hist. lib. LVII. ejus non tantum non meminit, licet Palatini intercessionem referat, sed et sine juramento praestito dicit peractam esse coronationem, simplici facto promisso, Regem *de eo ex Ordinum sententia postea esse decreturum.* Patet nihilominus ex ipsis verbis confirmationis per Henricum, quae in Bibl. Brem. l. cit. prostant, eum vere juramento firmasse. Henrico dein, intra quatuor sui regiminis menses, e Polonia profugo, ut Gallicam coronam, Carolo IX. occiso, capesseret, successor ejus Stephanus Batoreus, Princeps Transsylvaniae, Rex Poloniae factus, foederis istius confirmationem sanctius et promisit, et praestitit. Pontificiis autem eum in Euangelicos continuo incitantibus, plus una vice, pie et fortiter respondit, ex gr. *sinamus eos, habent obligationem nostram, quam frangere nobis non licet: Rex sum populorum, non conscientiarum.* Edicto de pace religionis promulgato, dixit, quod supra etiam memoravi, *nolle se conscientiis dominari, si quidem Deus haec tria sibi reservarit, creare aliquid ex nihilo, nosse futura, et dominari conscientiis.* Cum Vilnae tumultus cierentur in Euangelicos, emanavit

mandatum

mandatum Regium a. 1581. in eorum favorem, lectu dignum, in Bibl. Brem. l. cit. Succesfor ejus Sigismundus III. dum coronabatur a. 1587. idem praestitit juramentum, de pace inter dissentientes servanda. Quod idem dein fecit Uladislaus IV. a. 1633., et successor ejus Johannes Casimirus a. 1648. Vid. Bibl. Brem. l. cit., ubi etiam sequentium temporum acta exhibentur, nec non variae dilationes, et restrictiones, eorum privilegiorum. De quibus hic non est agendi locus.

§. CCCXCII. Ceterum, ut illud dictis de unione Ecclesiarum Poloniae addam, Euangelici unionem illam conati quidem fuerunt, secundum decretum in Comitiis Varsoviensibus a. 1578., ad Ecclesias Germanicas transferre, scriptis ad Principes Euangelicos litteris, laudabili sane instituto, cum singulis fuerit confessio, una cum suis cerimoniis, relicta libera, hanc diversitatem unioni nullum creare praejudicium prudenter judicantes, tantum sessionem in S. coena improbantes, stabilita statione, vel genuflexione, quia sessio Ariano-Anabaptistis erat usitata: sed praeter promissa Principum nihil hac parte inpetrarunt. Quid? quod non defuerint inter Lutheranos zelotae, qui hanc Christianam unionem, tanquam minus solidam, et sinceram, traduxerint, et Fratres propterea vexarint. Porro, ut et illud verbo moneam, instituta est a. 1599. publica Vilnae disputatio, quae sex horas duravit, inter Euangelicos et Pontificios, disputatoribus ex Pontificiis Martino Smieglecio Jesuita, ex Euangelicis Daniele Micolajevio, Martino Janicio, et Martino Gratiano Gertichio. Sed parum effectum est, et non nisi, ob temporis angustias, de Primatu Papae actum.

§. CCCXCIII. Hac ratione reformatio in Polonia et Lithuania inter multa obstacula, partim a quaestionibus Antitrinitariorum, partim a Pontificiorum oppositionibus, aliquatenus fuit stabilita, et ubique per Regnum disseminata, adeo ut ingente numero fuerint Ecclesiae et Scholae in utraque

Polonia et Lithuania, quae postea tamen valde sunt imminutae. In majore Polonia fuerunt hoc seculo Ecclesiae Reformatae 68, nunc tantum 8. In minore Templa amplius 130, nunc vix 7. In Lithuania Ecclesiae 146., nunc vero 51. Scholae majoris Poloniae olim 7, nunc solum superest Gymnasium Laesnense, in minore Polonia fuerunt 15. nunc nulla: in Lithuania olim 8, nunc tres, Stucensis, Kievdanensis, et Berzensis. Vid. Bibl. Brem. l. cit.

REFORMATIO GALLIAE.

§. CCCXCIV. Fata reformationis regni Galliae, quae historia unice superest, summatim antequam enarrem, de statu ejus, ignorantiae, superstitionis, et morum corruptionis, respectu, pro more, uno verbo praemittam. Fuisse Ecclesiarum Galliae conditionem hac parte si non, quod verius tamen, deteriorem, utique non meliorem, reliquis Pontificii orbis regionibus De ignorantia, et depravatione, omnium ordinum et statuum, ipsi historici Catholici, sed et documenta notoria, abunde testantur. Vid. Petrus Juriaeus in *historia Anti-maimburgiana.* De superstitione in cultu Divorum et Reliquiarum in specie conspicua, utilissimus exstat Calvini libellus de *Sanctorum reliquiis.* Quo in statu cum Ecclesiae Gallicanae versarentur, mirum non est, ab una parte multos fuisse reformationis cupidos, et ab altera, plurimos in puriorem religionem hostilem fecisse inpetum. Viam vero ad reformationem aliquam e longinquo stravit ipse Franciscus I., Rex Galliae, per litterarum et artium studia resuscitata, et Doctis ac eruditis viris praebitum patrocinium. Quod ejus studium sicut omnes celebrarunt, ita confirmant facta. Vid. Sleidanus Comment. l. XIX., ubi mortem ejus memorat.

§. CCCXCV. Prima purioris euangelii lux videtur Galliis adfulsisse ex Lutheri scriptis, quae Theologis Parisiensibus ad examinandum, secundum Lutheri vota et provocationem, data

data sunt, a. 1521., ut suo loco supra narravi. Licet vero damnatae fuerint ab iis opiniones Lutheri, tanquam haereticae, et pessimae, ut refert Sleidanus l. III. a. 1521., nonnulli tamen ad adcuratius examen excitati sunt, et amore quoque earum capti. Sed insigniores primitiae sese Gratianopoli (Grenoble) praecipue Meldis (Maux) ostentarunt a. 1523. Vid. Scultetus in Annal. Gratianopoli in Delphinatu veritates Euangelicas docuit Petrus Sebevilla, ad quem exstat Zuinglii epistola, qua eum ad hoc opus strenue urgendum excitat, apud Scultetum. Meldae vero ad causam reformationis jam inclinabat ipse Episcopus Gulielmus Brissonetus, qui, Monachis exclusis, Lutetia excivit meliores Doctores, principiis euangelicis inbutos, Gulielmum Farellum, Jacobum Fabrum Stapulensem, duosque Ruffos, vel Roussellios, fratres, Arnoldum et Gerardum; qui tamen de separatione instituenda nondum cogitarunt, quod nec postea fecerunt posteriores. Destitit quidem postea ab hoc incoepto Episcopus, Regis et Inquisitionis metu, doctoribus fugatis: Stapulensis et Gerardus Roussellius in ditionem et aulam Margarethae Valesiae, charissimae Francisci Regis sororis, ac Reginae Navarrae, sese recipientes, licet totam Papismi formam non abjecerint, nec Reformatorum inpetum, ac praecipitem zelum, adprobaverint, quare male audiunt multis, multa mutarunt in primis in Missa, et viam ad Papismi abolitionem straverunt, quam instituit Johanna de Albret, Margarethae filia, et mater Henrici IV.; alii etiam alio se contulerunt: mansit nihilominus ibi semen purioris doctrinae, et prima ibi collecta fuit Ecclesia a. 1546., ut postea patebit.

§. CCCXCVI. His primitiis sese mox objecerunt Theologi Parisienses, quorum maxima est in Gallia autoritas, sine quorum consensu nemo aliquid evulgare audet, ut et Parlamentum, Rege tunc in Hispania captivo. Quem inpetum Meldis expertus est a. 1523. Johannes Clericus, qui, quod schedam valvis Templi adfixerat contra Indulgentias,

et Papam vocaverat Antichriftum, virgis caefus eft, notaque fronti ejus inpreffa. Qui ipfe, de zelo fuo nihil remittens, a. 1524. fimulacris extra urbem fractis, poft manum dextram amputatam, et brachia dilaniata, igni eft abfumtus. Vid. Scultet. in Annal. Luce purioris doctrinae nihilominus magis magifque per Galliam proferpente, Clemens VII. Papa, ea de re per Aloifiam matrem Francifci, adhuc captivi, admonitus, litteris ad Senatum Parifienfem eum a ftudio haerefios exftirpandae laudavit, fimul ulterius incitavit a. 1525. Convenit quoque inter Reges Hifpaniae et Galliae in pacificatione Madritiana a 1526, ut Chriftianae religionis hoftes, et *fectae Lutheranae exftirparentur haerefes.* Cujus effectum inter alios expertus eft *Ludovicus Berquinus*, vir fpectatae in aula Francifci I. autoritatis, qui, cum multos pios libros, inter quos erat Erafmi *enchiridion militis Chriftiani*, *Gallice* non tantum verteret, fed et, non obftantibus Erafmi et Budaei dehortationibus, in profeffione veritatis, ac Sorboniftarum infectatione, pergeret, laqueo praefocatus eft, et crematus Lutetiae, pio et conftante animo, inftar veri martyris. Vid. Epift. Erafmi ad Carolum Utenhovium vol. II. Epiftolarum Erafmi: quae etiam alibi exftat. Perdidit Berquinum, inquit Corn. Agricola epift. l. VII. in *Monachos et Theologos fimplex libertas;* qui ipfi etiam fruftra hoc inftitutum diffuafit. Quae perfecutio et alios progreffu temporis feriit, uti a. 1531., quo multi pii viri martyrio coronati funt in Gallia, inter quos fuit Viennae Stephanus Renier, Francifcanus, qui fuperftitioni fefe in dioecefi Viennenfi palam oppofuerat.

§. CCCXCVII. Crevit nihilominus reformatio, et longe lateque diffeminata eft, novis a. 1532 erectis feminariis, Aureliis, Biturigibus, ubi per zelum Calvini, qui utroque in loco ftudiis dabat operam, multum confirmati funt reformati, et Tolofae, quae, cum ipfa Aquitania, fidei purioris inftaurationem fere debet Julio Caefari Scaligero, cujus domo fideles, tanquam hofpitio, utebantur, multum quoque

reformationi per Galliam propagandae contulit Alexander Canus, Abrincensis, qui, relicto Dominicanorum Ordine, per Genevam venit Castilionem, Ducatus Borboniorum urbem, tandem Lugdunum, ubique intrepide spargens lucem euangelicam; donec ultimo in loco fuerit a. 1533. flammis traditus, tanta cum constantia et fide, ut nonnulli dixerint Monachi, *si hic salvus non esset, neminem mortalium fore salvum.* Vid. Acta Martyrum. Quam eandem sortem tunc etiam Tolosae subiit Johannes Caducus, Licentiatus legum. Vid. Scultetus in Annal.

§. CCCXCVIII. Tolerabilis hucusque fuit Euangelicorum in Gallia conditio, eorumque causa, inter Sorbonistarum et Senatus oppugnationes, satis feliciter processit, Francisco Rege connivente, ac cursum Euangelii, eo, quo dixi, modo permittente, sive ipse fluctuaverit, nec ab aliquali reformatione adeo fuerit alienus, sicut ex ardore, quo in litteratos ferebatur, non tantum colligi posse videtur, sed declaratio Ducis Aurelianensis, filii ejus, in conventu Protestantium Françofurtensi a. 1543., quae recensetur in litteris, et memoriis, de Vargas de *concilio Tridentino*, indicat, sive Protestantes Germanos, quorum amicitiam contra Caesarem ambiebat, offendere noluerit, et occasionem nervos incidendi reformationi exspectaverit commodam, salvo inclinationis suae ad eam, et ad Principes Germaniae, praetextu. Utique cum illa ansa ipsi a Reformatis Galliae esset, ut putabat, praebita, eosque acerrime coepisset persequi a. 1534. et 1535., se apud Principes excusavit, quod religionem eorum non debellaret, sed furiosos et seditiosos tantum, qui praetextu religionis Regnum turbabant, sicut alibi faciebant Anabaptistae. Imo hoc ipso tempore per Bellaium Langaeum, Legatum suum in Germania, se a multis et praecipuis Melanchtonis sententiis non adeo adhorrere, seseque eum in Galliam, ut cum eo conferat, vocare declaravit, quod tamen non est effectum. Vid. Sleidanus l. IX. a. 1535. et Seckendorf. hist. Lutheran. l. III. Cum autem hic pu-

rus putus ejus fuerit praetextus, ipseque sese mox pro religione Pontificia declaraverit, Calvinus, ut causam reformatam ab hac calumnia vindicaret, publicavit *Institutionum* suarum librum, admirabili illa dedicatione Francisco praefixa.

§. CCCXCIX. Praetextum autem, cujus memini, sub quo Rex in ipsam reformationem fecit inpetum, praebuit inprudens dicam an temerarius nonnullorum ex Euangelicis zelus, qui tot per omnia secula peperit mala, quo *stultissimis suis rationibus* Lutetiam et Regnum perturbarunt. Vid. Johannis Sturmii epistola ad Melanchtonem in Annalibus Sculteti. Cum Gerardus Rufus, Coraldus, Certhaudus, aliique, sub tutela Reginae Navarrae, primum publice concionarentur Lutetiae, dein, a Sorbonistis inpediti, privatim, ingente successu, nec id ferrent Sorbonistae: nonnulli zelotae Reformatorum irritati, programmata in Ordines Ecclesiasticos, missam, aliosque ritus Papisticos, Genevae excusa, multa in religionem dominantem odiosa complexa, in vulgus sparserunt, compitatim per Lutetiam adfixerunt, ante ipsum etiam Regis conclave, imo universam fere Galliam noctu inmanibus, et tragicis, exclamationibus turbarunt, ut Sturmius narrat: Rex damnanda hac licentia adeo fuit exacerbatus, ut nec ipse ullum amplius tenuerit modum, sed atroci edicto omnes, vel leviter ejus tumultus suspectos, comprehendi jusserit, qui, habita quaestione, vivi sunt concremati, horribili plane spectaculo: ut narrat Sleidanus lib. IX. a. 1534 et 1535. Acerrima mox secuta est persecutio, jussu Regis instituta: quam qua ratione coloraverit apud Protestantes Germaniae, modo exposui. Praeterea, ut zelum suum, aeque insanum, pro religione Pontificia in omnium ingereret oculos, publicam fecit a. 1535. supplicationem ad Templa Divorum, incredibili hominum concursu, ut Divinum scilicet Numen placaret, S. Genovefa, Numine tutelari Lutetiae, circumlata, ingente pompa, et missa peracta, praesentibus liberis, exterisque Legatis, et omni

circum-

circumfusa Nobilitate, prolixa oratione dolorem ex inpia hominum audacia testatus est, observantiam suam erga Ecclesiam Romanam exposuit, omnes etiam hortatus, ut ab hac pestifera secta sibi caveant, neminem enim, qui deprehenderetur, id inpune laturum. Expiationis etiam ergo producti sunt sex, qui diversis locis, per quae Rex domum tenderet, usti sunt, igni succenso cum praetervehebatur, qui multos alios capi jussit, qui variis in locis flammis sunt absumti, sed in duorum martyrum locum vel centum successerunt, ex cinere eorum orti, ut Mezeraeus observavit a. 1532.

§. CCCC. Initium itaque ab hoc tempore sumsit persecutio, et truculento modo exercita est, nec, ut alias moris erat, caussis poenarum specifice pronunciatis, ex. gr. quia carnem diebus vetitis comedit, hoc vel illud Pontificiae religionis dogma negavit etc. sed generatim et universe, eum Majestatem Divinam laesisse, in Mariam et reliquos Divos fuisse contumeliosum, et Ecclesiae, communis omnium Parentis, decreta violasse. Qua ratione vulgo fuit creditum, nihil in terra esse Reformatis nocentius, factumque est, ut inter populi execrationes fuerint ustulati, sine ulla misericordia. Imo nihil poenitentia sua lucrati sunt, quam ut minore cum cruciatu fuerint e medio sublati. Cujus notabile fuit exemplum in quodam nobili, et litterarum studioso, juvene viginti annorum Tolosano, qui propterea, quod carnem comedisset, morte punitus est, non quidem vivus crematus, sed ita, ut, gula laqueo fracta, pendulus ignem succensum persentisceret quasi, quia inpii judicis Morini, Lutetiae Propraetoris, minis perterritus, confessus erat, se inpie et irreligiose fecisse. Accidit a. 1538. Vid. Sleidanus lib. XII. a. 1538. Renovata porro identidem sunt edicta, et severiora facta, uti a. 1542. a Rege et Senatu, addita quoque in Reformatos inquirendi formula, per omnia religionis capita, quae ab Inquisitione nihil differt: cujus summa exstat apud Sleidanum, lib. XIV. a. 1542. Duorum autem martyrum historia reperitur in epistola Eu-

stathii a Knobeldorf ad Cassandrum in Epistolis Belgarum cent. I. Anno sequente 1543. doctrinae capita, a Sorbonistis concinnata, numero viginti quinque, promulgata sunt, populo per praeconem tuba convocato, et mox typis excusa, a Rege sancita sub gravi poena, si quis contra hisceret, addito etiam decreto de pervestigandis Lutheranis. Quibus capitibus librum opposuit Calvinus, quem *antidotum* nuncupavit. Longum foret, omnia tormentorum et suppliciorum enarrare genera, quae perpessi sunt Euangelici, aut confessorum ac martyrum contexere catalogum. Nihil enim Gentilibus, primis Christianismi seculis, hac parte cesserunt Christiani nominis homines. Incidit etiam in hoc tempus terribilis illa Merindolensium ac Cabrierensium, seu Waldensium, in Provincia Gallica, laniena a. 1545. Cujus historiam supra, ubi de Waldensibus, dedi.

§. CCCCI. Inter tot tantaque obstacula, et pericula, mirum tamen in modum auctus est Euangelicorum numerus, animi quoque magis corroborati et excitati sunt, ita ut separatas Ecclesias, sic proprie dictas, instituere non fuerint veriti. Cum enim antea sese, ut dicitur, negative tantum sejunxissent Reformati, a superstitioso cultu abstinendo, positivum instituerunt secessum ab a. 1546., Ecclesias formando, sacra in suis coetibus administrando, et presbyteria erigendo. Quod primum Parisiis est factum a Massono Riverio, vel, ut alii tradunt, Meldis a Petro Clerico, opifice. Utique Meldensis Ecclesia ad 400 jam excreverat, et sacra sua sub Clerico Pastore faciebat. In unum vero, sexaginta numero, coacti, et sacram coenam administrantes, capti sunt omnes, et Lutetiam deportati ac capitis damnati. Domum mox deducti, quatuordecim eorum, inter quos ipse Pastor, singulis palis adligati, uno eodemque momento combusti sunt vivi, reliqui partim virgis et fustuario, partim exilio, mulctati sunt, multis etiam linguae sunt praecisae. Memorabile est, Picardum, Doctorem Sorbonicum, concione post crudelia illa supplicia habita, non erubuisse, quae stupenda fuit insania,

insania, declamare, ad salutem esse necessarium credere, illos miseros in profundum usque infernum esse damnatos, Angelum etiam, si de coelo veniens secus diceret, esse rejiciendum, imo, quis non horrescat? *Deum non fore Deum, nisi eos in perpetuum damnaret.* Vid. *acta Martyrum Crispini* lib. III.

§. CCCCII. Henricus II., successor Francisci, a. 1547. defuncti, nihil de persecutione quoque remisit. Quo tempore Regina coronaretur, et ipse prima vice Lutetiam solenniter ingrederetur, a. 1549., nonnullis ob fidem ad supplicium, ipso spectante, raptis, supplicatio ad omnia Divorum Templa est instituta, et, edicto promulgato, declaravit, se veterem religionem mordicus esse defensurum, ac pestiferas illas haereses exstirpaturum. Incitavit quoque Regem ad crudelia illa facinora pellex ejus, Ducissa Valentinensis, Diana de Poitiers, inpudica et pessima foemina. Hugenotarum utique persecutionem non tam ex zelo religionis, quam ex ipsi placendi studio, fuisse ortam, ex historia Gallica clare patere, diserte dicit Amelotus in praef. apologetica versionis P. Sarpii hist. concil. Trident. Prodiit quoque rursus a. 1550. edictum in Euangelicos, quo in ipsos Judices, qui remissius aut in illos inquirerent, aut eos punirent, statuitur poena. Secutum est aliud a. 1551., quo cum Caesare bellum, et cum Papa inimicitias, agere incepit, longe atrocissimum, ne Euangelici ex hoc bello ansam licentius agendi adriperent, et ne suspicionem mutatae religionis incurreret ipse Rex. Etsi, ut multiplicia martyria enarrem, fieri hic nequeat, unum alterumve tamen non possum, quin adtingam. Novem sunt a. 1553. Lugduni adfecti martyrio, nequicquam intercedentibus Bernensibus, quorum liberalitate quinque eorum studiis navaverant Lausannae operam, Turnonio, praecipuo persecutionis flabello, contranitente. Alius eorum Ludovicus Marsacus, vir militaris, cum ex Scriptura multum proferret, retulit a Praefecto Regio hoc singulare responsum, *duos tantum esse Euange-*

listas Matthaeum et Johannem, reliquos, ut et Paulum, centones tantum consuisse, et, nisi Ecclesiae Doctores eam tribuerent Paulo autoritatem, se non pluris facturum ejus epistolas, quam Aesopi fabellas. Vid. Sleidanus lib. XXV.

§. CCCCIII. Furioso suo zelo magis adhuc indulgens miserabilis hac parte Rex edicto, a. 1555. scribi jusso, mandavit omnibus suis Praefectis, ut, quos Ecclesiastici Judices, et Inquisitores fidei, damnassent, pro delicti magnitudine statim sine mora, nulla adpellationis habita ratione, punirent; quod a tribunali Inquisitionis prope aberat. Sed hoc edictum, a Cardinali Lotharingiae ad Senatum Parisiensem, ut actis publicis, sicut moris erat, insereretur, relatum, Senatum vehementer commovit, quod provocationis beneficium eo tolleretur, quare intercessit, et Regi perniciosa effecta candide et copiose ob oculos posuit: imo addidit, Ecclesiam non ferro et igni, sed institutione esse tutandam et propagandam, adeoque violenta illa media sibi displicere, nec errantium producere emendationem. Vid. Sleidanus lib. XXVI. a. 1555. Nec tamen cessavit persecutio, quin nova et atrox est suscitata a. 1557., occasione tumultuariae coitionis plebis Pontificiae in Euangelicos, in unum, ut sacris defungantur, congregatos Lutetiae; quae propterea populari nomine adpellata est *expugnatio viae Jacobaeae.* Aedibus a plebe obsessis, reliquis se subducentibus, vel armis perrumpentibus, manserunt octaginta viri et foeminae, 120 dicit Thuanus ad a. 1557. quos Praetor, qui cum officialibus supervenerat, inermes licet, et sacra pie exercentes, invenerit, prehendit, et inter multa seditiosi populi probra in horridos et sceleratorum carceres compegit. Ut vero facilius damnarentur, rumores de industria sparsi sunt, horrenda crimina incestus, scortationis, infanticidii, et similia alia, in nocturnis illis conventibus, perpetrari: sicut antiquitus fuit a gentilibus objectum Christianis. Non obstante vero quod, scriptis et apologiis ad Regem missis, illa fuerint clare refutata, ipseque multis rationibus a persecutione fuerit

rit absterritus, sententia, jussu et instantiis Regis, procrastinante et tergiversante Senatu, est pronunciata damnatoria. Alii itaque cremati sunt, alii sententiam minus justo modo redemerunt. Vid. Commentarius, magni pretii liber, de *statu Reip. et Religionis* in Gallia, sub Henrico II. et seq.

§. CCCCIV. Tentarunt rursus a. 1558. inquisitionem invehere, litteris a Papa inpetratis, quibus tres Cardinales constituti sunt praecipui inquisitores. Quibus cum Rex adsentiebatur, Senatus repugnaret, tandem a Rege, in Senatum veniente, novae poenae capitales in Euangelicos constitutae sunt, qui, quod notandum, antea Lutherani, nunc sacramentarii, sectarii, et conventicularii dicti sunt. Executio tamen parumper est per bellum cum Hispanis, et alia negotia, dilata: quo etiam aliquid singularia Dei judicia in praecipuos Jacobaeae cladis autores, in commentario citato recensita, contulerunt. Sed et hoc ipso tempore mirum in modum propagatae sunt per universum Regnum Ecclesiae reformatae, non obstante, quod novae subinde occasiones, a populari seditione passim ortae, cursum illum sistere conatae sunt. Unum Andelotii, Amiralii Castillionaei fratris, et Ducis Peditum, memorasse casum suffecerit. Quo tempore duos inter Reges hostiles de pace, internunciis Granvellano et Cardinali Lotharingo, ageretur, Andelotius, vir probatae fidei et vitae, a Granvellano, ut, quantopere Gallia esset haeresi infecta, comprobaret, defertur; tanquam qui fratri Amiralio librum contra Missam miserit. Quod cum Cardinalis Regi intimasset, et Franciscus Guisius quoque, Thionvillam cum exercitu tendens, dixisset, se de felici eventu, praesente Andelotio, desperare, Rex mandat Amiralio, aliisque amicis, efficerent, ut Regi honorifice de Missa responderet, ut eum sic liberaret. Sed rogatus Andelotius a Rege libere respondit, Missam, qua sacrificium pro vivis et mortuis, esse unico Christi sacrificio injuriosam, et *detestandum commentum, ex libidine hominum confictum.* Thuanus lib. XX. tantum refert, eum *juxta*

Calvini doctrinam, minime fecundum Regis votum, refpondiffe. Quo Rex exacerbatus, eum munere privavit, ac carceri mancipavit: poftea tamen Regi reconciliatus eft, et reftitutus.

§. CCCCV. Pace inter Philippum, Hifpaniae Regem, et Henricum facta, quae etiam ad haerefes delendas fpectabat, Henricus feverius adhuc in Euangelicos infurrexit, et edicta renovavit. Intellecto vero, occafione *conventus Mercurialis* fec. fuperiore inftituti, et hoc fec. renovati, ad cenfuram in Senatores, fi male fe gefferint, exercendam, die *Mercurii* habere foliti, unde nomen traxit, et *Mercurialis* pro cenfura publica in ufu effe coepit, in ipfo Senatu non deficere, qui non tantum illud inprobabant, fed et ad Reformatos inclinabant, et judicia propterea fegnius procedere, in Curia fe praefentem ftitit, ut hoc exploraret, et corrigeret. Fuerunt autem inter Senatores, qui mentem, praefente Rege, libere explicuerunt, dicentes, concilium prius effe convocandum, ut de haerefi conftet, et intermittenda effe fupplicia. Quo factum eft, ut Annas Burgaeus, vir pius et eruditus, Ludovicus Faurus, alii, qui illud dixerant, capti fint juffu Regis, nec non Fumaeus, Foixius, alii, qui adfenferant, nonnulli urbe exceffierint, qui Praeconis voce proclamati funt. Vid. Thuanus lib. XXX.

§. CCCCVI. Interea aufi fuerunt Reformati inter haec tanta difcrimina, et perfecutiones, in Synodum convenire: quae prima ab iis eft habita a. 1558., Praefide Antonio Sadeelo, Paftore Ecclefiae Parifienfis: in qua celebris confeffio Gallicana eft confcripta, quae in *Commentario de ftatu religionis* etiam exftat, et difciplinae forma conftituta; poftea multis in Synodis amplificata, et confirmata. Imo hoc ipfo a. 1559. Miniftri euangelici, Parifiis conventu habito, Praefide Francifco Morello, multa ad regimen et difciplinam pertinentia, fanciverunt, *fpreto*, inquit Thuanus l. cit. *certo necis metu.* Perfecutio autem, non obftante Principum Germaniae feria interceffione, per folennem legationem

gationem facta, lectu apud Thuanum digna, est summo studio resuscitata. Annas Burgaeus non tantum ab Episcopo Parisino, cui Rex hanc causam, contra Senatorii Ordinis privilegia, commiserat agendam, haereseos est condemnatus, sed et nova Regis rescripta ad totius Regni Parlamenta missa sunt, ut quam severissime urgerent persecutionem, alioqui de ipsis sumendam esse poenam. Quo in difficillimo, et fere desperabundo, statu Deus singulari intercessit judicio. Convivia festiva cum Lutetiae agerentur, causa matrimoniorum inter Reges hostiles, Hispaniae et Galliae, nunc reconciliatos, Rex, qui equestri certamine in hippodromo voluit cum Comite Bongomerio, custodiae Regiae Praefecto, eodem illo, qui Burgaeum in carcerem deduxerat, decurrere, ab eo lethaliter vulneratus est, frustulo per cassidem in oculum ingresso, unde multos inter dolores mox animam efflavit. Dixisse fertur, *se vereri ne in eos Senatores quid iniqui commisisset*; ut Thuanus refert, sed addit, *se non adfirmare, verum sit, nec ne?* Mezeraeus vero tradit, regem loquelae et rationis ab eo casu non fuisse compotem, et concludit, inde falsi convinci, quicquid ab ipso dictum narratur. Adeo vero in eos exarserat infelix mortalis, ut minabundus dixerit, *se suis oculis Burgaeum cremari conspicaturum.* Sed nec inopino ac luctuoso hoc Regis casu finita est persecutio, aut Burgaeus ereptus, quippe ab Episcopo jam damnatus; adversariis nimium inportune executionem urgentibus. Revocata itaque confessione, nimis ambigua, quam amicorum suasu, ut liberaretur, ediderat, et alia copiosa ac clara emissa, ignis judicium pie et constanter a. 1559. sustinuit. *Ipse se veste exuit*, verba sunt Thuani l. XXIII., *et cum in altum attolleretur*, *aliquoties auditus est haec verba pronuncians*, *Deus mi ne me derelinquas*, *ne ego te derelinquam.* Relicta autem ipsi lingua, quae alias praecidi solebat, sub conditione, ne quid ad populum proferret, nihil aliud effatus est ac, *non ego hic sum ut latro*, *aut homicida*, *sed tantum evangelii causa.* Profuit autem hac

sua morte Burgaeus, pietate et eruditione celebris, multum disseminandae reformationi. Ceterum reliqui Senatores cum ipso capti in libertatem sunt restituti.

§. CCCCVII. Francisco II. in locum Henrici inaugurato, longe atrocior est instituta persecutio per Guisios, quorum neptis, Regina Scotiae, nupserat Francisco, adeoque summa erat autoritas. Fuerunt autem capitales Reformatorum et infensissimi hostes, ea etiam de causa, quod potentiam suam, cui firmandae unice erant intenti, salvis Reformatis, stare non posse arbitrabantur: severissima itaque promulgata sunt edicta, summo gradu Antichristiana, quibus clandestini quoque coetus facti sunt capitales, dogmatum inperata investigatio, et Praetori rerum capitalium potestas data est, sententias sine provocationis beneficio ferendi, ipsis etiam delatoribus constitutis praemiis: additum, sed dicis causa, tamen fuit, ut calumniatores talione plecterentur, *ne qua calumniis*, inquit Thuanus lib. XXV., *ansa praeberi videretur.* Erat vero hoc tempore longe lateque propagata reformatio, per totum Regnum, multosque habebat vel confessores, vel patronos, inter viros Principes. Quorum eximii fuerunt Amiralius Colignius, cum fratribus, Margaretha Navarrae Regina, Renata Ducissa Ferrariae, et Francisci Regis filia, Johanna d'Albret mater Henrici IV., Telignius gener Colignii, Michael Hospitalius, alii. Quibus etiam adcensetur a multis Monlucius, Episcopus Valentinianus, nec male, si fidei, et non morum, a quibus se minus probatum praestitit, ut fertur, habeatur ratio. Imo hoc ipso tempore accesserunt alii magnates, ut Reges Navarrae, Principes Condaei, Chatillonei, et alii. Quorum accessio etsi Reformatos aliquatenus confirmavit, et animavit, gravissimorum praebuit motuum, et bellorum civilium, occasionem, quibus Regnum horribili modo est concussum.

§. CCCCVIII. Causae motuum a. 1560. fuerunt partim civiles, partim religiosae. Guisii cum in aula dominarentur, exclusis propinqui sanguinis Principibus, illique se regni ad-

fectati

fectati valide suspectos fecissent, praeterea Reformatorum excidio inminerent, Principes, id ferendum non rati, maxime cum Guisii essent peregrini, metusque esset haud vanus, eos regnum esse rapturos, et de reformatione actum iri, consilia sumserunt, Regem in suam redigendi potestatem, et Guisios de gradu deturbandi. Quo fini in eos conspirarunt non reformatae tantum religionis patroni, sed et alii Nobiles permulti, qui libertatem Gallicanam a Guisiis proculcari aegre ferebant. Initum est hoc consilium Nanneti, in Britannia inferiore, cujus articuli eo tendebant, *ne quid in Regem, Regisque consanguineos, et Regni statum, fieret: illorum dignitas, Patriae libertas, a peregrinorum violentia liberetur.* Dux foederis eligitur Renaudus, aliaque ad rei executionem parantur. Interea tota haec conspiratio non per rumores et litteras, aliis etiam ex oris, tantum ad Guisiorum aures pervenit, sed et plane ac plene iis innotuit per patronum, seu causidicum Parisiensem, hominem, inquit Thuanus, ineruditum, P. Avanellam, pro zelota reformationis habitum, qui nonnullis coetibus, hanc in rem habitis, interfuerat, sed qui, secundum Thuanum, *magnitudine negotii, ac periculo, territus, et quod id licere salva conscientia minime crederet*, conspirationem detexit. Ambaxiam itaque, (Amboise) cujus firmissima erat arx, deducitur Rex, ut ibi tutius degeret: Francisco Guisio suprema datur potestas, ut Regis vicem obeat. Cum vero, non obstante hac detectione, consilia exequi vellent, et armati per varias turmas tenderent Ambaxiam, partim capti sunt, partim occisi, omnes dissipati. Sumto etiam de captis gravi supplicio, tanquam laesae majestatis reis, alii sunt capite truncati, alii ad arcis fenestras suspensi, alii in fluvium projecti. Inminere praeterea in eos coeperunt Guisii, quos conscios suspicabantur conspirationis, inter quos erant Rex Navarraeus, et Princeps Condaeus.

§. CCCCIX. Hic tumultus, dictus *Ambaxianus*, cujus originem, causas, praetextus, et effecta, fuse enarrat Thuanus

lib. XXIV., qui magnorum motuum, et eventuum, praebuit initium, effecit, ut paulo mitius et benignius fuerit initio cum Reformatis actum, Cardinale Lotharingo in primis pavore correpto, qui cum Euangelii miniftris nonnullis fubinde de religione amice eft collocutus: quo caufa reformationis multum denuo eft corroborata et promota. Concilio regio dein convocato, ut rebus perturbatis fuccurreretur, Rex juffit, ut fententiam de mediis, quibus in meliorem ordinem redigi poffint res, libere dicerent confiliarii. Quo in conventu de neceffitate alicujus reformationis, de concilio Nationali cogendo, fi Generale non procedat, vel colloquio habendo, libere differuerunt Janus Monlucius Epifcopus Valentinianus, Carolus Mazillacus Epifcopus Viennenfis, et Gafpar Caftillonaeus Amiralius, qui etiam duos fupplices libellos, nomine fidelium Chriftianorum, per varia Galliae loca difperforum, Regi aufus eft offerre, addito, paratos effe, ad quinquaginta millia, qui coram Rege compareant. Contradixerunt vero Dux Guifius, et Cardinalis Lotharingus, qui tamen in Ordinum conventum confenferunt, et pofterior etiam, fe a perfecutionibus effe alieniorem factum, declaravit. Exftant Orationes illae in citato *Commentario*, et adtentione dignae funt. Conclufio vero Colloquii hujus Regii fuit, *ut generales Regni Ordinum conventus habeantur, et, ni poffet concilium Generale cogi, Nationale propediem convocetur:* omnia ad id praeparentur, et *interea poenis et fuppliciis parcatur, nifi in eos, qui arma fumferint, feditionesque moverint.*

§. CCCCX. Creverunt quidem hac ratione Reformatis animi, qui etiam ab hoc tempore adpellati funt *Huguenoti* a Catholicis, quafi dicas, ut nonnulli opinantur, *eedgenoten*, Mezeraeus etiam in vita Francifci II. tradit, fe rationes habere pro ea opinione, addit, nomen effe Helveticum *Eidgnoffen* a Genevenfibus corruptum in *eedgenoten*, vel, ut refert Thuanus lib. cit., ab urbe Caefaroduno, ubi, ad incutiendum infantibus, ac fimplicibus feminis, per fpectra terrorem, *Hugo*

rex

rex celebratur, qui noctu pomoeria civitatis obequitare, et obvios homines pulsare, et rapere, dicebatur: a quo *Hugonoti* adpellati sunt, *qui ad ea loca ad conciones audiendas, ac preces faciendas, itidem noctu, quia interdiu non licebat, agminatim in occulto conveniebant*, antea vulgo *Lutherani*, postea etiam *Calvinistae*, dicti: sed laetior haec facies brevi per Guisios est mutata, qui in Condaeum tanquam tumultus Ambaxiani, et novorum motuum, autorem, e medio tollendum intenti fuerunt. Quem in finem familiares Condaei quotidie in vincula conjecti sunt, et novum cusum est decretum, *ne quis ex Principibus, aliisque, milites, pecuniam, arma, equos faciat: qui hoc fecisse compertus fuerit, Regiae Majestatis laesae haberi reum.* Citati sunt, praeter Navarraeum, Condaeus, et frater ipsorum Cardinalis Borbonius, ac Ordinum convocatio Meldis est translata Aurelias: quo Rex militari more venit. Mandatum est, ut fidei articulos, a Sorbona a. 1542. confectos, unusquisque confiteretur. Condaeus vero et socii cum advenissent, ipse mox in carcerem conjectus est, et Navarraeo explorando et observando adjuncti sunt aliqui, capitur etiam Condaei socrus: Andelotius vero tempestive discesserat. Actione in Condaeum instituta, ipse supplicio fuisset adfectus, nisi inopina Regis mors ipsum liberasset. Guisiorum enim artibus et commentis Rex in opinionem venerat, eum in Regis exitium conspirasse. Correptus autem Rex a morbo auriculari, abscessu, in cerebro nato, per aurem suppurante, inter multos cruciatus exspiravit a. 1560. Mens. Decemb.

§. CCCCXI. Ingens tunc rerum accidit mutatio. Carolo IX. successore minorenni, divisi fuerunt initio optimates circa regni administratorem in duas factiones; Reginam volebant Guisii, Nemorosius, Mareschalli, Santandraeus et Brissacus, et Cardinalis Turnonius; sed alii Navarraeum, quorum praecipui erant Connestabilis, Amiralius, et duo Regis Navarrae fratres, Condaeus enim e carcere erat eductus. Quae divisio cum ad bellum verteret, Navarraeus

cum Regina matre Catharina communicavit administrationem, ita etiam, ut praecipua penes ipsam esset potestas: quae tamen postea, novis Guisiorum causa ortis dissensionibus, fuit restricta, ita ut sine eo nihil potuerit Regina. Quibus ita ordinatis instaurata sunt Comitia, in quibus Cancellarius copiosa et gravi oratione de perturbati status caussis et remediis disseruit. Ordines etiam duo, *popularis et Nobilium*, ignorantiam, avaritiam, luxum, et nimiam potentiam Clericorum exposuerunt: sed tertius ordo, *Clericorum* scilicet, haereses maxime reprehendit, earumque exstirpationem, et Cleri defensionem, ac inmunitates, ursit. Dilato tandem in aliud tempus conventu, edictum est Antistitibus, ut se ad concilium pararent, Magistratibus, ut captivos religionis causa dimitterent, prohibitum denique, *ne quae essent pro religione injuriae, aut factionum vocabula usurparentur.* Interea purioris euangelii vox magis magisque personabat, licet non defuerint persecutiones, uti in Gallia Narbonensi per Comitem Villarium, in Delphinatu per Legatum Ducis Guisii Monaegondrinum, qui Valentiae adflixit fideles; a. 1561. Superior tamen evasit causa Euangelicorum; libertatis edicto ubique promulgato, captivis libertati restitutis, et exulibus redeuntibus. Quando conciones Euangelicae ubique personuerunt per agros et urbes, multi etiam, rei novitate allecti, adcurrebant, et adsumebant. Quod ipsum novos peperit motus, cum Pontificiae sectae patroni nihil non ad hos progressus sistendos egerint.

§. CCCCXII. Quibus malis ut tandem finis, si pote, imponeretur, edictum denuo est promulgatum, edictum *Julii* adpellatum, contra conciones et coetus Euangelicorum, quo libertas eorum denuo est sublata, sed et decretum formatum, de colloquio inter utriusque partis studiosos habendo in oppido *Possiaco;* sicut factum est a. 1561. Cujus historiam, praeter alios, in primis Thuanum lib. XXV, etiam ex nostratibus dedit Cl. Witzius in Miscellan. Catharina mater Regens, se eo a Praesulibus passa est permoveri, qui fave-

bant

bant Reformationi: quorum sententiam adprobavit Cancellarius Hospitalius, ut Regina sic placeret Reformatis. Carolus vero Lotharingus Cardinalis, et Archiepiscopus Rhemensis, eo concessit, ut eloquentiam ostentaret, sub spe gloriae et victoriae de Reformatis: erat enim, ut Thuanus inquit lib. XXVIII., *ostentandi ingenii, et popularis aurae captandae ad vanitatem usque cupidissimus.* Possiacum, haud procul Parisiis, cum adpulissent Antistites ex omnibus fere Regni partibus, et e Reformatis quoque plures, inter quos eminuerunt Theodorus Beza, tunc Pastor Genevensis, Petrus Martyr Vermilius Florentinus, Professor Tigurinus, Augustinus Marloratus, Johannes Merlinus, Franciscus Morellus, et Nicolaus Gallasius, Reformati nihil non egerunt, ut colloquium rite procederet, nec Antistitibus Judicibus, sed Regio Consilio moderante, et verbo Dei unica habita norma. Antistites e contra in eo fuerunt, ut turbaretur colloquium, indignum rati de rebus minime controversis in Ecclesia Catholica disceptari. Dein, non auditi, petierunt, ne Rex interesset, quippe veriti, ne sermonibus Reformatorum in illa sua aetate caperetur; sed nec illud inpetrarunt. Antequam vero coepit colloquium, privatum aliquod in cubiculo Navarraei habuit cum Beza Cardinalis Lotharingus de *eucharistia*, in quo, cum ei absurdum dictum, quod de Beza circumferebatur, objecisset, *quaerendum esse Christum in coena, ut in coeno*, Beza illud negavit unquam a se prolatum, et de praesentia Christi in coena, ejusque natura et usu, tam luculenter disseruit, ut sibi satisfactum esse, testatus sit Cardinalis, seque cum eo cupere colloqui ad aliquas consensus rationes ineundas.

§. CCCCXIII. Praesentibus itaque, in sacrarum Virginum Possiacenarum amplissima aula, die nono Septembr., quo primordia colloquii sunt facta, Rege, Regina matre, Duce Aureliano, Regis fratre, Margareta sorore, Rege et Regina Navarrae, Condaeo, cum reliquis Regis consanguineis Principibus, et privati Consilii viris, magnoque optimatum

ac Nobilium numero, adfuerunt ex Pontificiis Cardinales, Archiepiscopi, et Episcopi, quinquaginta, et absentium multi delegati, cum magna Theologorum et Litteratorum corona: ex Reformatis vero Ministri duodecim, et viginti alii, ab Ecclesiis ablegati. Cum de scopo et causa colloquii, ad dissidium religionis terminandum, verbo monuisset Rex, Cancellarius, Michael Hospitalius, corrupti et violenti Cleri magnus adversarius, ea copiosius exposuit, ostendens, a generali concilio, in quo Papa dominatur, nihil praeclari esse exspectandum, nationale vero, et colloquium, longe utilius esse, mutua autem esse deponenda odia, solum Dei Verbum audiendum, concordiae studendum: et quae sunt similia. Quo facto, Cardinalis Turnonius, gratiis Regi actis, petiit ut a Cancellario dicta sibi scripto darentur ad deliberandum, quid facto opus sit. Sed, licet omnium Antistitum nomine loqueretur, repulsam tulit. Tunc Beza, praemissis de genibus fusis precibus, postquam Regis propositum laudasset, et Reformatos a praejudiciis, quibus gravari solebant, acsi turbulenti essent, et pacis osores, vindicasset, disseruit de praecipuis capitibus controversis. Elegante usus Oratione auditus est adtente et tranquille, usque dum, de Eucharistia agens, inprudenter dixisset, *Christum a coena tam longe abesse, quam coelum a terra.* Ortus tunc quidem est multorum fremitus et strepitus, qui dixerunt, blasphemasse Bezam, nec audiendum amplius, ipse tamen perrexit, et peroravit; finitaque oratione Regi confessionem Ecclesiarum Gallicarum obtulit. Cum Beza finivisset, Cardinalis Turnonius, *indignatione tumens*, inquit Thuanus, *voce prae ira tremula*, *Regem compellans*, suam et reliquorum Antistitum indignationem, ex Bezae Oratione conceptam, graviter declaravit, Regique supplicavit, ne aurem praebeat, et ut dies concedatur ad respondendum.

§. CCCCXIV. Primo hoc finito congressu, Antistites, re cum Sorbonicis, et Juris Pontificii Doctoribus, communicata, quid respondendum sit, deliberant: ubi dixisse fertur

Cardinalis

Cardinalis Lotharingus, *utinam aut ille mutus, aut nos surdi fuissimus!* Conclusum est, duobus tantum capitibus, de *Ecclesia et Eucharistia*, esse respondendum. Instaurato dein colloquio die 16to Sept. coram Rege, Regina, Navarraeo, et Principibus consanguineis, reliqua turba non admissa, disseruit Lotharingus, praemissa protestatione, Regem non haereticos, sed Ecclesiam Catholicam, cui subjectus est, venerari, et audire, debere, de *Ecclesia et Eucharistia*, prout solent Pontificii. Quando Turnonius omnium est testificatus nomine, hanc omnium Catholicorum esse fidem, eosque, qui ei subscribere detrectant, exterminandos esse. Petiit quidem Beza, ut sibi ex tempore liceret respondere; sed non obtinuit. Finitus hac ratione congressus, non nisi ad novas Euangelicorum instantias aliquot diebus post est resumtus; non publico jam sed privato loco, Regina matre, Rege, et Regina Navarrae, Antistitibus, et duodecim selectis ministris, paucisque aliis praesentibus. Quo in coetu Beza, praemissis rursus precibus, copiosum habuit sermonem de Ecclesia, ejus natura, notis, et autoritate, nec non de S. Coena. Sed antequam posterius adgrederetur caput, pauca ei regessit Claudius Espensaeus, Sorbonicus, jussu Lotharingi, respectu vocationis ministrorum Reformatorum, et traditionum, testatus interea, se ab omni abhorrere persecutione. Beza vero se ad respondendum parante, Monachus quidam e schola Sorbonica, Sanctius nomine, surgens, dicta Espensaei tantum, sed injucunde admodum, repetiit, et, traditiones esse Scriptura S. firmius fundamentum, dictitare ausus est. Unde cum altercationes essent ortae, et diversi sermones hinc et inde sparsi, Cardinalis se interposuit, metuens, ne sui ob incivilitatem a Regina objurgarentur, et ad caput de S. coena revocavit, ac restrinxit, disputationem. Sed ut Euangelicos ad incitas redigeret, rogavit, num Augustanam admittere vellent confessionem? regerente Beza, num totius consessus nomine id peteret Lotharingus, et an ipse, ac ceteri Praesules, in ceteris capitibus eam

 amplec-

amplectantur? Cardinalis, dissimulato responso, produxit Germanorum sententiam, quam sibi e Germania dicebat missam, eique ut subscribant ministri vehementer institit. Beza respondit, se, ut suam defendant confessionem quidem venisse, attamen, ne obstinati videantur, scripti inspectionem, et deliberationem petere. Prolata vero Germanorum sententia dimissus est coetus.

§. CCCCXV. Scriptum autem illud a Francisco Balduino erat missum, qui etiam, se cum Lutheranis propediem adfuturum, significavit, ut cum Reformatis disputaret. Advenit ipse ante omnes, et libellum adtulit *de officio pii hominis inter religionis controversias*; quem, licet a Cassandro scriptum, pro suo venditavit foetu: sed ad colloquium non est admissus, quod petebat, quia neutra pars ipsi fidit, etsi Cardinalis Lutheranos ac Ministros secum lubens voluerit commissos, ut mutuis altercationibus communem causam proderent. Quod non successit. Resumto autem colloquio, de vocatione ministrorum, et S. coena, disputatum fuit sine ullo fructu, Pontificiis continuo interturbantibus. Quare, coetu dimisso, alia, suasu Lotharingi, est introducta forma agendi. Delegati enim sunt quinque ex Antistitum et Ministrorum numero, qui secum secreto et amice conferrent. Quo in conventu formula fidei est concepta de praesentia Christi in S. coena, utriusque partis consensu; quae prostat in citato *Commentario*: sed quam, non obstante quod delegati in ea perseverarint, repudiarunt Sorbonistae: estque delegatis objectum, coitionem eos cum Ministris fecisse, adeo ut cum Ministris non amplius permissum fuerit tractare.

§. CCCCXVI. Colloquium Possiacenum, uti a loco adpellari solet, hac ratione ad finem perductum, tantum abest, ut animos reddiderit pacatiores, ut magis diviserit, et multos magnosque produxerit motus. Quorum initium hoc eadem anno Parisiis adparuit, ingente tumultu a Pontificiis, causa religionis, excitato, qui Euangelicos, sacra exercentes,

tes, instituerunt turbare. Quos cum hi repellerent, caedes, praeter multa mala alia, patratae sunt, ut in Comment. citato fuse, et a Thuano l. XXVIII. succincte describitur. Quod ipsum tamen feliciter cessit Reformatis, publico hinc orto edicto, quod Mens. Januar. a. 1562. conditum inde *edictum Januarii* adpellari solet, quo libertas religionis ipsis est adserta. Omnes quippe seditiosi motus severe sunt per illud prohibiti. Templa intra et extra urbes concessa quidem Catholicis, sed Euangelicis relicta libera religionis administratio extra eas. Vid. Thuanus l. XXIX., qui capita edicti recenset omnia. Quod edictum in frequentissimo coetu die 17*mo* Januar. ex prudentibus viris, quos Regina, et Navarraeus, e singulis totius Regni Parlamentis, convocaverant, constante, fuit constitutum, ut paci consuleretur, omnesque in causa religionis cessarent violentiae, publicatum etiam per omnia Parlamenta: licet Parisinus initio Senatus fuerit tergiversatus, sed, clausula addita *donec a Concilio Generali de tota hac re decretum*, *aut a Rege aliter statutum fuerit*, edictum promulgari sivit. Qua ratione cum Euangelium purius magis magisque ubique invalesceret, Nobiles quoque ac Magnates plurimi sese palam Ecclesiis adjungerent, ita ut totum Regnum brevi videretur reformandum, obicem posuerunt Guisii, qui, foedere cum Connestabili Mommerantio, et Mareschallo Santandraeo, inito, *Triumviratum* erexerunt, ipso Navarraeo Prorege in partes tracto, quo Regnum misere fuit laceratum, et inter ipsos ac Euangelicos, libertatisque Gallicae patronos, Duce Condaeo, bellum civile ortum. Cujus historiam prolixe dedit *Commentarius* cit. p. II. Nos paucis trademus. Triumviri, secum eo scopo arcte conjuncti, ut summum regimen in manibus habeant, ne inmensarum largitionum rationes reddere necesse habeant, praeterea Euangelicos delerent, et edicto Januarii nervos inciderent, e re sua esse rati, ut Reginam, et Regem, in potestatem suam redigant, adeoque regia queant agere auctoritate, Navarraeum, Pontificis, et

Regis Hispaniarum, aliorumque, etiam ipsius Balduini, ope a Reformata religione abstractum, politicis usi rationibus in suas traxerunt partes. Quo facto, violentorum moliminum primum specimen senserunt Vassiaci, ad Campaniae fines; ubi inermem fidelium coetum, ad sacra peragenda coactum, tumultu concitato, Guisio ibi praesente, nec inpediente, sive noluerit, sive non potuerit, adorti Catholici, nec aut sexus, aut aetatis, habita ratione, neci dederunt: ad 60 fuisse mortuos in illo tumultu, et supra 290 vulneratos, Thuanus l XXIX. tradit. Inde Vassiaco Lutetiam profecti Guisii, ubi Senatum sibi habebant addictum, eam magnifice, inter publicas acclamationes, *vivat Guisius!* intrant, armisque complent, Condaeo, a Regina per litteras admonito, volente nolente discedente. Regem mox et Reginam capiunt, et invitos abducunt Lutetiam, Regnique administrationem, Navarraeo jam iis devoto, suscipiunt. Condaeo interea Aurelias tendenti Optimates et Nobiles ingente numero se adjunxerunt, quorum erant praecipui Amiralius Castillonaeus, Andelotius, Princeps Porcianus, Comes Rupefocaldensis, et aliquot Ordinis Equites, praeter Euangelicos magno numero. Qui omnes, foedere inito, se obstrinxerunt, ut Regem in libertatem vindicent, et edictum Januarii contra violationes apertas tueantur, Condaeo declarato Duce. Ipsa Regina, violentiis Triumviratus per Condaeum intellectis, eum, ut Regi et sibi captivis opem ferat, oravit. Accesserunt nova belli incitamenta per crudelia Guisiorum facinora: uti in oppido Senonum Agenotio, ad fines Burgundiae; ubi, Cardinalis Guisii jussu, terribiliter est in Euangelicos saevitum, adeo ut Vassiacae cladis memoriam videretur abolitura haec caedes.

§. CCCCXVII. Condaeus, bello hac ratione exorto, sua consilia publico exponit scripto, et defendit, Euangelicos etiam scriptis litteris, et missis nunciis, per totum concitat Regnum, ut sibi, et causae Euangelicae, manus praebeant. Capiuntur itaque, ejus sub auspiciis, nobilissimae urbes ab

Euangelicis,

Euangelicis, per omnes fere Regni Provincias, ut Aureliae, Lugdunum, Valentia, Gratianopolis, Rotomagum, Biturigis, Avaricum, Turonum, Pictavium, Monspessulum, Nemausum, et aliae plures. Sed occupatae non tantum sunt, verum, quod dolendum, pro inportuno suo zelo, in multis quoque manus ab imaginibus, et sacris Pontificiis, non abstinuerunt, invito et renitente Condaeo: quod ipsis plurimum nocuit, cum et ipsi edictum Januarii, quod armis praetendebant se tueri velle, violaverint. Aestate urbibus capiendis, et recuperandis, utrinque insumta, Navarraeo in Rotomagi (Rouen) oppugnatione lethali ictu vulnerato, et Lutetiae dein mortuo, Lutetia frustra ab Euangelicis obsessa, pugnatum tandem est Mense Decembr. ad Druydarum agrum in Provincia Nortmandia aequali fere marte, et utriusque partis magna clade, usque ad octo vel novem millia. Sed Condaeus a Guisiis, Connestabilis ab Euangelicis capitur, Santandraeanus occiditur. Guisius Dux, dum copiis instauratis oppugnat Aurelias, a Poltrotio Meraeo milite nefarie est necatus: qui, pace facta, gravi est adfectus supplicio. Quibus peractis, pax tandem est inita, et novum conditum edictum Mens. Mart. a. 1562., inde *Martium* adpellatum, quo, edicto Januarii valde restricto, aliqua tamen relicta est Euangelicis libertas. Religionis enim exercitium singulis est concessum in domibus suis, Nobilibus in aulis, aliis, pleniore gaudentibus jurisdictione, in aedibus, cum familia et subditis. Denique omnibus in urbibus, quae religionis exercitium habuerunt ante VII*mum* Mart., praeter alias, quae in singulis Praefecturis adsignatae sunt, administratio religionis foret libera, exceptis Parisiis.

§. CCCCXVIII. Rebus ita compositis, religio Reformata per Provincias Regni, alias magis, alias minus, pro diverso Praefectorum animo, exercebatur, brevique Regnum occupatura videbatur. Sed pax nec sincera fuit, animorum exacerbatione manente, nec diuturna, quin a. 1568. in apertum rursus erupit bellum. Praeter vagas popularium

scelerum, et edicti violationum, inpunitates, vis edicti variis modis per violentas interpretationes non tantum fuit elusa, sed Cardinalis Lotharingus nihil non egit, ut illud penitus aboleretur, praetextu, illud pro certo tempore, necessitate id exigente, fuisse conditum, adeoque, ubi res postulaverit, revocandum. Quo fine effecit, ut foedus aliquod inter Reges Galliae et Hispaniae, ac Papam aliosque Italiae Principes, ad religionem Reformatam in Gallia abolendam, una cum edicto memorato, fuerit in concilio Tridentino conceptum, postea suo tempore revelandum. Fuerunt praeterea in eo Regina Mater, et Connestabilis Mommorentius, ut Regem, qui, jam annorum quatuordecim, arrestis summorum Parlamentorum erat *Major* declaratus, in Euangelicos exacerbarent, nec sine optato successu. Rescripto regio a. 1563. declaravit quidem Rex, edictum esse observandum, sed exceptionibus, et interpretationibus, pro autoritate sua, enervavit, ut in cit. *Commentario* p. III. videre est. Dein a. 1564., quo Rex lustrationem Regni, *obequitationem* dictam, eorum suasu, qui odium religionis Reformatae ipsi instillare conabantur, instituit, omnia sunt ita de industria composita, ut Reformati, tanquam turbones Regni, adparerent Regi. Effectum etiam est a. 1565., ut sacrum illud foedus, in concilio Tridentino, ut dixi, formatum, cum Hispaniarum Rege fuerit Bajonae initum de *religiosis penitus delendis*. Urbes quoque, quae belli intestini tempore se contra Pontificios defenderant, munitionibus sunt denudatae, et a Praesidiis Regiis obsessae. Denique, novae identidem prodeunt edicti interpretationes a Rege, multae ubique patrantur Reformatorum caedes, multae violentiae, quae inpunitae manebant. Adparuit itaque omnibus modis, inter multas de edicto servando protestationes publicas, ab ipso etiam Rege factas, ipsius edicti, et reformatae religionis exstirpationem intendi, et quaeri. Tandem, opportunum nacti tempus, quo Dux Albanus in Belgio grassabatur, in Condaeum, aliosque optimates, Reformationis patronos,

tronos, palam conspirarunt, et omnia pararunt ad bellum. Quo rerum statu Condaeus, postquam hac de re nequicquam cum Rege per litteras egisset, ad Regem, ne aliquid non tentatum reliquisset, accedere, sed cum armatis militibus, instituit, ut querelas coram exponeret. Qua re invidiose ad Regem delata, acsi Regi insidiae struerentur; Rex Meldis Lutetiam, stipatus Helvetiorum satellitio, festinanter se recepit, ingentes animo volvens iras. Unde novum ortum bellum per semestre spatium, inter multa, ab utraque, in primis Pontificia, parte, saevitiae documenta, satis feliciter a Reformatis gestum est, a Mens. Octob. ad Mart. a. 1568. Sed in medio cursu, cum Reformatis ad votum succederet, et Condaeus in Carnuto obsidendo esset; subito per pacem finitum est; novo pacis et libertatis edicto, omnibus superioribus exceptionibus, et interpretationibus, e medio sublatis, publicato. Cujus summam exhibet *Commentarius* saepe laudatus.

§. CCCCXIX. Hac pace facta urbibus a Reformatis traditis, et militibus Germanis, qui sub Mauritio Palatino egregiam Condaeo praestiterant operam, dimissis, tantum abest, ut Reformati sese melius habuerint, ut in longe maxima sint conjecti discrimina. Adeo enim per totum Regnum in eos est saevitum, ne minima quidem pacis et edicti habita ratione, ut intra trium mensium spatium plusquam decem millia e religiosis fuerint interfecta, in summum fidei Pontificiorum dedecus. Vid. Thuanus lib. XLIV., qui addit, *rem in majus fuisse auctam*, hac addita, quae minus stringit, ratione, *quod proximum bellum totis sex mensibus vix* 500 *absumserit*. Nec per popularem tantum tumultum res inpune gerebantur, verum etiam *Sodalitates*, de Praesidum nutu et voluntate jam ante inchoatae, adcuratius et ordinatius sunt confirmatae, delectis consistoriis et viris ad illas moderandas, ut pecunia ad bellum gerendum, et miles expediretur; dictae *confraternitates Spiritus S.* Condaeo etiam, Amiralio, Cardinali Odetto Castillo-

 naeo,

meo, manifeftae fatis ftruebantur infidiae, nec in domibus fuis fatis tuti erant. Odettus itaque quantocyus in Angliam confugit. Condaeus et Amiralius, cum tota familia, trajecto, mirabili fatis eventu, fluvio Ligeri, inter fumma pericula, cum milites infidiantes ubique praefto effent, Nuceto difcefferunt ad aedes Rupefocaldii in agro Santonico; praemiffis litteris ad Regem, una cum libello fupplice, quo ftatus Regni, et religionis reformatae ac edicti violationes, vivis depinguntur coloribus, et Condaeus fignificat, fe Cardinali omnia inputare mala, eumque cepiffe confilium fe cum fociis delendi. Exftat integer libellus, valde notabilis, in Comment. cit. Vid. etiam Thuanus lib. cit., qui, quod notatu dignum, ibid. obfervat, *Politicos* tunc vocatos effe Optimates, *pacis, qua religio et fecuritas publica continentur, ftudiofos*; et ab eo tempore *Politici nomen in odium effe tractum, eoque nomine concionatores, graffante licentia, fupra modum debacchatos effe in pacis ftudiofos*, tanquam irreligiofos, et profanos.

§. CCCCXX. Erupit itaque mox *tertium* bellum civile Menf. Auguft. a. 1568., variis cafibus, et diuturnitate, prae fuperioribus, illuftre. Rupellam, maritimum et munitiffimum oppidum, Condaeus fe conferens, omnes reformatos, et libertatis Gallicae ftudiofos viros, nunciis et litteris miffis, excitavit: qui etiam per difficillima et obfeffa loca ad eum undiquaque confluxerunt. Praeterea ad eum Regina Navarrae cum Filio Principe Bearnenfi, copiis e Principatu Bearnenfi, quem regio tenebat dominatu, contractis, adceffit. Brevi quoque tempore, maxima Aquitaniae pars, et plurimae urbes, praeter Rupellam, in ejus tranfierunt partes: ita ut validiffimae fuerint Religioforum vires, quibus Regiis copiis, fub Duce Andino, Regis fratre, refiftere potuerunt. Poft varias velitarias pugnas, urbiumque oppugnationes, et expugnationes, juftum editum eft praelium ad Baffacum pagum in regione Limofena a. 1569., fed cum ingente religioforum clade, ipfius etiam magni Condaei, qui

captus

captus et insidiose occisus est. Cujus loco partes Ducis suscipiunt Princeps Navarraeus, et Condaei filius, cum Amiralio et Andelotio, Corroborantur mox Ducis Bipontini cum copiis accessu, Duce licet mox mortuo, ut et paulo ante Andelotio, viro strenuissimo. Denique, post variam fortunam in urbium occupatione et amissione, altera commissa pugna ad Moncontarum in agro Pictavino, majore adhuc cum Principum clade; animis non defecerunt, sed bellum summo studio luculenter instaurarunt, a. 1570. eo cum successu, ut pax fuerit inita Mens. August., novo a Rege publicato edicto, quod perpetuae dicitur durationis futurum, quo de libertate religionis luculentius est cautum, relictis quoque tribus urbibus, Rupella, Caritaea, et Sansferra, in Religiosorum potestate.

§. CCCCXXI. Hac facta pace, cuncta videbantur e voto Reformatorum futura, et Rex ipsis visus est sincere favere. Edictum non tantum per totum Regnum est solenniter publicatum, sed et violationes ejus, quae hic illic se denuo ostentabant, punitae sunt, utique specie tenus. Praeterea Henricus, Navarraeae filius, Margaretae, sorori Regis, est desponsatus, Amiralius in florentem Regis gratiam receptus, et ad secretioria consilia admissus. Cum Principe Orangio foedus etiam a Rege pactum est, ut ejus causae contra Hispanum patrocininum praeberetur. Tanta denique inter utriusque religionis studiosos contracta est intra sesquiannum concordia et amicitia, ut nihil veteris odii restare, et in perpetuam pacem omnia viderentur coalitura; Quae ipsa tamen communio et pax haud parum corrupit Ecclesias Reformatas, ita ut conciones saepe fuerint infrequentes, et sermonibus ac moribus Reformati vix a Pontificiis differrent. Tandem, post multas procrastinationes, quas primum *locus* et *modus* celebrandarum nuptiarum, de quibus convenire non poterant, deinde, loco Parisiis statuto, et modo sine ritibus Pontificiis definito, *dispensatio* Papae, quae postulabatur, nec dabatur, aliaque impedimenta

 pro-

produxerant, dies fatalis nuptiis celebrandis fixus est XVIII. August. a. 1572., defuncta jam Navarraea, matre sponsi, ex venenatis chirothecis, quas unguentarius Italus infecerat; quod Mezeraeus in vita Caroli IX. *non sine suspicione* fuisse tantum tradit, sed certis indiciis compertum fuisse, testatur autor *Commentarii*. Alii tamen, cadavere, jussu Regis, visitato, referunt, Reginam ex ulcere intestino fuisse mortuam, nullumque veneni repertum indicium. Vid. Thuanus l. LI. Praeter Amiralium, quem iteratis petitionibus Ipse Rex eo traxerat, ingente numero Nobiles et Optimates religiosi Parisios confluxerunt, ut festo nuptiarum interessent. Multa interea accidebant, quae sinistrae rei suspicionem movebant, multi de ea re sparsi sunt rumores, Amiralius etiam litteris, et libello aliquo, de perfidia Regis fuit, licet frustra, cum de animo Regis nihil dubitaret, admonitus: aulicis etiam nonnullae voces inprudentius exciderunt, denique palam inter primarios cives in colloquio jactatum est, *in illis nuptiis plus sanguinis, quam vini effusum iri.* Nuptiis statuto die publice peractis, et festo cum omne genus deliciis, et ludis, in aliquot dies protracto, Colignius Amiralius, Regem ad sphaeristerium comitatus, indeque domum discedens, sclopeto duabus glandibus ex inproviso ictus, dextrae indice et brachio sinistro violenter vulneratus, cum decumberet, inter alios ab ipso Rege invisitur, qui, se summopere indignari, et facinus severe puniturum, multis diris testatus est; certis etiam additis promissis, se ejus et Protestantium securitati esse provisurum. Quibus dictis deliniti Reformati, qui mala inminentia jam suspicabantur, in urbe manserunt.

§. CCCCXXII. Quando mox, ne occasio illa manibus dilaberetur, sanguinaria consultatio, praesente Rege, Regina, et Andino, Regis fratre, cum aliis consiliariis intimis, inita est, conclusumque, de caede et laniena Protestantium, diu ante concepta, et inaudita simulatione tecta, executioni mandanda die XXIV. Augusti. Quod etiam ea ipsa nocte,

ducibus

ducibus Guisiis, quibus illud demandatum erat, effectum, est. Militibus dispositis, plebe concitata et armata, omnibusque rite ordinatis, caedis etiam initio ante aulam, quo aliqui Reformati, ut quid ageretur expiscarentur, venerant, facto, jussu Regis, in cujus cubiculo Regina, aliique viri Primarii, Regis animum valde commotum firmaturi et incitaturi, aderant, tintinnabulo Templi Sangermani, quod signum erat datum, ipso Bartholomaei die, pulsato, ante diluculum, auspicia terribilis lanienae sumta sunt a Colignio et Nobilibus Protestantibus, qui, Regis mandato, securitatis sub specie procurandae, in aedibus Colignio vicinis diversabantur, quo Guisius cum Engolismensi et Aumalio tendebat, et ubi Cossenius cum militum turma excubabat. Intrant mox conjurati, foribus reseratis vel effractis, duce Cossenio, et Amiralium, sociis ab eo per tecta dimissis, vel dilapsis, misere trucidant. Bemius, unus latronum, Germanus natione, domesticus Ducis Guisii eum videns, rogat, *sitne Colignius?* respondet, intrepido vultu, *se esse*, addens, *tu vero, Juvenis! canos meos reverere, quicquid feceris, vitam meam nihilo breviorem feceris:* gladium mox in pectus intorquet, et retractum transverso ictu in os adigit, magnusque ille Colignius multis ictibus cadit inanimis. Cadaver, in aream, ubi Guisius cum sociis manserat, jussu Guisii, projectum, ut recte cognosceretur, mox miris modis foedatum, capite etiam amputato, quod postea est ad Papam transmissum, pudendis, manibus, et pedibus, truncatum, in Sequanam projicitur, unde extractum, cruribus in altum sublatis, suspensum est, igne etiam subjecto ustulatum, non tamen combustum, ut per quatuor quasi torqueretur elementa, *nam in terra occisus*, inquit Thuanus lib. LII., qui hanc tragoediam fideliter, ut solet, et accurate, descripsit, *aquis mersus, igni subjectus, postremo in aere pependit.* Postea Francisci Mommorantii, proximi cognati ejus, opera est sepultum. Chronostichon, ut inter alia multa hoc unum memorem, annum et diem nefandae caedis repraesentans, habet

 Bartho-

BarthoLemaeus fLet, quIa FranCiCUS oCCubat AtLaS

Gallica, nunc vere Punica, fides:

§. CCCCXXIII. Colignio mactato, in alios Protestantium viros primarios eodem modo est saevitum, ut in Rupefocaldium Comitem, Regi licet ob facetias acceptissimum, Telignium, generum Colignii, alios magno numero, ipsos etiam illos, quos Navarraeus, a Rege monitus, in arce retinuerat, qui jussu Regis, in aream propulsi, et misere trucidati sunt. Capitibus Reformatorum ita resectis, plebe a Guisiis ad promiscuas eorum caedes incitata, miserabilis rerum facies, et incredibilis orta est laniena, Parisiis aliquot etiam diebus continuata, septem dicit Mezeraeus, qui de hac tragoedia legi meretur, addit, hoc temporis brevi spatio quinque millia ea in urbe vario genere mortis periisse, nec ibi tantum, sed per omnes fere provincias et urbes, ipsius Regis et Senatus mandato. Initio quidem Rex, missis quaquaversum litteris, in Guisios conjecerat culpam, seditione populari ab iis suscitata, quin edictum libertatis praeceperat observandum, sed, mutata mox sententia, novis edictis et litteris se totius tragoediae non erubuit profiteri autorem, edictis in favorem religiosorum revocatis, eandemque lanieniam ubivis locorum praecepit instituendam, praetextu improbo confictio, religiosos, ut Colignii vulnus, cujus memini, vindicarent, in Regem, ejusque domum, conspirasse. Quid? quod Rex ipse aliquos trucidaverit, et fortiter clamaverit, *occide*, *occide*, eo denique usque furori indulgens, ut, cadaver Colignii videns, comitibus, foetorem non ferentibus, dixerit, *odium inimici mortui semper esse gratum*. Vid. Brantome in elogio Caroli IX. Quae saevissima, et plus quam barbarica, mandata vario modo executi sunt Provinciarum Praefecti, plures quidem summo rigore, sed alii, vel humanitatis memores, vel metu, aut familiae Mommorantiae

ducti

ducti reverentia, recusarunt, tam diversa et contraria a Rege proficisci non posse jussa praetendentes. Inmanes itaque multis in provinciis et urbibus grassatae sunt caedes, horribilis in primis strages Lugdunensis et Tolosana. Notatu digna est, in specie Massonii Riverii, Andegavensis Pastoris, celeberrimi viri, qui prima jecerat Ecclesiae Parisinae fundamenta, ut supra narravi, caedes. Venit ad illius aedes carnifex, se maritum convenire velle dicens uxori. In horto eum ambulare cum uxor, nihil mali suspicata, respondisset, ad eum tetendit, seque mandato Regio ad eum mactandum venisse declarat, et sine mora exequitur, concessa tantum, ad ejus petitionem, facultate salutandae uxoris, et precum fundendarum. Qua ratione intra Mensis spatium narrantur pro certo triginta hominum millia, quis non horrescat? trucidata, ut Thuanus l. cit. tradit, sed major et inverecundior in primaria urbe et regia est patrata. Conservati nihilominus sunt haud parvo numero Lutetiae, partim fuga elapsi, partim humanitate civium, partim ab ipsis Guisiis condonati, ne autores caedis Protestantium viderentur. Inter quos etiam fuit Philippus Mornaeus, Plessiacus, ut in vita ejus narratur. Navarraeus etiam, recens nuptus, et Condaeus, in vita sunt relicti a Rege, licet de ipsorum nece fuerit deliberatum, sed religionem abdicare coacti sunt, Condaeo licet initio renitente.

§. CCCCXXIV. Hanc lanienam Parisiensem, et caedem Bartholomaeam, quo nomine famosa est, cui nihil simile vidit orbis, licet Historici et Politici, ex ipsis Pontificiis, plures pro merito damnaverint, Christophorus quoque Thuanus, Senatus Parisiensis Praeses primarius, pater Historici, *licet tempori accommodata Oratione Regis prudentiam laudaverit*, cum Rex in Senatu sese autorem lanienae declarasset, *tota tamen vita Sanbartholomaeam diem detestatus est, celebris Poetae* Statii *versus ad eam adcommodans*, verbis utor Thuani historici l. cit. *Excidat illa dies aevo, nec postera credant secula* etc. Vid. etiam Thuanus l. LIII., ubi varia

de hac laniena profert hominum judicia: non desunt tamen, qui tanquam justam defenderunt, sive ex regula status, extraordinaria media arcana exigente, ad conservationem Regni, ut Naudaeus in *considerationibus* suis *Politicis*, principiis Machiavellicis insistens, sive ex praetensa Amiralii cum sociis conjuratione in necem Regis, et domus ejus, ut Faber Bibracensis tunc Adsessor, postea Senatus Parisiensis Praeses, sive ex animo, sive non, in epistola ad Stanislaum Elvidium, seu Joachimum Camerarium, contendit, sed ab Elvidio luculenter refutatus in epistola responsoria, quae epistolae exstant in *scrinio* Gerdesiano tom. VI. Sed Regem, Papam, et furiosos zelotas alios, ingente adfecit laetitia haec ipsa laniena. Quam Parisiis et Romae omnibus modis per missas, jubilaea, amburbias supplicationes, tormentorum sonitus, aliaque similia, demonstrarunt. Cudi etiam in ejus memoriam fecit Rex numisma cum anni et diei 24. Aug. 1572. signatione hac inscriptione ab una parte, *pietas excitavit justitiam*, et ab altera, *virtus in rebelles*, in aliorum antica parte facies Regis erat, cum inscriptione Gallica, *Carolus* IX. *rebellium domitor*, in postica effigies Herculis, contra hydram face ardente et clava depugnantis: ut refert Thuanus l. cit. Attamen humanitatis non penitus oblitis Pontificiis magnam incussit consternationem et indignationem, majorem longe Reformatis, qui, pavore correpti, inmenso numero ubique locorum a religionis suae professione defecerunt, ita ut vix per universum regnum essent, qui eam palam profiteri vellent: edicta etiam contra eos condita sunt severa, et formula abdicationis religionis praescripta est.

§. CCCCXXV. Actum hac ratione cum videretur de reformatione Galliae, aliis deficientibus, aliis fuga dilapsis e Regno, aliis sese metu in latibulis continentibus: causa euangelicorum tenuissimis ex initiis mirabiliter reflorescere, et caput erigere, coepit, *quarto* bello civili in Gallia suscitato. Restabant quaedam religiosorum reliquiae, quae urbes nonnul-

nonnullas, ut Rupellam, Sancerram, aliasque Occitaniae provinciae nonnullas adhuc tenebant: in quibus profligandis frustra laborarunt Pontificii. Etsi enim temeraria viderentur consilia, sese Regi, post tantam reformatorum stragem, totius Regni viribus instructo, opponere, quare multis quoque ea displicuerunt, horrendae tamen caedis consideratio, rerumque desperatio, non fregit, sed animavit, ac armavit, reliquias illas, adeo ut contra Regios bellum fuerint ausae suscipere. Obsessa est Rupella, dein omnibus viribus oppugnata, per octo fere menses, sed non expugnata, contra liberata, etiam pace inpetrata, cum libertate religionis a. 1573., modo mirabili, per electionem Ducis Andegavensis in Regem Poloniae, ejusque festinatum secessum, ut in vita Philippi Mornaei Plessiaci lib. I. narratur. Sancerra post diuturnam obsidionem, et terribilem, cujus vix exemplum prostat, famem, tandem iisdem conditionibus est dedita. Occitani bellum jam aliquo tempore gestum continuarunt, in memoratis pacis conditionibus ne quidem acquiescentes, et majora privilegia postulantes a Rege, qualia ne superioribus quidem bellis ausi fuerant Principes Reformati. Muniti enim et firmati sunt nova urbium ad se accessione, indies facta. Multum vero his in partibus debet causa Reformata Mombrunio, primariae Nobilitatis inter Delphinates viro, et in superioribus bellis celebri; qui ad ferales illas nuptias profectus non fuerat, domi periculosissimo illo tempore latitans, sed rebus desperatis subito ac insperato in publicum prodiit, parvisque ex initiis tantas, intra paucos dies, vires acquisivit, ut formidolosiorem hostem in Gallia non habuerint Regii, quod nostrum non est fusius deducere, sed in praelio postea captus et capite truncatus est, a. 1575. Quod supplicium mira constantia, ut Thuanus lib. LX. tradit, subiit, seseque, coram populo dixit, *non tanquam latronem, sed quod arma pro religione, et Regni libertate, contra publicos grassatores sumsisset, damnatum.*

§. CCCCXXVI. Accesserunt a. 1574. novi hostes regiminis, ex ipsis Pontificiis, adeoque non religiosi, sed Politici, quibus et carnificina illa vehementer displicebat, et regimen esse penes peregrinos, illosque ad summas evehi dignitates, uti in Comite Restio, Florentini sectoris, et famosae meretricis, filio, illustre erat exemplum, indignabantur, simul Reginae, foeminae Italae, et omnium malorum causae, maxime erant infesti. Quorum sat copiosus erat numerus, et illustres Duces, ex ipsa quoque familia Regia, ut Navarraeus, Condaeus, Mommorantii fratres, ipse fratrum Regis minor natu Alensonius, qui motuum, bellorum, et rerum male administratarum pertaesi, nulla religionis habita ratione, res in meliorem statum voluerunt reductas. Quae molimina Reginam, quae, Rege morbo laborante, omnia gubernabat, valde habuerunt sollicitam. Eruperunt etiam novorum hominum novae turmae in agro Pictavino, qui Politici, et Malecontenti nuncupabantur, alii regni emendationem, alii Parentum et consanguineorum, in laniena Parisiensi occisorum, vindictam prae ferentes: qui sese Religiosis adsociarunt, bellum tunc in Pictonum agro instaurantibus Duce Noaeo. Inter quos motus, quos enarrare hic non licet, infelix Rex Carolus IX. a. 1574., annos 25. natus, animum inter dira tormina, multas blasphemias, ut narratur, Mommorantiorum nominibus saepe adpellatis, e sanguinis profluvio efflavit. Refert quoque Thuanus lib. LVII., regis somnum plerumque per nocturnos horrores, post casum Sanbartholomaeum, fuisse *interruptum*; et rursus *per adhibitos symphoniacos pueros expergefacto conciliatum*. Summa itaque regiminis in Reginam matrem mox collata est, donec Henricus Andegavensis, frater Regis, qui succederet, e Polonia, ubi Regem agebat, *rediisset*. Ferebatur enim hanc regis mortui fuisse voluntatem, quam Alensonius et Navarraeus, qui adhuc in aula, licet *minus* libere, versabantur, confirmarunt.

§. CCCCXXVII. Rege Henrico III. in Galliam reduce,

et

et regnum capessente, bellum, post frustra tentatas reconciliationes, summis gestum est viribus, conjunctis Religiosorum et Politicorum male contentorum, foedere icto, copiis, summo foederis sub Duce Condaeo, magni Condaei filio, qui reformatam religionem resumserat. Inter Politicos vero primarii fuerunt, Anvillius, Regius in Occitania Praefectus, et alii e familia Mommorantia. Tempestas belli maxime in Occitaniam et Delphinatum incubuit, fuitque illud multis casibus prosperis et adversis illustrissimum. Accesserunt deinde ad Reformatorum societatem Alensonius et Navarraeus, magnumque etiam addidit momentum Reformatis Casimirus Palatinus cum copiis. Sed, cum res Reformatis praeclare admodum succederet, magno eorum damno, per *pacem*, quam Politici illi procurarunt, abrupta denuo est, promulgatum quoque edictum pacis a. 1576., quo religioni et justitiae Reformatorum luculenter cautum, laniena etiam Parisiensis damnata, et ad tribunalia ac dignitates aditus factus est Reformatis.

§ CCCCXXVIII. Sed tantum abest, ut conditiones foederis fuerint praestitae, ut, clandestino foedere a Pontificiis pacto, quod *sacrae ligae* nomine innotuit, in Regni Comitiis, jussu Regis Blaesis convocatis, decretum fuerit, sub finem a. 1576., ut *ad unitatem religionis Catholicae omnes subditi et cives revocarentur.* Addita quidem initio erat clausula, *dum illud sine bello, et publica quiete turbata, fieri posset*, sed, ea dein sublata, conclusum est, *quacunque ratione id omnino fieri debere.* Ad manus meas sunt exacte conscripti Comitiorum annales, a. 1577. editi, in quibus Condaei, Navarraei, Danvillii, etiam Monpenserii, judicia de pace, et utraque toleranda religione, omnem merentur animadversionem. Vid. etiam Thuanus lib. LXIII., qui, pro more, Comitiorum satis exactam dedit notitiam. Quod intempestivum decretum, ratum a Rege, contra fidem datam, habitum, Condaeo non tantum et Navarraeo ac Casimiro, verum et Henrico Mommorantio, Mareschallo Dan-

villio, et Anvillio, licet religionis Pontificiae studiosissimo, aliisque, vehementer displicuit, et novorum motuum causam praebuit. Posteaquam enim scriptis utrinque esset certatum, Religiosis de violata querentibus pacificatione, et diversarum religionum tolerantiam in uno Regno strenue defendentibus, sed Pontificiis urgentibus contrarium, simul, fidem non esse habendam haereticis, contendere ausis, ad arma mox convolarunt, Navarraeo et Condaeo praecipuis Religiosorum Ducibus, sed Alensonio, Duce Andegavensi, ac Guisio, aliisque, quibus et ipse Anvillius se junxerat, partes Pontificiorum tuentibus. Cum vero bellum, varia fortuna, Religiosis tamen, ob aliquam discordiam, iniquiore, gereretur, Rex, belli pertaesus, incertum, quam ob caussam, forte ab Andegavensi, qui Flandriam petere avebat, inductus, vel propria animi levitate, quam historici in ipso notarunt, motus, pacem renovavit, eodem a. 1577., restricta tamen paululum libertate religionis, edicto, quod juratus fecerat, promulgato.

§. CCCCXXIX. Nec haec diu duravit pax, bello resumto a. 1580., Navarraeo in Aquitaniam, et Condaeo in Picardiam, irrumpente, ob pacti conditiones non inpletas, vel violatas, Rupellanis, bellum temere susceptum ratis, se quietos tenentibus. Sed et illud eodem, quo incepit, anno finitum est, quia Casimirum Palatinum, a Condaeo excitum, metuebant Regii, et Dux Andegavensis tendere ad Principatum Belgicum sub umbra pacis volebat. Renovata itaque iisdem conditionibus est pax, sed post quinque annos denuo turbata a. 1585., per funestissimos motus, autoribus Henrico Duce, et Carolo Borbonio Cardinali, fratribus, conspiratione cum zelotis Pontificiis, et Rege Hispaniae, inita, nomine *ligae sanctae* nota, hoc scopo in primis, ut domui Borbonicae corona Gallica eriperetur, et Navarraeus ac Condaeus excluderentur, praetextu vero, ut religio Catholica sarta tecta maneat, haeresibus exstirpatis, adeoque nemo post Henricum III. admitteretur Rex, non Catholicus.

tholicus. De hujus Ligae origine, ejusque praecipuis autoribus, ac membris, vid. Melanges d' hist. et Litterat. par Vign. Marville tom. II. Hac Liga, post Alensonii, Ducis Andegavensis, mortem, cui Navarraeus succedere debebat, facta et sancita, gravissimi exorti sunt motus, Rege ipso ligam confirmare, inprimis edictum de persequendis haereticis, coacto. Renovatum itaque bellum est a. 1585., variis notabile casibus, quorum tres tantum memorabo. Prolixam et fidelem Ligae et belli historiam qui velit, adeat Thuanum lib. LXXXI. et seq.

§. CCCCXXX. *Primus* est Henrici Borbonii, Principis Condaei, luctuosus obitus ex veneno, unico filio posthumo relicto, qui postea factus est Catholicus. Vid. Thuanus l. XC., qui asserit, Medicos et Chirurgos de veneno fidem publico testimonio fecisse, praeterea summo elogio ipsum ornat, tanquam Patre non inferiorem. *Secundus* continet Guisiorum Fratrum, Henrici Ducis, et Ludovici Cardinalis, violentam caedem, jussu Regis in ipsa aula, eodem anno, quo Comitia sunt Blaesis celebrata. Rex vero Guisiis erat infensus, quod Regem contemtui populi exponerent, et coronam ambirent ipsi, quodque Parisiis excitarint tumultus, quibus Rex fuga se subducere coactus fuit. Ad quam caedem, Rege indignam, antequam venit, incredibili usus est simulatione, omnia Guisiis concedendo, ut eos in casses suos adliceret. Vid. Thuanus lib. XCIII. Observat vero Mezeraeus, iisdem artibus Colignium, ejusque socios, fuisse, ope Guisiorum, circumventos in laniena Parisiensi, a. 1572., addit, praecipuos calamitatis Guisiorum autores fuisse eos, de quibus optime meriti erant Guisii. *Tertius* est Ligistarum et Pontificiorum per totum fere Regnum a Rege desertio, hujusque cum Navarraeo et Reformatis reconciliatio, indeque bellum cum ipsis Pontificiis ortum, primum, Rege superstite, dein interfecto, gestum a Navarraeo, jam proclamato Regis successore, donec Navarraeus, religionem Pontificiam professus, et in Regno, pace facta, confirmatus est.

Henricus scilicet III., in ipsis castris, dum Lutetiam oppugnaret, quae in ipsum rebellaverat, inmani parricidio, fuit trucidatus a. 1589., a Jacobo Clemente, Monacho Jacobino, ad illud flagitium a concionatoribus Henoticis incitato, qui in ipso facinore quoque est occisus. Vid. Thuanus lib. XCVI., qui Papae judicium, quo Clementem summis exornat elogiis, et Regis necem adprobat, eumque declarat indignum officiis sacris, quae Inperatoribus ac Regibus exhiberi solent, quoque memorat, et reprehendit. Concidit vero in Henrico Stirps Valesiorum, quae 161 annos continuavit, per 13 Reges, regnumque ad familiam Borboniorum transiit, Henrico Navarraeo, qui est celebratissimus *Henricus* IV., Rege facto. Qui tamen Regnum non nisi post grave bellum, et religionem Reformatam abnegatam, consecutus est. Quando tandem intestina bella cessarunt a. 1596. Quae nostri instituti ratio non patitur fusius enarrare; illud tantum verbo notari meretur, quod Mezeraeus in Chronico Franciae ad calcem vitae Henrici IV. observat, Regnum per motus illos intestinos 30 annis fuisse vastatum, 7 aut 8 praelia habita, praeter innumeras pugnas, millionem fortium virorum periisse, sive bello, sive caedibus, et lanienis, ducentas aut trecentas urbes vastatas, nobilissimas denique et ditissimas familias ad paupertatem redactas esse.

§. CCCCXXXI. Quibus peractis, celebre illud edictum adpellatum ab urbe, ubi a Rege, ibi praesente, formatum est, *Nannetense* conditum est in favorem Reformatorum a. 1598., cum ut eorum querelis satisfaceret, et novorum motuum ansam praecideret, tum Ligistas, ne iis se adjungerent, et Regnum conturbarent, compesceret. Quo edicto causae Reformatorum abunde est cautum. Libertas enim religionis per omnia Regni loca iis est concessa, Tribunalia inter eos et Catholicos sunt partita, loca denique munita pignoris loca iis data, sed. ut Pontificii placarentur, in *arcano conventum fuit*, teste Thuano, *ut quanquam caput de*

dignitati-

dignitatibus inter concives, nullo religionis discrimine distribuendis, generaliter, ut erat conceptum, maneret, nulli tamen in Provinciis juridici Praetores, tribunalium causarum adsessores, aut cognitores Regii, crearentur, qui non majorum sacra colerent. Verificatio vero, quae dicitur, in Parlamentis anno demum sequente, post varia Regis jussa, est perfecta, et edictum declaratum *irrevocabile*. Quod usque ad Ludovicum XIV. vim aliquatenus obtinuit, et Reformatis satis tranquillum praestitit religionis exercitium. Cujus historiam qui velit prolixiorem, adeat Eliam Benedictum, seu Benoit in hist. edicti Nannetensis. Sic tandem eadem in urbe, in qua prima Reformatorum coitio contra Guisianos, religionis causa, ante triginta novem annos, facta fuerat, quae bellis civilibus, toties repetitis, ansam praebuit, edictum hoc pacificatorium fuit formatum; ut, tanquam a curiosis observatum, Thuanus lib. CXX. refert, apud quem etiam lib. CXXII. legi merentur orationes pro edicto a Rege et Coquelejo Senatore pro edicti necessitate habitae. Singulare, et notatu dignum, est, Regem declarare, *edictum hoc, quod tantopere exagitatur, non tam pacis Protestantibus dandae causa factum esse, quam ne bellum inter nos habere cogeremur.*

§. CCCCXXXII. Historia tentatae, ex parte perfectae, Reformationis Galliae, summatim, pro instituti nostri ratione, tradita, verbo subjungendum videtur, licet tanti non sit, nec causam praecipuam tangat, *colloquium* inter Jac. Dav. Perronium, Episcopum Ebroicensem, et Philippum Mornaeum Plessium, virum celeberrimum, qui, teste Thuano, *primarium olim familiaritatis* locum in Regis aula, et belli et pacis artibus clarus, tenuerat, a. 1600., de *Patrum et Scholasticorum locis*, recte an male a Mornaeo, in libro de *Eucharistia* citatis, habitum ad Fontembellaqueum praesente Rege Henrico. Ad quod Perronium, qui dixerat, quingenta loca a Mornaeo male esse producta, provocaverat, ut illud demonstraret, Mornaeus. Pauca vero loca tantum in scenam prodierunt, ad eucharistiam et imagines

pertinentia, partim culpa Mornaei, partim per colloquium morbo Mornaei abruptum. Vicit autem Perronius, et loca male esse adlata, evictum est. Fuit inter ea etiam Scoti, unde Scotistae, aliquis locus, contra Transsubstantiationem a Mornaeo adhibitus, ubi sententiam Scoti cum adversariorum, quos oppugnat, confudit Mornaeus, ad methodum Scholasticorum, qua adversariorum sententiam exponunt, dein refutant, et suam subjungunt, prae nimia praecipitantia, minus adtendens. Quod ipsum et aliis, nostro etiam tempore non nemini viro Clarissimo contigit. Vid. Thuanus lib. CXXIII., et libellus Gallice scriptus a Perronio, cui titulus, *actes de la conference* etc. a Fontainebleau la 4 de Mai 1600., cui refutatio falsarum narrationum est addita.

§. CCCCXXXIII. Missis, quae alibi terrarum acta sunt in causa reformationis, uti in *Italia*, cujus egregium nuper specimen dedit Cl. Gerdes, una cum Syllabo Reformatorum Italorum, uti et de Italis quibusdam martyribus ob Euangelicas doctrinas brevem observationem Buderus in Actis Societatis Latinae Jenensis tom. IV., ad alias pergo separatas a reliquis Reformatis Ecclesias, hoc seculo ortas, ut Mennonitarum et Socinianorum, aliorumque; initio facto a Mennonitis, seu purioribus Anabaptistis.

MENNONITAE.

§. CCCCXXXIV. In Mennonitarum historia pertexenda legendi sunt, ex adversariis, magis minusve aequis, adeoque adhibito judicio, Fr. Spanhemius Pater in Disput. *I. de origine, progressu, sectis* etc. *Anabaptistarum*, Hoornbeek. in *summa controversiarum*, Micraelius hist. Eccles. tom. II., Ottius in Annal. Anabaptist., ne alios citem, e moderatioribus, Cassander in *dedicatione*, praemissa libro de *baptismo infantum*, et Brand hist. Reformat. variis in locis, denique, ex ipsis Mennonitis, ipse Menno in *vita sua*, et scriptis aliis, Anonymus in libro Belgico, cui titulus, *historia successionis*

sionis Catabaptistarum: cujus autor, litteris I. H. V. P. N., censetur Carolus a Gent, primum reformatus, dein Mennonita, et tunc scriba colloquii, Embdae habiti a. 1578., inter Mennonitas et Reformatos, a parte Mennonitarum, postea rursus Reformatus, et tandem Mennonita. Vid. Rev. Meiners in hist. Eccles. Frisiae Orientalis p. II. Quibus omnino addendus est H. Schyn, qui historiam Mennonitarum novissime, et eo scopo, dedit, ut, eos a Munzerianis, et Monasteriensibus, longe esse, et semper fuisse, diversos, demonstret.

§. CCCCXXXV. *Menno Simonis* (Belg. Simons, quod est *Simons Soon*), ut ejus praemittam historiam, in pago Witmarsum, prope Bolsvardiam, natus, studiis aliquandiu navata opera, Sacerdos factus est in vico Pinningum a. 1528., dein in patrio pago Witmarsum, et religionem docuit, ac exercuit, Pontificiam. Sed ab a. 1530., variis in animo dubiis obortis, tandem, ut ipse in *vita* sua narrat, Papismo a. 1536. renunciavit, seseque eorum adjunxit coetui, qui *Anabaptistae* adpellari solebant. Refert autem ipse, se a nonnullis viris probis, a Monasteriorum factione alienis, fuisse precibus et lamentis permotum, ut inter eos, qui paedobaptismum repudiabant, et Ecclesiam volebant Apostolicam, puram et simplicem, Pastoris susciperet munus. Viros illos non nominat Menno, sed, ex Ubbonis Philippi confessione, ex ejus autographo publicata Amstelodami a. 1584., dein seculo seq. recusa, quam, ad saniorem adductus mentem, publice fecit, patet, a Johanne Matthia, turbulento illo fanatico Monasteriensi, fuisse in Frisiam missos a. 1533. Bertholdum Bibliopegum, et Theodorum Cuperum; a quibus, inter alios, in communionem recepti; et manuum inpositione ad munus sacri ministerii adsciti, sunt Ubbo Philippi, et Hans Scheerder. Ubbonem vero manus inposuisse Theodoro Philippi Davidi Georgio, et Mennoni Simonis, simul huic sectam in Frisia et Groninga promovendam fuisse commissam. Deploravit postea hoc suum fac-

tum Ubbo Philippi, fefeque ab ea fecta feparavit, fed incertum ad quam fefe contulerit. Sunt, qui ipfum factum Catholicum fcribunt, Hoornbeeck vero ex libro ejus fibi colligere poffe vifus eft, *Libertinum* fuiffe, fed hic titulus nimis eft ambiguus, et fubinde libertatis ftudiofis invidiofe datus. Mortuus eft a. 1568. Menno, de illegitima fua vocatione admonitus ab Ubbone, ei tamen non renunciavit, fe a Deo effe ad euangelium adnunciandum vocatum, et id in animo fuo experiri, dictitans, Divinam vocationem humanae praeferens. Quod ex Hofio *de haerefibus noftri temporis* refert Brand.

§. CCCCXXXVI. Menno, munere facro fufcepto, fefe a turbulentis Anabaptiftis, et Monafterienfibus, jam tunc fuperatis ac dilapfis, alienum profeffus, in hominibus, verae religionis cupidis, docendis ex Scriptura S., pro captu fuo, totus fuit, quos novo baptifmo in unam congregavit focietatem, ab omnibus aliis fectis fejunctam, cujus praecipua capita verfabantur circa paedobaptifmum, jusjurandum, Magiftratus officium, et incarnationem Chrifti. De quibus mox. Separavit vero fefe aeque a Proteftantibus ac Pontificiis, quia Lutheranos habuit pro fecta *licentiofa*, et laxiore, nimis latam aperiente viam, Zuinglianos, refpectu doctrinae, *deteftabilem* aufus eft nuncupare fectam. Peragravit vero, fectae fuae promovendae ergo, Provincias varias, Frifiam, Groninganam, Embdanam, Gelriam, Hollandiam, Brabantiam, ipfam etiam Weftphaliam, et univerfum maris Baltici tractum, five Livoniam. Expertus etiam inter fuos adfeclas eft graves diffenfiones, praecipue circa civilia *excommunicationis* effecta, quae fchifma pepererunt. Quod cum praevenire fruftra conatus effet, ipfe fefe rigidioribus adjungere coactus eft. Emifit a. 1542. ad concionandum, hominefque ad fuam permovendos familiam, inter alios, *Adamum Paftorem*, antea dictum Rudolphum Martini, Weftphalum, et *Francifcum Cuperum*, quorum ille, poft varia cum Mennone colloquia, fufcepit Arianifmum, hic

Hic vero Mennoniticas opiniones coram Curiae Frisiacae Praeside a. 1554. abnegavit. Proscriptus et ipse est a. 1542. publico edicto in Frisia, centum etiam florenis promissis illis, qui eum detexerint et deprehenderint. Exstat etiam in luculento illo thesauro, sub auspiciis Viri Nobilissimi, et Litterarum studiosissimi, Schwartzenberg, edi coepto, dicto *Charterboek* tom. II. Embdam dein profectus, sectaeque propagandae intentus, publicum habuit cum Johanne a Lasco, cujus notitiam supra suo loco dedi, Reformatorum Pastore, colloquium a. 1544. de *Incarnatione Christi*, paedobaptismo, peccato originis, et sanctitate nostra: cujus meminit Cl. Emmius in *hist. Frisiaca*, qui addit, eum discessisse quidem inferiorem, attamen triumphum cecinisse inter suos. Refert vero a Lasco, in libro contra Mennonem edito a. 1545., uti Rev. Meiners in *hist. Eccles. Frisiae Orientalis* narrat, circa tria capita, incarnationis, paedobaptismi, et vocationis ad ministerium sacrum, mansisse dissensum. Singulare est, virum eruditum a Lasco in libro citato agnovisse, Christum, *qua hominem peccare potuisse*, licet non peccaverit. Dissensus autem inter eum et Mennonem fuit circa originem verae carnis et sanguinis Christi, num ex Mariae substantia, an aliunde? acceperit. Agnovit, quod notandum, Menno veram Christi carnem, etiam Christi corpus e Mariae substantia fuisse fotum, sed, inde originem habuisse, adfirmare non fuit ausus, ut nec *unde*? forte a Deo in Maria inmediate creatum. Vid. ex Revio Ottius hist. Anabapt. Sed Cloppenburgius in *gangraena Anabapt.* tradit, nullam plane de *origine carnis Christi*, seu *incarnatione*, fuisse inter Mennonem, a Lasco, et Myconium controversiam, *salvam enim Menno*, ita pergit, *unitatem Essentiae, et Trinitatem Personarum, volebat.* Celebris etiam ejus est cum Micronio disputatio a. 1553., edita deinceps a Micronio, a. 1556. Belgice: cujus historiam dedit Utenhovius de *Ecclesia peregrinorum in Anglia.*

§. CCCCXXXVII. Sed acris erupit inter ipsos Menoni-

tas dissensus circa excommunicationis effecta civilia. *Leonardus* enim *Bouwen Soon*, qui a Mennone concionator factus erat, et in Frisia praecipuas egit partes, quaestione agitata de excommunicatione, occasione excommunicati Swain Rutgers, cujus uxorem, quae deserere propterea nolebat maritum, voluit eodem anathemate feriendam, censens, omnis, cujuscunque etiam, societatis vinculum per eam censuram plane rumpi. Quo etiam ipsum Mennonem, licet tergiversantem, adduxit. Unde *rigidiores* orti sunt Mennonitae, etiam Flandri, et Mennonitae Veteres, adpellati, una cum schismate, cum alii, duce Henrico Naaldeman, cum Georgio Heyns, dissentirent, et rigidiori se opponerent disciplinae, propterea quoque excommunicati a. *1557*. De quo etiam postea. Interea *Mennonis regnum*, ut verba Micronii in epist. ad Bullingerum apud Ottium l. cit. habent, *late per universum Belgium, et orientales civitates, patebat; in his omnibus maritimis*, addit in alia epist, *regionibus ab extremis Flandriae oris Dantiscum usque. Ipse autem*, Menno, *Wismariae degebat.* Bello autem in Belgio grassante, habitus est ab Anabaptistis, ex Moravia, Suevia, Helvetia, Wirtenbergia, Brisgovia, aliisque ex locis multis, conventus Argentorati; ex quo ad Mennonem a. 1557. scripserunt, ne conjuges occasione banni separentur, cum sanctius sit praeceptum de conjugio. Quando ipse librum suum, jam antea editum, a. 1557, dictum *Fundamentum*, iterum publicavit, sententia de banno moderatiore in severiorem mutata, a 1558. Quid? quod ipsi moderatiores fuerint a Mennone et Leonardo Bouwens excommunicati a *1559*. contranitente parte adversa Wismariae. Ex quo satis constat, superioris Germaniae Anabaptistas hac parte non cum Mennone sensisse. Diem supremum eodem a. 1559., secundum nonnullos apud Brand, vel a. 1561., secundum alios, apud Ottium, obiit Menno in oppidulo Oldeslo, vel circum circa, inter Lubecam et Hamburgum. Fuit sane, ipso Hoornbekio judice, *verbo et scriptis valens*, cui ipsa refor-

madc

matio haud parum debet, sed in dissentientes justo acerbior, et rigidior, maxime in posteriore vitae periodo, quippe in principio a rigore in quaestionibus, inter adseclas motis, longe moderatior, ut ex dictis patet. Narratur quoque, Volckardum Maartsoon, virum cordatum, et probae vitae inter Mennonitas Frisios, patrem Volckardi Velii, autoris Chronici Hornani, testatum esse, Mennonem, morti proximum, hoc praesentibus dedisse monitum, ne *fiatis servi hominum, sicut ego fui.* Prostant ejus scripta junctum edita Belgice in Fol., et, praeter librum *fundamenti*, continent *solatium in adflictione*, ad Ps. XXV., *instructionem de banno*, *de baptismo*, *apologiam contra varias calumnias*, etc.

§. CCCCXXXVIII. Genuini Mennonismi capita, ad quae pergo, omnibus Mennonitis communia, a reliquis Christianismi sectis diversa, ex libris Mennonis, et confessionibus eorum, petenda, quarum antiquissimam, et omnibus Waterlandis pro formula consensus habitam, edidit H. Schyn, V. D. minister inter eos Amstelodami, in *historia Mennonitarum*, qui addit, reliquas confessiones Vlamingorum, Frisiorum, et Germanorum, ei in omnibus articulis fundamentalibus convenire, sunt sequentia 1. *Primum*, ut a theoretico ordiar dogmate, circa *Incarnationem* Christi versatur. Menno, si ejus scripta consulantur, veritatem humanae in Christo naturae recte agnovit, et a Divina distinxit, Christum ex Mariae corpore fotum et natum esse credidit; tantum de origine carnis ejus, num ex ipsius Mariae carne an aliunde, dubitavit, aut prius negavit, posterius ignoravit, scilicet *unde sit?* forte a Spiritu Dei inmediate in Maria creatum, statuit. Quod Hornana quoque admittit confessio, sed apud Schyn simpliciter dicitur, *Filium Dei in corpore Mariae Virginis carnem*, *seu hominem*, *esse factum per admirandam Dei potentiam*, *et incomprehensibilem Spiritus S operationem*, rejecta etiam expresse opinione, *de divina Verbi essentia*, *aut aliqua ejus parte*, *in visibilem et mortalem carnem*

 mutata,

mutata. In confessione vero Faulkelio opposita, habetur, ipsum Verbum, seu Filium Dei, *esse conceptum in Maria, et esse semen ac materiam conceptionis.* Sed illud commoda aliqua interpretatione in meliorem partem est trahendum. Ceterum haec opinio initio non viguit inter Mennonitas, sed, quaestione deinceps hac de re nata Embdae, incertum unde et a quo? forte a Melchiore Hofman, si unquam ibi fuit, a. 1518. ut volunt, Leonardus Bouwens novam opinionem de carnis origine non e Maria adoptavit, et Mennoni quoque, cum Embdam a. 1543. venisset, licet reluctanti initio, et nova hac opinione perturbato, aliquatenus persuasit, ut narrat van Huysen, de *ortu et progressu Catabaptistarum.* Praecipuum opinionis fundamentum est, quod Christi caro fuisset peccato obnoxia, si ex peccatrice carne fuisset sumta, quodque generatio per solius viri, non foeminae, semen fiat, adeo ut caro non *ex* muliere, sed *in* ea, sit producenda.

§. CCCCXXXIX. 2. Secundum caput ad *sacramentum baptismi* pertinet. Habent quidem Mennonitae cum aliis commune, quod sacramenta statuant tantum esse signa, et repraesentationes symbolicas: sed privum eorum dogma est, *infantum* baptismum esse nullum, quin, ut confessio Faulkelio opposita habet, *inanem fabulam*, imo *inmutationem ordinis*, *abusum nominis Divini*, *et abominabile idolum*, *nec a campanarum baptismo diversum*: ut Menno in libro *fundamenti* non fuit veritus dicere. Confessio autem apud Schyn modestius et simpliciter negat, *infantes esse baptizandos.* Rationes eorum contra paedobaptismum hae sunt praecipuae, *a.* Actu credentes et resipiscentes soli debent, et legitime possunt, baptizari, *b.* Paedobaptismus est signum externum *sine re aliqua significata*, secundum confessionem contra Faulkelium. Cujus fundamentum est, quod, sicut in Adamo lapsum est et reum factum totum genus humanum, *ita* in Christo, et foedere gratiae cum Adamo erecto, omnes etiam posteri ad gratiam Dei admissi jam sint, adeo ut

nemo posterorum, verba sunt confessionis apud Schyn, *respectu hujus restitutionis, aut peccati, aut culpae, reus nascatur*. Nihil itaque est in infantibus, quo remissio peccatorum significetur, cui non sunt obnoxii. Vid. etiam confessio contra Faulkelium. *c*. Paedobaptismus est humanum inventum, post Christum, Apostolos, primosque Christianos, non nisi sec. III., introductum. Ex hac porro ortum est opinione, quod omnes, ad societatem suam se convertentes, baptizent, parum curantes eorum in infantia baptismum, quippe pro non facto habentes. Unde colligitur, *Anabaptistarum* nomen ipsis non competere, quia, ex eorum opinione, non iteratur baptismus legitimus, sed prima vice ab ipsis confertur, nisi relate ad eorum sententiam, qui paedobaptismum pro legitimo habent. Ipsi itaque hoc nomen, tanquam odiosum, nec sibi congruum, studiose a se removent, et *Catabaptistas* potius adpellari amant, tanquam baptismi studiosos, et contra infantum baptismum. Ceterum, quod hic recte additur, duo tantum agnoscunt cum Reformatis sacramenta, nec pro sacramento habent *pedilavium*, licet inter eos sint, qui pedum lotionem admittunt tanquam *debitum officium obedientiae ad imitationem exempli humiliationis Christi*: ut est in confessione contra Faulkelium.

§. CCCCXL. 3. *Excommunicatio*, qui tertius est articulus, tam late apud omnes Mennonitas extenditur, ut seclusi a *S. Coena, et aliis actionibus Ecclesiasticis arceantur* non tantum, sed et *omnibus ab operibus aliis, quibus in sacris aliqualis communio, fraternitas, aut spiritualis communio significatur*, quae confessionis apud Schyn verba sunt: additur, offensionis et contaminationis vitandae ergo cum *talibus eorundem actionibus, verbis et operibus, nihil* se habere velle commune. Concinit *apologia* confessionis contra Faulkelium, ubi, officia et opera charitatis tamen non tolli, adjungitur, ut et conjugium quidem non rumpi, sed usum conjugalem ad tempus recte cessare. Verum circa conjugum separatio-

nem, et conjugalis converſationis ceſſationem, non convenit inter eos. De quo mox, 4. *Quartus* habet articulus, Magiſtratum Politicum, vi inperandi et cogendi praeditum, eſſe quidem neceſſariam Dei ordinationem, ad communis ſocietatis humanae gubernationem et conſervationem, eique etiam honorem et obedientiam in omnibus, ſalva conſcientia, praeſtandam eſſe, attamen Chriſti diſcipulis nec eſſe a Chriſto praeſcriptum, nec iis convenire, quia Chriſtiani ad vitam inermem vocati ſunt, ac crucem ferendam, non ad faſtum; et dominium mundanum exercendum, praeterea quod eo cum munere conjunctum eſſe ſoleat bellum gerere, et homines vita privare etc.; abſtinendum itaque eſſe Chriſtiano, utique ſuae ſectae hominibus, a talibus officiis, et adminiſtrationibus: ſic habet confeſſio apud Schyn, nec non oppoſita Faulkelio, ubi etiam ſtatuitur, *Chriſtum finem inpoſuiſſe, et a populo abſtuliſſe etiam officium regium, eique adnexa, regnum temporale, gladium, vindictam, et bellum.* Menno nihilominus in colloquio cum Micronio dicit: *permitto quidem, ut Chriſtianus Magiſtratum gerat, et maleficos puniat, ſed nullius ſanguinem profundat.* 5. *Quintus* itaque articulus, cui praecedens innititur, fert, gladium et bellum plane eſſe illicitum, quia, ſi maleficus eſt *poenitens, gratia ipſi eſt praeſtanda, ſi inpoenitens, terminus ejus ſic non eſt decurtandus*, ut Menno in eo loquitur colloquio. Quod idem confeſſiones ſaepe citatae tradunt, ratione a Chriſtiana miſericordia, aequitate, et patientia, quae ab omni vindicta abhorret, petita. 6. Denique *Sextus* de jurejurando his verbis in confeſſione apud Schyn effertur, *Jeſus Chriſtus Rex et Legiſlator Nov. Teſt. Chriſtianis omne jusjurandum interdixit, atque ea propter omne jusjurandum fidelibus N. T. illicitum eſt.* Cui aliae confeſſiones omnes conveniunt.

§ CCCCXLI. Praeter haec dogmata et inſtituta habent quidem alia Mennonitae, alia cum Reformatis, alia cum Arminianis, ſeculo ſequente, communia, ut de peccato originali, praedeſtinatione, et libero arbitrio; ſed priora ſunt,

Menno-

Mennonitismi fundamentalia et priva, quae hic solum in censum veniunt: quare, aliis missis, ad *originem* et *fata* sectae pergo. Circa *originem* quaestio est inter Mennonitas, aliosque omnes Christianos, num a Munzerianis et Monasteriensibus Anabaptistis sit repetenda, nec ne? Prius communiter ipsis inputatur, sed ab ipsis fortiter negatur, novissime a Schyn, et refutatur. Adversarii eorum se in eo fundant, quod 1. Menno fuerit ab Ubbone missus, et ordinatus, qui ipse munus a Monasteriensibus accepit, ut supra vidimus. 2. Menno eos adpellet *fratres*, etiam *dilectos* suos fratres, in libro *fundamenti* edit. 1539., quod postea in aliis editionibus erasum est, ut Hoornbeek. observat. 3. Praecipua dogmata cum illis habeant communia, utique de paedobaptismo, et incarnatione Christi. Vid. Heresbachius, autor aequalis, in hist. Anabaptist. cap. VI., qui etiam refert, *Knipperdolingum et Strechtingum in nullo aeque dogmate perstitisse, quam in carne Christi a Verbo duntaxat adsumta, non autem a Virgine matre.*

§. CCCCXLII. Regesserunt et hoc jam tempore, et deinceps semper, Mennonitae 1. Vocationem ab Ubbone quidem esse profectam, sed non in Societatem Monasteriensem, verum eorum in gratiam et usum, verba sunt ipsius Mennonis in *apologia contra Gellium Fabrum*, *qui*, *Christo et ejus verbo dediti, resipiscentem agebant vitam in timore Domini, proximis in caritate inserviebant, crucem portabant, omnium hominum salutem et conservationem quaerebant, qui justitiam et veritatem amabant, et ab injustitia et malitia abhorrebant* etc. Notabilia quoque hanc in rem sunt Bleisdikii verba in *vita Davidis Georgii*, quibus dicit, *Ubbonem et Theodorum Philippi, fratres, decessione ab Hofmannicis, a quibus in principio anno* 1534. *Episcopi essent creati, tum a Monasteriensium reliquiis, quorum institutum semper inprobassent, facta, cum novum coetum constituere adgrederentur*, circa a. 1536., *Mennonem ejus Episcopum creasse.* 2. Mennonem quidem eos fratrum epitheto insignire, sed partim simplices et inno-

innocentes eorum, a visionariis Prophetis deceptos, partim respectu pristini status, vel speratae resipiscentiae, nullo autem modo turbulentos et seditiosos illos Monasterienses: quos, licet fratres vocatos, se pro talibus non agnoscere saepe, et palam, declaravit Menno, qui etiam pro *fratribus in Christo nullos agnovit, nisi qui manent in sancto ejus verbo, et nunc conjunctim ex superis a Deo renati sunt.* Quae ipsa ejus verba sunt. Vid. Schyn. 3. Mennonem porro, et Mennonitas contra hanc objectam communionem cum talibus Anabaptistis semper esse protestatos, palamque professos, ut ipsa habent Mennonis verba, *se Monasteriensem doctrinam, facta, et vitae rationem, nempe de Rege, gladio, seditione, reverberatione, ultione, polygamia, et externo Christi regno in terris* etc. *pro novo Judaismo habere, pro absurdo errore, doctrina et re nefanda, longe a Christi Spiritu, verbo, et exemplo, dissentanea.* Plura similia exhibet Schyn, inter quae et haec Mennonis verba sunt, notatu digna; *Monasterium nunquam vidi, neque in eorum sodalitio fui, speroque cum talibus, si qui adhuc superstites sint, per Dei gratiam nec edere nec bibere, ut Scriptura docet, nisi suum nefas ex corde profiteantur, rectos et veros resipiscentiae fructus proferant* etc. Quod ipsum quoque Petrus de Colonia, Verbi divini Minister inter Catabaptistas, hujus quoque temporis, confessus est in Colloquio cum Ruardo habito Leovardiae a. 1596., ut ex Protocollo Leovardiensi patet. Damnarunt praeterea ipsi Monasterienses seditiosi *omnes Anabaptistas, praeter suos*, teste Lamberto Hortensio *de Anabaptistis.* Subjungamus denique ipsius Hoornbeki verba l. cit. *Menno non in solo Anabaptismo, et oppugnato paedobaptismo, uti priores; sed nec pro Enthusiasmis et revelationibus, quemadmodum illi, stetit, sed ulterius progressus et dogmata alia procudit, novae sectae fundamenta* etc. Addatur 4. dogmata et instituta Monasteriensium et Munzerianorum, cum Mennonitismo collata, inmensum quantum differre, si opiniones de paedobaptismo et incarnatione Christi excipiantur. Quod cuique, qui Monaste-

riensium

riensium instituta, supra suo loco, in reformatione Germaniae, in lucem producta, ad animum revocaverit, in oculos facile incurret. *Jactarunt*, ut Cl. Perizonii in historia sec. XVI. verba hic addam, *tunc passim revelationes enthusiasticas, liberales rejiciebant artes, libros, praeterquam sacros, abolebant omnes, bonorum communionem urgebant, denique Magistratus volebant omnes sublatos, et, exstinctis, ut dicebant, inpiis, regnum Tsionis se condituros adfirmabant.* Conferantur etiam leges regni Monasteriensis apud Heresbachium l. cit., inter quas, praeter capita memorata, locum quoque tenet polygamia, et venia salutis negata baptizatis post eorum lapsum.

§. CCCCXLIII. Proxima Mennonitarum origo, meo judicio, rectius a Waldensibus derivatur, et illis Anabaptistarum, qui primaevae Ecclesiae innocentiam, et puritatem, volebant renovatam, et reformationem ulterius promotam, quam Lutherus et Calvinus instituerunt. Waldenses utique praecipua capita, si ab origine carnis Christi discesseris, habuerunt cum Mennonitis fere communia; ut ex eorum historia, sec. XII. tradita, facile patet. Quod si in veram errorum originem inquiramus, quae eos in transversum rapuit, ea fere in eo statuenda videtur, quod inter Regnum Christi in natura sua seorsim consideratum, ejusque relationem ad mundum, et societatem politicam, non satis distinxerint. Regnum Christi, qua tale, totum Spirituale, et Sanctum, a Deo et Christo per Spiritum rectum, ubi obtinet, nec vi civili coactiva, nec gladio, nec juramento, nec bello, aut similibus, indiget: sed relate ad mundum, et quatenus in eo est, ac subsistit, ea omnia admittit et requirit. Errores vero de paedobaptismo, et incarnatione Christi, aliunde sunt repetendi, ut modo exposui. Aliis principiis, ex quibus Mennonitismus fluxit, non indigemus, multo minus invidiosis illis, in communione cum Monasteriensibus, et aliis similibus fanaticis, sitis, a quibus se et olim vindicarunt et nunc, per tanti temporis spatium, se et vita et institutis

... runt, ac justificarunt, ut sine notabili inj... ...a injuria, cum illis amplius confundi nequeun...

§. CCCCXLIV. Ad *fata* Mennonitarum praecipue ... persecutiones, quas perpessi sunt, et schismatic... ...siones, quibus inter se scissi sunt. Persecutiones ...runt multiplices, et gravissimas, nec a Pontificiis ta... propter Papismum abnegatum, verum, quod dolendu... ipsis Protestantibus, ob paedobaptismum spretum, et n... fertam Christi e Mariae carne incarnationem, nec n... confusionem cum turbulentis Anabaptistis: ut ex ... Martyrologiis satis constat. Exstant duo eorum mart... gia, Harlemense a. 1615., et Hornanum, autore prae... Jacobo Outerman, a. 1617. editum. Quod utrumque ... fidei accusatur, Harlemense ab Hornanis, et Hornan... Harlemensibus. Harlemense defendit Hans Alencon, ... tu Belgico a. 1630. et in Hornanum retorquet, quod ... ipsos referat martyres, qui Reformatorum confessio... incarnatione subscripserunt. Longum foret omnes ... persecutiones, multo magis omnium Anabaptistarum, ... fere. Legi facile possunt martyrologia citata, et Bra... hist. Reformat., qui satis adcuratus est et prolixus. ...rum, ut illud verbo adtingam, contra eos hoc secul... in genere contra Anabaptistas, scripserunt Bullingerus, ... Belgis Hermannus Modet, et Gulielmus de Bres, ex ... ria Reformationis Belgii satis noti.

§. CCCCXLV. Funestas eorum divisiones enarrare ... nimis prolixum sit et taediosum, fuerunt enim plurima... levissimis saepe de causis, quae hanc sectam vehem... ...tuerunt, unum alterumve tantum adtingam sch... Primum inter eos, circa a. 1554., aut 1555., produx... ...catio, dum alii contendebant, eam sine praev... ...ne, nulla etiam poenitentiae habita ratione ...dam, simul effectum habere civilem, ita ut co... ...separet, omneque qualecunque commercium, ...di, cohabitandi, negotiandi etc., tollat, alii

Inter peccata et peccatores esse distinguendum, admonitionem praemittendam, poenitentiam admittendam, nullum commercium civile propterea rumpendum, nec conjuges separandos esse, urgebant. Prioris generis capita fuerunt Leonard Bouwens, et Theodorus Philippi; posterioris vero Henricus Naeldeman, et Georgius Heyns. Mediam in principio viam tenuit Menno, rigori nimio contradixit, et schisma noluit: sed postea, se a Bouwens excommunicatum iri metuens, adeoque schisma inevitabile sentiens, sese rigidioribus adjunxit. Schisma dein promovit singularis casus, qui Embdae accidit. Maritum excommunicatum deserere cum recusaret uxor, Swaantje Rutgers, aut mensa et lecto ab eo separari, Naeldeman et Heyns id tolerandum voluerunt, sed noluerunt Leonardus Bouwens, et socii. Severiores adpellati dein sunt *rigidi excommunicatores*, etiam Flandri, et Mennonitae Veteres, alii vero *moderatiores*, etiam Frisii, imo, contumeliae ergo, *borboritae*, seu *Drekwagens*, quia quoscunque, etiam excommunicatos, admittebant, nec rebaptizabant, quo titulo zelota Bouwens eos insignivit, deinde in specie Waterlandi, et Franequerani. Profecti quidem sunt Menno, jam plane rigidus quoque factus, et Bouwens, Coloniam, ut rigidum suum institutum Germanis sociis adprobarent, sed in cassum, cum hi judicarint, fratri aut sorori relinquendam esse libertatem, se ab uxore aut marito excommunicato sejungendi, nec ne: unde cum istis etiam novum est ortum schisma. Rigida interea haec disciplina multa peperit mala, et gravia offendicula, cum quod ad minima etiam errata et peccata sese perrexerit, tum separatis ad varios lapsus aut desperationem praebuerit ansam, tum nuptiarum libertatem multum restrinxerit, extra enim communionem suam contrahentes nuptias in eandem incidebant poenam, et nec permissae erant nuptiae, nisi in austeram illam disciplinam utraque pars consentiret.

§. CCCCXLVI. Crudiore dein, et pertinaciore, facto schismate inter Frisios et Flandros, illorum duce Hoyte Reinsz,

et horum Hans Boshart, a. 1565. compromissio, ut dicitur, facta est ad illud tollendum, utriusque partis a. 1567. in duos arbitros, utrinque electos, Johannem Willemsoon et Lubbertum Gerritsoon. Sed Flandri, seu Vlamingi, in sententia, licet bona fide pronunciata, non acquieverunt; unde mutuae natae sunt accusationes, Flandris judices, eorumque fidem, et Frisiis ruptam pacem, et perjurium, exprobrantibus adversariis suis, simul in tantum exarserunt zelotae, ut nec una ire, ambulare, edere, aut loqui voluerint. Quam suorum perfidiam non ferentes haud pauci Flandri, etiam ipsi arbitri, se Frisiis adsociarunt. Exorti etiam sunt, qui priorum schisma non adprobabant, omnesque in unam societatem cogebant, dicti Waterlandi, etiam coetus Johannis de Ries, et coetus uniti, a. 1555., autore Hermanno Timmerman, qui martyrio inter Anabaptistas coronatus est Antverpiae a. 1569. Nonnulli etiam, quo se verterent dubii, transierunt ad *domum*, vel *familiam*, *amoris*, de qua mox: imo varie dein hujus rei causa divisi sunt charitatis et tolerantiae nescii homines. Vid. de his omnibus Brand.

§. CCCCXLVII. Novum porro schisma a. 1586. Franequerae produxit emta domus a Pastore eorum Thoma Beenkens, quam emtionem nonnulli, tanquam mala fide factam, damnabant, alii defendebant, quorum hi *huiskopers*, seu domus emtores, illi *tegenhuiskopers*, nuncupati sunt, sed et secum scissi: ab utrisque separati praeterea sunt, qui emtionem quidem inprobabant, sed schisma nolebant, *neutrales* adpellati. Circa idem fere tempus miserabile ortum est schisma Harlemi, occasione alicujus, qui puellae mammillas contrectasset. Quod facinus alii excommunicatione voluerunt vindicatum, alii recusarunt: quorum posteriores propterea *de borstentasters* nuncupati sunt. Vid. Baelius, in Lexico, in *Mammillaires*, et Micraelius in *Syntagm. hist. Eccles.* Denique, ne plura similia discidia memorem, cum inter Mennonitas aliquis fregerat tabulas, et fidem fefellerat, *een bankeroetier*, novo mox schismate divisi sunt Hans Weber,

Weber, et Jacob van der Meulen, qui posterior factum defendebat, cujus adseclae *bankeroetiers* dicti sunt a. 1598., Vid. Micraelius.

FAMILIA CHARITATIS.

§. CCCCXLVIII. *Familia*, sic dicta, *charitatis* cum Anabaptistis accenseri soleat, eique etiam Mennonitae nonnulli, schismatum suorum pertaesi, ut modo notavi, se adjunxerint, sitque singularis enthusiasmi triste exemplum, ejus aliqua est danda notitia. Vid., praeter Hoornbekium, qui inter Enthusiastas et Libertinos iis locum dedit, et Brand in hist. *Reformationis*, *Antonius van der Linde*, Theologus Franequeranus, in praefat. *Systematis Theolog.*, et Koornhert in dialogo, *Klein monster* oper. tom. III., qui cum autore est conversatus Est autem ejus sectae pater et conditor *Henricus Nicolai*, qui sese *primum illuminatum*, *et familiae charitatis seniorem*, adpellavit, quo elogio libros suos finire solebat, iis subscribens: *caritas extorsit per H. N.* Jactavit vero miser homuncio, *deificatum cum Deo in Spiritu amoris ejus*, *factum cum Christo haeredem in coelestibus divitiarum Dei*, *illuminatum Spiritu veritatis coelesti*, *vera perfectae essentiae luce.* Gessit sese in specie praeconem *charitatis*, et conditorem regni charitatis, eoque respectu majorem Mose non tantum, sed et Christo, cum ille *spem*, hic *fidem*, tantum adnunciaverit, ille in atrium, hic in sanctum, tantum penetraverit, ipse vero in *sanctum sanctorum.* Natus fuit Monasterii quidem, sed Amstelodami diu habitavit, et Koornherto familiariter usus est, apud ipsum, Embda per Hollandiam commerciorum causa in Brabantiam tendens, divertere solitus. Petiit etiam Angliam, ubi multos ex operariis, mulierculis, et incauta plebe, specioso charitatis titulo, in partes traxit. Dogmata vero sua spargere coepit a. 1556., nonnullos tractatus, magnificis sub titulis, ut *euangelii regni terrae pacis*, *exhortationis*, *correctionis.*, *prophetiae de Spiritu*

charitatis etc., et varias epistolas, scripsit. Quae opuscula supersunt, sed, praeter inconditam locorum Scripturae congeriem, prophetiarum ad se et socios adplicationem, ac rerum insipidarum confusum chaos, nihil vel parum habent. Refutarunt tamen, praeter Anglos, Koornhertus, Micronius, Grevinchovius, alii. Fuerunt etiam e familiae hujus sociis, qui se *Deum* non erubuerunt dicere, teste Koornherto. Ediderunt denique ejus adseclae *confessionem fidei*, Elisabethae, Anglorum Reginae, oblatam a. 1575., sed quae sectam publico proscripsit edicto. Vid. Cambdenus in hist. Elisabethae a. 1580. Ceterum inter praecipua sectae dogmata, praeter enthusiasmum et deificationem, refertur, quod externa religionis professio sit minus necessaria, nec dissimulatio in re religionis illicita, martyrium, aut quaevis adflictio, pro fide nullius pretii aut usus; nemo porro propter hanc illamve religionem reprehendendus, omnia ex charitate sint ferenda, et in bonum interpretanda. etc. Inputatur etiam ipsis corporum negata resuscitatio.

SECTA DAVIDIANA.

§. CCCCXLIX. Arctiore cum Anabaptistis vinculo conjunctus fuit *David Georgius*, una etiam cum Mennone, ab Ubbone Philippi missus, sed dein propriae sectae, *Davidianae* ab ipso dictae, conditor. Cujus viri tam singularia sunt fata, tam diversa de ipso judicia, ut illum praeterire non liceat. Legi autem, praeter recentiores, ut Godfr. *Arnold*, qui prolixus est, et eum defendere conatus est, Hoornbekium, Brand, Meiners l. cit., debent Ubbo Emmius, Thuanus lib. XXII. a. 1559., Johannes Acronius, inter epistolas clarorum virorum, a Gibbema editas, centur. I. ep. 67. in primis epistola Theologorum Basileensium ad Mensonem Altingium, apud Hottingerum hist. Eccles. sec. XVI. p. v., et prae omnibus Bleisdikius, gener Davidis, in ejus historia, a Jac. Revio publicata, qui postea se circumventum agnovit,

agnovit, et ad faniorem rediit mentem. Natus fuit fingularis hic vir initio feculi e vilioris conditionis parentibus, patre Georgio, Amersfortenfi, quem ludionem fuiffe volunt, et matre Maria, quae, tanquam Anabaptifticae fectae, decollata eft a. 1537. Delphis, fed, *quia honeftiore erat familia nata, in quodam monafterio fepulta*, inquit Bleisdikius. Ipfe, illiteratus licet, acris ingenii, artem pingendorum vitrorum exercuit, et cum patre ad ludos oftendendos oberravit, perfonam *Davidis* paffim agens, unde *Davidis* traxit nomen, antea dictus fimpliciter *Georgius*, feu Joris. Adultiorem nactus aetatem, tanto in idololatriam Papifticam flagravit zelo, ut, tempore proceffionis, publice facerdotes egerit idololatriae reos, omnefque ab ea dehortatus fit. Quam ob caufam in carcerem conjectus, lingua perforata, virgis caefus, et ex urbe relegatus eft a. 1528. Dein fe adjunxit Anabaptiftis, a Melchiore Hofmanno fufceptus, a Johanne Matthia, famofo illo Monafterienfi, baptizatus, et ab Ubbone Philippi conftitutus Epifcopus Delphenfis. Poftea eorum partes diffidentes unire conatus eft, pacto etiam unionis a. 1536., in pago Weftphaliae Boekholt, procurato inter Monafterienfium reliquias, Hofmannianos, et Batenburgicos, a Johanne Theodorico Batenburg, cujus pater erat nobilium Batenburgiorum fpurius, fic dictos, qui primum conful Stenovicenfis, dein fefe tectum regni Monafterienfis inftauratorem geffit, et multa patravit nefanda. Quod pactum unionis praecipue in mutua tolerantia, et principiorum Monafterienfium abnegatione, fundatum erat.

§. CCCCL. Libro vero a Davide de hac unione edito, in quo medius inter diffidentes partes incedit, indeque omnium fibi concitato odio, animum ad novam condendam fectam adplicuit, Spiritus S. inmediatum ductum, et vifiones, jactitans, et novi regni Spiritus et pacis conditorem fe venditans. Flagrante dein perfecutione Anabaptiftarum mifit epiftolam monitoriam ad Senatum Hollandicum Hagae, in qua fe *fervum Dei Tfebaoth* dixit; fed unde nihil

 aliud

aliud est lucratus, quam quod tabellarius ejus fuerit capite plexus. Scripsit quoque a. 1539. ad Landgravium Hassiae, et Status Inperii Germanici, sese a Deo declarans electum, qui mundum illuminaret: sed nihil quoque obtinuit. Ad Annam quoque, Comitissam Frisiae Orientalis, misit a. 1540. apologiam, contra viginti quinque articulos accusatorios, sibi et sociis objectos, ut se ab iis liberaret, et in gratiam Annae insinuaret, simul ejus pro sociis, qui ibi haud pauci erant, patrocinium inpetraret. Exstat apud Arnoldum. De quo postea. Publicavit haud diu post, a. 1542. librum suum famosum, dictum *Mirabilium* (wonderboek), vere mirabilem, et rebus et stilo, paucisque intelligibilem, nec sine taedio, ut ipse expertus sum, legendum, licet aliqua, veram Christianismi naturam exprimentia, in eo non desint. Intercessit porro ipsi aliquod commercium cum Johanne a Lasco, Ecclesiarum in Comitatu Frisiae Orient. tunc Superintendente, scriptaeque sunt litterae quaedam mutuae a. 1544., quarum argumentum exhibet Bleisdikius, versatum praecipue circa divinam Davidis vocationem, aliasque ejus opiniones nonnullas. Sed, licet a Lasco, spem emendationis ejus fovens, ipsum in litteris vocaverit *dilectissimum fratrem*, abrupit mox, incorrigibilem ejus expertus superbiam, omne cum eo commercium.

§. CCCCLI. Coeperunt tandem ejus et sectae res magis magisque collabi, adeo ut, ad incitas in his oris redactus, sese, multis opibus per sociorum liberalitatem collectis, Basileam contulerit. Infensissimi ejus hostes fuerunt Batenburgici, etiam post Johannis Batenburgi necem, qui scelerum suorum debitas luit poenas, dum, ut Bleisdikius inquit, *seditiosis et crudelibus suis artibus, et consiliis, se ipsum suis hostibus inprudenter proderet.* Praeterea Argentinenses Hofmannici, quorum magna erat inter Anabaptistas autoritas, ab ipso manserunt alieniores. Colloquium cum iis Argentinae habuerat a. 1538., sperans, se eos in partes tracturum esse: sed nec *vocationem et autoritatem suam, nec nova dogmata, de omnium peccatorum confessione publica, de necessitate*

pudoris

pudoris membrorum genitalium expugnandi, de polygamia, de uxorum, ob diversitatem fidei, vel mores minus commodos, dimissione etc., iis ullo modo persuadere potuit. Quod colloquium fuse descripsit Bleisdikius. Nec melius ipsi cum Mennone, et Mennonitis, successit res. Menno etiam eum refutavit, et multos ab eo absterruit. Monasteriensium etiam reliquiae, in Westphalia, et triplice Frisia, degentes, ejus deseruerunt societatem, Argentinenses secuti. Inprobarunt in specie, et aversati sunt 1. detectionem membrorum genitalium, et pudoris profligationem, facere ad perfectionem consequendam. 2. Omnia peccata in hoc coetu esse palam confitenda, 3. matrimonii obligationem posthac cessare debere apud perfectos 4. praeter carnis adversus Spiritum rebellionem, nullos esse substantiales daemones. 5. Alium et novum vindicem generalem, et ducem, a praesente populo Dei esse observandum et sequendum, praeter personam Jesu Christi ad ultimum judicium venturam. 6. Novam hanc doctrinam ad normam Propheticae et Apostolicae doctrinae non esse exigendam, nec inde confirmationem petendam, nec signis probandam. Ad quae omnia adcessit, primarios ejus sectatores, per quos se toti orbi speraverat novam daturam formam, in urbe Delphensi et alibi fuisse infelici fato sublatos. Saeviit enim vehementer Anabaptistarum, nullo facto discrimine, in primis Davidianorum, persecutio in Hollandia, et Westphalia a. 1537., quae et matrem ejus, et optimos socios e medio sustulit, adeo ut intra biennium fere centum sint occisi, ut ipse in quadam supplicatione ad Landgravium memorat. Vid. etiam Bleisdikius.

§. CCCCLII. Hisce in angustiis positus, et ad paupertatem redactus, misit ad sectae primarios epistolas, querelarum plenas, ad opes conquirendas, eo cum stupendo effectu, ut per Nobiles et divites familias, nuper sectae, specie pietatis ac constantiae ejus, inplicitas, ingens admodum copia in sinum ejus confluxerit. Quo ipso deterior factus a morum severitate haud parum descivit, et, in licentiam ac petu-

lantiam prolapsus, plures adscivit uxores, aliasque exercuit mixtiones: a. 1540. Quo in statu cum res ejus essent, ipseque cum suis nusquam amplius tutus, consilium coepit discedendi, seseque cum tota domo et comitibus contulit Basileam: ubi sedes fixit a. 1544., a Magistratu jure civitatis donatus, et in tutelam receptus. Ei enim inposuerat, dictitans, se, euangelicae professionis caussa, e patria profugum, omnes suas fortunas ibi collocare velle. Inerat praeterea corpori dignitas et vultui species liberalis, omniaque ad pietatis et modestiae speciem erant composita, videbaturque omnia ex animo loqui ac agere. Sumsit autem hic nomen *Johannis a Bruck*, etiam *a Binningen*, ab arce, in confiniis urbis emta. Obstrinxerunt sese mutuo religiose admodum, ut 1. nomen ejus verum Davidis Georgii nemo eloqueretur, aut indicaret, 2. nemo conditionem ejus in patria significaret, 3. cum nemine sectae dogmata communicarent, aut aliquem reciperent in societatem. Quae omnia sunt exacte usque ad ejus mortem observata. *Jussit etiam hoc ipso anno* 1544., verba sunt Bleisdiki, *cum oratione, tum scripto, ubique terrarum suos abstinere a doctrinae suae ad alios propagatione, quia tempus malum esset, in quo sapienti esset silendum, et Jacobo vestitus Esau ad tempus induendus, ut, a periculo inpiorum tutus, benedictionem ab Isaaco clam adipisceretur.* Quod ipsum consilium multis bene cessit, cum, a flagrante sectam promovendi inpetu retenti, postea ad saniorem quoque mentem redacti fuerint.

§. CCCCLIII. Vixit Basileae, cum numerosa familia, clientibus et servis, honeste, et ad speciem pie, simul splendide, instar magni Nobilis in aula, opibus abundans, quae quotidie etiam ad ipsum ex aliis terris adfluebant. Domicilium habuit in urbe, et extra eam quoque arcem, variaque, quae emit, praedia. Religionis publicae ritus adcurate et religiose observarunt omnes, erga calamitosos et egenos sese gesserunt misericorditer et liberaliter, cum omnibus conversati sunt honeste et amice, adeo ut omnium sibi concilia-

rint

rint favorem. Domi quoque rerum adminiſtratio et diſcipli na exacte obſervabatur, ac ſingulis erant diſtributa officia. Verbo, bonorum civium, et proborum Chriſtianorum, partes egregie expleverunt, omniumque meruerunt calculum. Quid? quod domi non aliter vixerit Georgius, teſte Bleisdikio. Unum alterumque vitae quotidianae ſpecimen memoraſſe, non erit alienum. *Quotidie*, inquit autor citatus, *eum ſalutabat paedagogus cum junioribus liberis, quos raro aut nunquam dimittebat ſine ſeria aliqua admonitione de timore Dei, de ſtudio et diligentia precandi Deum, aliiſque pietatis exercitiis; habebat liberos optimae indolis, ejuſquè obſervantiſſimos.* Per duas prandere ſolebat horas, praecipue ob colloquia, quae de religione, aut aliis honeſtis rebus, ibi miſcebantur. Diem terebat ſcriptionibus, deambulatione, vel horti cultura, nec non pictura, qua valde delectabatur: luſus quoque pueriles, ad riſum uſque, ipſi in deliciis erant, a perſonata morum gravitate abhorrenti, in *precibus* erat denique *et ipſe ſerius, et ardens, in admonitionibus et exhortationibus ſedulus, in docendo venuſtus, ſed amethodus*, inquit Bleiſdikius: alia mitto.

§. CCCCLIV. Tenuit hunc vitae tenorem Baſileae per undecim annos, laudabiliter et pacifice, et extra et intra domum. De quo etiam vid. Ephemerides J. Halleri in Muſ. Helvet. p. V. Orta quidem in domo ejus fuit aliqua inter ipſum et Bleiſdikium, generum ejus, a doctrina ejus alieniorem factum, diſſenſio, ſed ſociorum interceſſione brevi compoſita, ita ut ſocer generum priſtino complecteretur favore, gener ejus molimina et inſtituta neutiquam proderet. Sectam quidem domi, et in patria, confirmare non deſtitit per litteras et ſcripta, ſed Baſileae non propagavit. Manſit itaque hac parte ignotus Baſileenſibus per omne vitae tempus, licet ex inferiore Germania aliquis, non nullius autoritatis, eum nonnullis civibus fecerit manifeſtum. Defunctus, triduo poſt uxorem. eſt placide a. 1556., et honeſte non tantum, ſed et honorifice, pro more Baſi-

 leenſium,

leensium, magno cum civium comitatu, sepultus in aede sacra Leonhardi. Sed post mortem ejus graves ortae sunt in domo ejus lites, dum aliqui, a nonnullis ejus doctrinis jam antea alieniores, domesticos de illis liberius admonerent, alii nimis acerbe monitoribus contradicerent, eosque insectarentur. Unus autem famulus, qui Davidi et familiae per quindecim annos fideliter servierat, propter mutatam in religione sententiam, magna cum contumelia domo ejectus, aliumque nactus dominum, rem totam evulgare coepit eruditis aliquot viris, qui, re accuratius pervestigata, ad Magistratum detulerunt, ut Bleisdikius refert.

§. CCCCLV. Quo facto, filii ejus, generi, clientes, servi, et amici in curiam sunt evocati, et interrogati de vero Davidis nomine et dogmatibus; dein, cum nomen esse Johannem a Bruck, declararent, et se de pravis doctrinis nihil scire, in carcerem abducti sunt, libri vero, cum litteris omnibus, e domo in curiam adlati, ac doctis viris et Theologis traditi, ut examinentur, qui gravissimos errores, inde excerptos, cum Magistratu communicarunt. Incarcerati vero, de iis admoniti, se ab illis esse alienos, ac receptae doctrinae adhaerere confessi sunt, adeoque liberati, et ad Ecclesiae communionem admissi, attamen sub certis conditibus, ne peregrinos in domum admittant, nec inmobilia amplius emant bona, etc. Ipsius Davidis corpus, cum imagine, libris ac litteris, post actum institutum judicialem, sententia pro more Basileensium solenniter lata, combustum est in loco publico. Quae fusius in relatione Academiae Basileensis, obvia in historia Davidis apud Schardium rer. German. tom. III., narrantur. Exstat etiam *relatio* illa Belgice ad calcem Cl. Emmii, de *Spiritu et doctrina Davidis Georgii:* prolixe etiam retulit Acronius in epist. citata. Ceterum haud paucos hoc Basileensium judicium offendit, simul ansam, nimis plausibilem, dedit Pontificiis in Protestantes retorquendi. quod saepe in Pontificiis damnarunt.

§. CCCCLVI. Secta tantum abest, ut post mortem ejus,

et contumeliosam corporis tractationem, fuerit exstirpata, ut ad eam non tantum ipsi e familia ejus, ac domestici, qui solennem ediderant, cujus modo memini, confessionem contrariam, redierint, sive falso abjuraverint, sive ad eam desciverint, de quo vid. Emmius in *Spiritus Davidis expositione* prolixiore, sed et sec. sequente, in initio, *David Georgianam Sectam non tantum in Batavia adhuc viguisse, viresque majores acquisivisse, verum in finitimas regiones penetrantem magis magisque serpere, adeoque Frisiam quoque infecisse*, Theologi Basileenses ex litteris Menf. Altingii ad ipsos in responso referunt apud Hottingerum hist. Eccles. sec. XVII. p. V. Dandus itaque est adcuratior Spiritus Davidis, ejusque sectae, conspectus ex libris ejus, in primis *mirabilium*, cujus argumentum enarravit Bleisdikius, et excerptis Basileensium ad calcem Emmii, et apud Acronium in epist. cit., denique ex Bleisdikio: addenda sunt, quae Godfr. Arnold ad ejus justificationem protulit.

§. CCCCLVII. Capita doctrinae, tam theoreticae quam practicae, ab adversariis exhibita, huc praecipue redeunt. 1. Unicam esse substantiam Divinam, sed tres ejus manifestationes et Oeconomias, Patrem, Filium, et Spiritum S. 2. Angelos bonos et malos nihil esse nisi bonas vel malas adfectiones, et operationes, in hominibus, adeoque homines iis praeditos. 3. Praeter corpus esse in homine servando animam, inmortalem factam per Spiritum, adeoque esse in eo Spiritum; in reliquis vero hominibus morituram animam, quippe quae per Spiritus adjunctionem, qua carent, tantum fit inmortalis. 4. Coelum et infernum esse intus tantum, in hominis mente bona vel mala: nec aliud quid esse judicium ac resurrectionem. 5. Patris Oeconomiam fuisse ante Christum, eamque puerilem, inperfectam, et externam, in *fide* sitam; quam Adam primus, Abraham, Israel, et David primi, Salomo etiam primus, et atrium etc. depinxerunt. 6. Filii Oeconomiam cum Christo incepisse, priore abolita, ea quidem perfectiorem, nec tamen plenam, par-

tim externam et litteralem, partim Spiritualem et internam, in *spe* sitam, miraculis confirmandam, et signa ritusque externos admittentem, verbo etiam externo et scripto indigentem, eaque ratione contra portas inferorum se non tuituram, sed opprimendam esse, sicut per Antichristum est factum. Fuisse autem *Christum*, Adamum, Abrahamum, Israelem, Davidem, Salomonem etc. *secundum*, ejusque Oeconomiam expictam per *sanctum*, Christum, denique, munere defunctum, plane deposuisse carnem, corpore, quo peccata hominum susceperat, una cum peccato abolito: Spiritum solum et animam superesse, sed illam latuisse absconditam, donec nunc in Davide se rursus exseruerit. 7. Spiritus S. Oeconomiam, superiori succedentem, esse vitam perfectam, aetatem adultam, a superiore praefiguratam, Spiritualem totam et perfecte liberam, in sola *charitate* positam. Cujus per regenerationem in baptismo participes facti, quamdiu in abnegatione, et mortificatione parum profecerunt, opus adhuc habent Scriptura, verbo litterali, et sacramentis: sed qui perfecti evaserunt, sicut illis non indigent subsidiis, solo ducti Spiritu, ita a legis praeceptis liberi sunt, nec peccata committunt amplius, quicquid agunt rectum est et bonum. Exuerunt et illi in specie pudorem membrorum genitalium omnem, quippe totum ex peccato ortum, et paradisiacam induerunt simplicitatem, nullas etiam carnis titillationes sentientes, et sine pudore coeunt; exemti porro legibus conjugiorum, consanguineitatum, et adfinitatum, nec legem iis esse positam, quibuscum corpora misceant mulieribus; tales enim, qui Spiritu Dei aguntur, non posse aberrare, vel exorbitare, fidem itaque conjugalem nemini addicere. Deum enim arcano Spiritu curaturum, ut simile simili adjungatur, esse angelicos, qui nec ducunt, nec nubunt; eoque modo natos esse omni labe puros, sanctosque et perfectos futuros. Praeterea bona hujus seculi alia non debere propria reputare, sed communia habere. Huic denique regenitorum et perfectorum societati omnia

mundi

mundi regna esse subjicienda, per singularem Dei directionem, Regnumque Christi gloriosum ac externum tunc in terra futurum, inpiis omnibus subjectis, vel deletis, cum potestatibus mundanis.

§. CCCCLVIII. 8. Ad hanc porro vitam introducendam, et perficiendam, se esse inmediate a Deo electum, via quoque specialiter monstrata, praetendit David, per visum quoddam divinum, et nocturna quaedam somnia a. 1536. Jejuniis enim et precibus totus deditus, ut narrat Bleisdikius, et in ecstasin raptus, vidit, ut putavit, puerulos aliquot manibus plaudentes, tripudiantes, aliaque laetitiae signa edentes, iisque postea totius orbis Reges et Principes factos supplices, seseque cum omnibus ornamentis submittentes: dein in opposita parietis parte vidit mulieres nudas, dein in columbas versas, seque columbum factum cum illis coiisse, easque inpraegnasse. Hoc ipsum visum pro totius doctrinae ejus habetur fundamento, cui omnia superstruxit, ut de vita perfecta, et primaeva ante lapsum integritate, innocentia, et justitia, pudendorum sublato pudore, promiscuo concubitu, libertate perfecta, de omnium potestatum subjectione, etc. 9. Status itaque hujus causam instrumentalem Davidem esse, e Spiritu Christi, hucusque apud Deum occultato, regenitum, eumque in se habere inhabitantem, secum personaliter unitum. Christum propterea Davidem, ad quem omnes Prophetiae et typi ultimo respexerunt, Prophetam, quem Moses instar sui promisit, Paracletum, a Christo mittendum, Spiritualem hominem, qui a nemine judicatur, Christo ipso majorem, quantum Spiritus est littera major, contra quem blasphemando peccare, nec ei se adjungendo, est contra Spiritum S. peccare; qui etiam mundum ultimo judicabit, una cum iis, qui eorundem sunt animorum et adfectuum, et orbem subjiciet, Christum vero hunc Davidis Spiritum praefigurasse tantum, et viam stravisse, et nunc in Davidico Spiritu esse perficiendum. 10. Porro in communione cum hoc Christo Davi-

de esse salutem, resurrectionem, et vitam, veram quoque scientiam, et Scripturae intellectum genuinum, ac Spiritualem; reliquam vero omnem scientiam, ipsius etiam Scripturae S., esse inutilem, vanam ac abolendam; veram denique ibi esse et perfectam libertatem. 11. Ad hanc communionem, et status perfectionem, qui pervenire velit, eum debere *temperatissime vivere*, ut verba Basileensium apud Acronium l. cit. habent, *plurimum orare*, *puerum fieri*, *sensus exteriores et interiores abnegare*, *seque agnoscere puerum*, *sine judicio et intellectu*, *quo*, *mundanis omnibus depositis*, *adolescat novus in Spiritu*, *qui judicat*, *Davidis doctrinam omnium esse verissimam*, *fiat homo novus*, *et purissimum vas*, *ad novum et purissimum vinum excipiendum*. Denique 12. antequam Regnum Christi hac in perfectione erectum sit in terra, inpiis prostratis, et potestatibus adversariis deletis, quod David cum sociis exspectabat, et in quo ipse Rex foret, sive non moriturus, sive resurrecturus; antequam, ajo, hoc fieret, et dum secta Davidiana in medio adhuc versaretur mundo, 1. libertatem, modo descriptam, prudenter esse et moderate exercendam, ne alii offendantur, aut irritentur: esse quidem omnia licita, sed non esse fas aut decere. 2. Sectae instituta et dogmata non esse promiscue divulganda, sed prudenter occultanda, *ne sanctum canibus et porcis projiciatur*. 3. Licere etiam sese tempori adcommodare, quibusvis etiam sectis in professione, ritibus, et cerimoniis externe adjungere, modo mens Davidiana retineatur: esse enim ea omnia indifferentia, et ad alios lucrandos utilia, etc. Quod et ipse David suis inperavit, et Basileae fecit, adseclae quoque ejus postea praestiterunt. De quibus omnibus fusius egit Emmius, simul verbis Davidis, ac exemplis, confirmavit.

§. CCCCLIX. Ex hac Davidis, ejusque doctrinae et institutorum, descriptione si judicium sit ferendum, David habendus erit hypocrita, injustus bonorum et divitiarum corrasor et possessor, libidinosus sub libidinis exstinguendae praetextu,

praetextu, polygamus, quem duas habuisse uxores manifestum fecit Emmius, historia quoque earum, et liberorum inde natorum, ex authenthicis monumentis inserta, superbiae porro plenissimus, qui sibi omnia excelsa et gloriosa supra omnes sanctos, ipsum Christum, adrogavit, denique magnus fanaticus et Enthusiasta, simul ambitiosus, ad totius mundi regnum adspirans: cujus etiam aliquod fuit indicium in sigillo, quod secum solebat gestare, cujus imago erat monstrum, ante ovis simplex, et post leo, mundum pedibus habens subjectum. Doctrina denique foret omnis eruditionis et scientiarum non tantum, et boni ordinis in orbe, sed et Christianismi veri ac rationalis, destructio, cum ipsa Scriptura S. Sed ab altera parte si Davidianos audiamus, apologiam ipsius Davidis ad Frisiae Orient. Principem Annam, cujus supra memini, apologias quoque alias adseclarum ejus, inter quas est anonymi apud Gotfr. Arnold, sub nomine Huygelmumzoon, contra *Spiritus Davidici* expositionem U. Emmii, cui Emmius pleniorem oppofuit deductionem, supra citatam, conferamus, multa oportet sint falso, vel e rumore, vel odio, vel male intellectis ejus libris, ei adficta, ne ipsa quidem, quae Bleisdikii nomine prostant, genuina forent omnia, et ab eo profecta. Justificavit etiam in praecipuis Davidem Godfrid. Arnold, et, praeter Brand, judicium suspendit Weisman, hist. Eccles. sec. XVII., ne ab altera parte veritatem, ab altera charitatem laedat.

§. CCCCLX. Quod ad me adtinet, 1. apologiis pro Davide per omnia non censuerim fidendum esse, quia veritatem in nonnullis aperte migrant, ut ab Emmio est evictum, multa silentio praetermittunt, alia colorant, quod secundum sectae principia licitum putant, denique in genere et vage negant, quae certo tantum sensu possunt. Distinguendum enim, secundum sectae instituta, est inter viam ad perfectionem, et ipsum ejus statum, inter sectam in mundo adhuc versantem apud mundanos et adversarios, ac jam do-

minantem, et omnia obtinentem, nec non inter sectam per se, et sociorum respectu, consideratam, et ejus conversationem cum aliis extra eam. De qua distinctione ex superioribus satis constat. Secundum itaque eam possunt eadem pro veris ac falsis haberi, adeoque a Davidicis negari, ab adversariis adfirmari, et utraque esse vera, pro diverso respectu. Sed 2. quae supra de Davide, ejusque secta, retuli, tot tantisque indubiis testimoniis, per ipsa Davidis scripta confirmatis, innixa sunt, ut, nisi omnis sit neganda fides historica, in dubium vix vocari queant. Cohaerent praeterea cuncta secum, nec talia sunt, ut in hominem fanaticum et ambitiosum cadere nequeant. Venit porro ex ea Anabaptistarum schola David, quae praecipua tenuit dogmata, quibus alia facile superstrui potuerunt. Accedit, in apologiis parum fuisse productum, quo hypotheses, supra memoratae, solide refutantur, praeter nuda dicta.

§. CCCCLXI. Nec tamen 3. inficias iverim, aliqua fuisse ei falso inputata, alia quoque in pejorem rapta partem ab adversariis, ut passim fieri adsolet, teste omnium seculorum historia Ecclesiastica. Quod vel ex ipsius Davidis apologia ad Annam facile a perito et moderato lectore deduci potest. Dixisse et tenuisse fertur, ut unum alterumve proferam, quod diversimode exponi et accipi potest, se esse Christum Davidem, Paracletum, quin Deum quasi etc. Negavit hoc de se, teste apologia, negarunt etiam Davidiani, de Spiritu Dei in Davide et sociis operante interpretati: quod Emmius exhibet et refutat. Sed esse potuit, ut ad Spiritum Dei respexerit, eumque directe intellexerit; ansam tamen suis dictis, et phrasibus dederit, tale quid de ipso suspicandi, ut ex iis, quae protulit Emmius, elucescit, imo, Spiritum tam arcte secum unitum, et in se agentem, praetendit, ut ipsi, aeque ac Filio Dei et Messiae Christo homini, adtribui possit titulus Spiritus S., ac Messiae Davidis: quod ex ipsis ejus verbis etiam, quae Apologista ejus apud Arnoldum habet, facile colligitur. Praeterea, ubi Oecono-

miam

miam Messiae Davidis, seu Spiritus, nunc erigendam, praecipue in oculis habuerit, nec non litteralem sic dictum, et externum, Scripturae sensum, et hac ratione ei Oeconomiam Spiritus S. opposuerit, tanquam totam internam et Spiritualem: licet confuse et nimis adroganter mentem expresserit. Sic, quod mundum dixit a se judicandum, explicat, et restringit, *sicut sancti* dicuntur mundum judicaturi a Paulo 1 Cor. VI. Quicquid sit, me a veritate et charitate non putaverim discedere, si praecipua, supra in medium adlata, adfirmaverim esse vera, licet inter ea sint, et minoris momenti, et quae excusari possunt.

ANTI-TRINITARII.

MICHAEL SERVETUS.

§. CCCCLXII. Fides Catholica quo tempore a Protestantibus ad examen coepit revocari, non defuerunt, qui hac libertate abusi, ad quaevis religionis Christianae capita examinanda, et in dubium vocanda, sese adcinxerunt, in specie gravissimum illud, et inperscrutabile, cujus nimis adcurata definitio, vocibus et phrasibus non Scripturariis adhibitis, innumeras peperit divisiones, et calamitates, de Divina natura et Personis, et vel veteres errores revocarunt, vel novos formarunt, qui generali titulo *Anti-trinitariorum* insigniuntur, sed secum varie dissentiunt. Quorum primus memoratur *Michael Servetus:* cujus historia, multa comprehendens valde notabilia, tractationem meretur adcuratiorem; quae facilius nunc institui potest, postquam duo praeclari viri clariore eam collocarunt in luce, Michael scilicet de la Roche, in Bibl. Angl. tom. II., vir peritus et moderatus, qui plerosque ejus libros, et judicii acta, in manibus habuit, et Mosheimius, iisdem, sed et aliis, subsidiis instructus, cujus sub auspiciis historiam Michaelis Serveti conscripsit, Henr. Alwoerden Stadensis, catalogo etiam praefixo auto-

rum, qui magis minusve feliciter hanc spartam ornarunt: quos memorare supersedeo, unum Lubiniecium, Socinianum, in hist. reformat. Poloniae, nominasse contentus. Ex quibus generalem ejus, et haereseos, dabo intellectum.

§. CCCCLXIII. *Michael Servetus*, quo nomine se ipse insignivit in librorum de Trinitate inscriptione, alias *Reves de Arragonia*, ut ipse addidit, Reves per anagramma ex *Serveto*, omisso *to*, de Arragonia a patria, unde etiam *Villanovanus* adpellari coepit, a. 1542. Lugduni in Gallia moratus, probe ab Andrea Serveto, aliisque Villanovanis, distinguendus, natus est a. 1509. Villanovae in Arragonia, quae pars est provinciae Tarraconensis, quare Tarraconensis nonnullis audiit, e Parentibus non Judaeis, ut nonnulli scripserunt, sed Christianis, Patre Notario urbis, in religione Catholica, ibi sola tunc nota, educatus, dein litteris humanioribus inbutus, Academiam Tolosanam adiit, et Jurisprudentiae operam dedit, ubi triennium moratus est. Sed, et hic in Biblia Sacra, ante non lecta, incidit, fama forte Reformatorum excitatus, simul varios Ecclesiae Pontificiae errores et abusus detexit, fundamenta quoque opinionis suae de Trinitate jecit, proprio forte marte, quippe ingenio, sed et indole novaturiente, praeditus; nullus utique, quantum constat, ibi tunc fuit antitrinitarius. Quem foetum in Gallia excludere non ausus, in Germaniam, majoris libertatis sedem, se contulit. Per Genevam et Lugdunum tetendit in Helvetiam, et Basileae moratus est a. 1530., ubi cum Joh Oecolampadio sermones de religione habuit, ut ex H. Bullingeri praefatione ad responsionem Tigurinorum ad Jacobum Andream patet, qui notabile Zuinglii et Oecolampadii colloquium de Serveto memoravit; unde liquet, eum jam tunc a recta discessisse via, simul in opinionibus suis esse pertinacem. Disputarunt autem Oecolampadius et Servetus, viva voce et scriptis, de confessione quadam fidei, ab hoc illi oblata. Exstant etiam duae ad ipsum Oecolampadii epistolae, quibus confessionem illam recenset,

et

et doctrinam ejus refutat, scriptae, antequam librum de erroribus Trinitatis evulgavit Servetus. Elucescit autem ex epistolis illis, Servetum jam tunc tenuisse 1. unam esse in Deo hypostasin, 2. Christum, qua hominem, dici Filium Dei, nec ante nativitatem ex Maria fuisse substantialiter, 3. ortum vero esse ex aeternali verbo Patris, 4. esse autem illud verbum repraesentationem futuri Filii Dei: denique 5. mundi creationem esse ab aeterno.

§. CCCCLXIV. Putatur quidem passim, eum hanc doctrinam a Muhammedanis ex Alcorano, dum in Africa versaretur, hausisse: sed de hoc ejus itinere non tantum nihil constat, verum in *restitutione* sua *Christianismi*, in primis in *Ptolemaeo suo*, ubi itinera sua recenset, ejus nullam fecit mentionem; adeo ut merito fabulis accenseatur: ansa inde nata, quod ejus opinio saepe fuerit cum Muhammedana comparata, ut ipse tradit, et queritur. Hinc enim facile fieri potuit, ut eum a Turcis in Africa eam didicisse fuerit fictum: sicut et hinc ortum est, quod linguae Arabicae notitiam ipsi adfinxerint. Rejecerunt itaque merito hanc narratiunculam, praeter Crellium, Roche et Mosheim. Basilea, ut reliqua ejus persequar itinera, ubi minus gratus esse coepit, relicta a. 1531. Argentoratum petiit, et cum Bucero ac Capitone contulit, sed eo cum effectu, ut, teste Calvino epist. 156. ad Sulcerum, Bucerus eum pronunciaverit pro concione dignum, *qui avulsis visceribus discerperetur.* Quod si verum, illud crediderim Bucero, Theologo moderato, per zelum extra se rapto, excidisse. Cum vero nec linguam calleret Germanicam, nec, unde viveret, haberet, sese inde per Basileam contulit Lugdunum in Gallia, ubi biennium, et quod excurrit, trivit. Nusquam tamen per eas regiones in publicum dedisse suas opiniones deprehenditur, nisi in colloquiis cum viris memoratis: licet, eum aliis innotuisse, fieri potuerit. Utique ipse, in libello supplice ad Senatum Genevensem, se cum ullo alio negat dogmata sua, praeterquam cum viris laudatis, communicasse; omni

vero caret fundamento, quod illud diu antea etiam in Gallia, jam a. 1525., ab ipso esse factum traditur, cum tunc vix 14 annos habuerit, quippe a. 1509. natus. Tantum Basileae cum esset, librum de *Trinitatis erroribus* tradidit bibliopolae publicandum, qui Hagenoam in Alsatia misit, ubi, praesente Serveto, qui eo sese Argentorato contulerat, lucem vidit a. 1531., unde graves mox orti sunt in Germania motus. Secutus mox alius est liber, *duorum dialogorum*, de Trinitate a. 1532., ad durius dicta molliendа, et doctrinam suam uberius explicandam et adstruendam; retractavit etiam ante dicta, *non quod falsa sint, sed inperfecta, et a parvulo parvulis scripta.* Varia mox hinc nata sunt hominum judicia, multi magis exulcerati, nonnulli eas inbiberunt opiniones, et latius sparserunt. Singulare, et omni animadversione dignum, est Melanchtonis judicium, et vaticinium de secuturis motibus, hac occasione prolatum in epist. ad Camerarium, a. 1533., quae est lib. IV. epist. 140. *De Serveto rogas, quid sentiam? ego vero video satis acutum ac vafrum esse in disputando, sed plane gravitatem ei non tribuo. Et habet, ut mihi videtur, confusas imaginationes, nec satis explicatas ipsarum rerum, quas agitat, cogitationes. De justificatione manifesto delirat,* περὶ τῆς Τριάδος *scis, me semper veritum esse, fore, ut haec aliquando erumperent. Bone Deus? quales tragoedias excitabit haec quaestio ad posteros,* εἰ ἔστιν ὑπόστασις ὁ λόγος, εἰ ἔστιν ὑπόστασις τὸ πνεῦμα. *(sitne sermo hypostasis, sitne Spiritus hypostasis) Ego me refero ad illas Scripturae voces, quae jubent invocare Christum, quod est ei honorem divinitatis tribuere, et plenum consolationis est,* τὰς δὲ ἰδίας τῶν ὑποστάσεων καὶ διαφορὰς ἀκριβῶς ζητεῖν οὐ πάνυ συμφέρει, *(identitates et differentias hypostasium inquirere non plane utile)*

§. CCCCLXV. Spatio temporis, cujus memini, exacto Lugduni in typothetarum erroribus corrigendis, venit Lutetiam Parisiorum, et medicinae operam dedit, tanto cum successu, ut brevi fuerit Medicinae Doctor creatus, artemque

que ab eo tempore semper professus. Calvinum cum et ibi morari intellexisset, ejus fama excitus, colloquium cum eo petiit, et inpetravit; sed non comparuit, *Calvini conspectum reformidans*, inquit Beza in vita Calvini, qui illud a. 1534. accidisse refert, verius forte, quod minus tutum illud esse intellexerit, periculo omnibus, a sacris Pontificiis alienioribus, inminente. Hinc etiam in Italiam excucurrit, et Romam visitavit; ibi utique eum fuisse, et ante a. 1535., ex praefatione ejus ad Ptolemaeum, ac libro, *restitutio Christianismi*, recte elicitur. Innotuerunt quoque ab eo tempore opiniones ejus per eas regiones. Scripsit utique ea de re Melanchton a. 1539. ad Senatum Venetum, quem de execrabili ejus errore admonuit, quod *Serveti librum istic circumferri audivisset*. Exstat epist. oper. Melancht. vol. IV. Lugdunum redux in lucem edidit a. 1537. librum de ratione *syruporum*, sub nomine Villanovani, quo tunc primum uti coepit, teste Anton. van der Linden de *scriptis Medicis*, qui eum *Galeni interpretem doctissimum* adpellat, et *medicum excellentem*. Sed biennio ante ibidem jam a. 1535. prodierant, ejus sub auspiciis, Claudii Ptolemaei *Geographicae enarrationis libri octo*; quos ipse ad Graeca contulit exemplaria prisca, correxit, et scholiis illustravit, nomina quoque locorum exoleta ad istius aevi morem exposuit, una cum incolentium ritibus ac moribus, additis etiam quinquaginta tabulis Veterum et Recentium. Unde in oculos incurrit, quam falso dixerit Calvinus in *refutatione errorum Serveti*, *eum Graecum sermonem nihilo magis legere, quam puerum alphabetarium potuisse*. Praestitit sese hic virum, in Mathematicis, Geographicis, et Veterum scriptis, bene versatum. Sed et nonnulla occurrunt Catholicae religioni faventia, sive ab ipso in gratiam Catholicorum prolata, sive ab alia manu inserta: quod utique ipse in *actis judicii* Genevae testatus est, libris suis accidisse; sic et de Mose nonnulla minus vera traduntur, quem tamen aliis in locis tanquam *divinum* virum laudat. Excerptum quoque ex his

libris caput accusationis contra fertilitatem terrae Cananaeae negavit esse suum, dein, non de antiquo, sed hodierno, statu Cananaeae fertilitatem illam negari adseruit contra virum aliquem recentiorem; quod tamen verborum nexus vix fert.

§. CCCCLXVI. Paulo serius lucem Lugduni viderunt, a. 1542., apud Hugonem a Porta, Biblia S. e Sancti Pagnini versione, sed ad Hebraeam linguam ita recognita, et scholiis illustrata, ut nova prorsus haberi possit editio: ut verba inscriptionis habent. Curavit eam editionem Michael Villanovanus, qui et praefationem addidit, quam la Roche Bibl. Angl. tom. V., et Mosheimius, dederunt integram, simul notarum, seu scholiorum, ejus specimina: catalogum quoque texuit Mosheimius eorum, quae Indices expurgatorii delenda voluerunt. Singulare est, in praef. et scholiis nullum dici exstare, per totam Scripturam Vet. Test., locum, qui directe, et unice, ad Christum, ejusque Oeconomiam, respicit, sed omnia illa vaticinia duplicem habere sensum, litteralem, seu historicum, et Spiritualem, ita tamen, ut hic posterior sit verus, et magis emphaticus, sensus. Jes. LIII., ut unum alterumve proferam specimen, primo sensu de Cyro exponitur, dein de Christo. Quod ipsi etiam ab ipso Calvino, inter capita accusationum, fuit objectum, tanquam *inpium et malignum:* qua ipsa nota Calvinus quoque inustus postea fuit ab Aegidio Hunnio, qui *Calvinum Judaizantem* conscripsit. Praeterea Ps. XXII. *foderunt manus et pedes meos* interpretatur de fugiente Davide *per abrupta instar quadrupedis*, manibus ejus et pedibus ita perforatis. Ps. CX. per Dominum Davidis intelligit Salomonem, et Jes. VII. per Immanuelem Hizkiam; alia ejus vaticinia cap. XL. etc. de Cyro. Finio in paradoxa nota ad Dan. IX. *ab egressu praedicti ad me a Deo sermonis, de restituenda et aedificanda Hierosolyma usque ad Ducem Cyrum, Christum Dei, qui id exequetur, hebdomades sunt septem, hebdomadisque sexaginta duabus restituetur et aedificabitur platea et fossa,*

fessa, in angustia scilicet temporum: et post eas sexaginta duas hebdomadas occidetur Cyrus, et erit in nihilum, dissipabitque aedificium et desolabit Cambyses, Cyro succedens. Foedus autem primum firmabit Darius. Post quem iterum sequetur Antiochi abominatio stupenda, et erit finis orbis Judaici. Denique nota ad Joh. VI. habet, *caro enim mea vere est cibus vere, et non per tropum.*

§. CCCCLXVII. Incepit quoque Lugduni infaustum commercium litterarum cum Calvino, tribus ad eam missis quaestionibus, ad quas respondit Calvinus, 1. an homo Jesus crucifixus sit Filius Dei, et quae sit filiationis ejus ratio? 2. an regnum Dei sit in hominibus, quando quis ingrediatur, et quando regeneretur? 3. an Baptismus Christi debeat in fide fieri sicut Coena, et quorsum haec instituta sint in foedere novo? Vid. Calvini *fidelis expositio errorum Michaelis Serveti.* Continuato dein Viennae in Delphinatu, quo venit post a. 1542., et ubi medicum egit, commercio, triginta ad Calvinum scripsit litteras, in *restitutione Christianismi* editas. Misit quoque librum MSS. a. 1546. ad Calvinum, quo errores ejus, e libris *Institutionum*, et aliis, collectos notavit et refutavit. Liber non est editus, sed praecipua materia deinceps in *restitutione Christianismi* videtur inserta. Ex hoc commercio gravis fuit inter eos orta simultas, et maxima Calvini in eum exacerbatio, data occasione ubique, etiam in Commentariis ejus in S. Scripturam, sese exserens. Inter nimis exulcerati animi ejus signa referri solet, quod in litteris ad Viretum et Farellum a. 1546. scripserit Calvinus, *audio, Servetum huc venturum, ut mecum conferat: ego, si quid apud Magistratum possum, faciam, ut nunquam vivus abeat.* De epistola ad Viretum unus testatur Bolsecus, in *vita* Calvini, adserens, has et alias ad eum litteras, plus minus quadraginta, fuisse in conclavi Vireti, cum, missione nondum inpetrata, aufugisset, inventas, seseque eas, manu Calvini exaratas, ostendere posse. De epistola ad Farellum testimonium praebet, praeter Varillas in histor. haeresium,

Sorberius in Sorberianis, et H. Grotius in *voto pro pace Ecclesiastica*. Vid. et Utenbogard hist. Eccles. p. II. Sintne hae litterae genuinae, nec ne, suo loco relinquere malim, non tam ob Bolseci et Varillasii, qui fidem diu decoxerunt, testimonia, quam Sorberii, in primis Grotii, et Utenbogardi. Est vero mirum valde, litteras non fuisse eo tempore a Remonstrantibus, quo Calvinum maxime petebant, vulgatas. Apologistae vero Calvini, ut Rivetus contra Grotii librum, et Drelincurtius in *defensione Calvini*, de eo tacent, Alexander Morus genuinas esse negat, sine adlata ratione solida, dein dicit, *si Calvino semel accidisset, inprudenti semel accidisset, cum non semel, sed saepe, contra scripserit*, et exoptaverit, Servetum *primo emendatum dein mitigatam ejus poenam*. De quo postea: quando patebit, mortem Serveti vere voluisse Calvinum. Sed nec illud silentio involvendum, Servetum in una epistolarum ad Abelum Pepinum, e Monacho Franciscano verbi Divini Ministrum inter Genevenses, ad quem plures scripsit, quam ex autographo exhibet La Roche, ex apographo Mosheim, inter alia, minus fortia, dicere, 1. Reformatorum euangelium esse *sine uno Deo, sine fide vera, sine bonis operibus: pro uno Deo habetis*, inquit porro, *tricipitem cerberum, pro fide vera habetis fatale somnium, et bona opera dicitis inanes picturas. Christi fides est vobis merus fucus, nihil efficiens; homo est vobis merus truncus, et Deus vobis servi arbitrii chimaera*. 2. Sibi ob *causam euangelii, et oppugnationem bestiae, moriendum esse, se certo scire, sed propterea animo non defici, ut fiat discipulus similis Praeceptori*, 3. se dolere, quod locos aliquot in scriptis suis, quae sunt apud Calvinum, *non licuerit emendare*.

§. CCCCLXVIII. Fatalem tandem in lucem emisit librum suum a. 1553. Viennae Allobrogum, tecto quidem sub Villanovani nomine, sed se ipsum in ipso libro satis clare detegens, qui ipsi conscivit mortem, et, femori ejus adligatus, cum ipso combustus est, hoc titulo ornatum, *Christianismi restitutio, Totius Ecclesiae Apostolicae ad sua limina*

vocatio,

vocatio, *in integrum restituta cognitione Dei*, *fidei Christi*, *justificationis nostrae*, *regenerationis baptismi*, *et coenae Domini manducationis. Restituto denique nobis regno coelesti*, *Babylonis inpiae captivitate soluta*, *et Antichristo cum suis penitus destructo*. Rarissimus est liber, vix uno alterove inpresso superstite, ac Mss. Omnia enim exemplaria sunt Viennae et Francofurti flammis tradita, ad monita et instantias Calvini, de quo exstat ejus Epistola 135. ad Francofurt. sed num publica autoritate, an a librario sponte, factum sit, tempore nundinarum, minus certum est. Conspectum libri, satis accuratum, ex Mss., a Sam. Crellio accepto, dedit Moshemius. De quo mox. Hic unum alterumque monuisse suffecerit. 1. Primum de Trinitate librum, loquens de Scholasticis sententiis de Trinitate, his claudit verbis: *nec in Talmud*, *nec in Alcorano*, *sunt tam horrendae blasphemiae. Haec nos hactenus audire ita sumus adsueti*, *ut nihil miremur: futurae vero generationes stupenda haec judicabunt: stupenda sunt vere*, *plusquam daemonum inventa*, *quae Valentinianis tribuit Irenaeus. Ab his igitur portentis liberet nos Dominus Jesus Christus*, *salvator et Liberator noster. Amen*! 2. Sexti et septimi libri, per modum dialogorum inter Michaelem et Petrum, initium inter alia habet: *si Christus hodie veniens iterum praedicaret*, *se esse Filium Dei*, *iterum Sophistae nostri eum crucifigerent. Res una est*, *Christus unus*, *ens unum*. *filius unus. Ipsorum suppositum suppositium est idioma Sophisticum*, *et invisibilis illusio. Praestigiosa est eorum salus*, *et praestigiosa mors illius invisibilis rei*, *sacrilega sunt idiomatum sophismata*, *per quae dicitur Angelus intra pellem asini mori*, *et Spiritus S. in mulo mori.* 3. Tractatum de signis Antichristi his verbis concludit; *quisquis vere credit*, *Papam esse Antichristum*, *vere quoque credit Papisticam Trinitatem*, *paedobaptismum*, *et alia Papatus sacramenta*, *esse doctrinas daemonum etc.* Illud non possum quin subjungam, ipsum libro V*to* *de Trinitate*, haud vulgarem tradi demonstrasse peritiam medicam, et arcanum de circulatione sanguinis diu ante

te Harvaeum exposuisse, summis id hodie fatentibus Medicis.

§. CCCCLXIX. Hoc libro edito, et ad Calvinum misso, ipse quidem narratur, litteris una cum epistolis Serveti ad ipsum in Galliam missis, Servetum tam atris depinxisse coloribus, ut Viennae fuerit in carcerem conjectus, et multa, a la Roche et Mosheim adducta, illud a Calvino fuisse effectum, arguere videntur. Sed Calvinus ipse in *refutatione errorum Serveti*, sua factum esse opera, ut Viennae captus sit, pro futili habet calumnia: addit nihilominus, *si vere hoc sibi objiceretur, se causam non habere negandi, qui non dissimulo, me autore factum esse, ut in hac urbe*, Genevae, *deprehensus, ad causam dicendam postularetur.* Refutatur quoque haec Calvini accusatio in Bibl. raisonn. tom. I., tanquam minus solido innixa fundamento, et observatur, Calvinum litteras illas Serveti ad se non misisse Viennam, nisi a Magistratu Viennensi petitas; testibus ipsius Serveti verbis. Additur, causae nihil fuisse, quare nunc demum, post annum 1553., rem indicasset Viennensibus, cum jam a. 1546. liber *restitutionis* fuerit ad ipsum a Serveto missus. Quicquid sit, Servetus ita detectus et comprehensus, in carcerem ductus est per judicem vicarium civitatis; sed, cum sibi bene cupientes ibi haberet, ipsum etiam vicarium, multa gavisus est libertate, nemini ad ipsum occluso aditu. Quo factum est, ut, postquam bis fuerit in judicium vocatus, tertio incarcerationis die evaserit. Patet vero ex actis judicialibus, a La Roche visis, eum, cum claves latrinae petiisset, hac occasione fuisse elapsum; acceperat enim a vicario potestatem eundi, quo vellet. Magistratus vero, causa ejus examinata, eum pronunciavit haereticum, dignumque, qui vivus comburatur. Quae sententia in imagine ejus, una cum libris, est executioni mandata. Exstat apud La Roche sententia condemnatoria cum ejus executione: unde, eos errare manifestum est, qui tradiderunt, eum fuisse dimissum, quod Lutheranorum hostem se fuerit professus.

§. CCCCLXX.

§. CCCCLXX. Cogitavit quidem liberatus Neapolin, ut inter Hispanos ibi medicum ageret, sed iter inprudentissime per Genevam suscepit, quo clam venit, neque in plateis, multo minus in concione, quod nonnulli male scripserunt, alicui visus, teste confessione ejus coram Judicibus, nec ullas tracturus moras. Interea mox Calvino ejus innotuit adventus, qui e vestigio effecit, ut per urbis Syndicum fuerit in carcerem detrusus, ipso Calvino, ut supra vidimus, fatente: cui etiam se comitem in carcere, pro more civitatis, dedit accusator ejus Nicolaus de la Fontaine, uti Calvinus quoque refert epist. 156. ad Farellum: ubi ipsum adpellat *suum*; quatenus fuit, ut in Bibl. raisonn. probabile factum est, ejus domesticus, sub ejus ductu ulterius formandus, licet alii eum aut coquum, aut studiosum aliquem et discipulum Calvini fuisse velint. Produxit mox primo die, seu XIV*to* Augusti, accusator triginta octo quaestiones contra ipsum, una cum libro Mss. ad Calvinum misso, etiam Ptolemaeo, et Bibliis ab ipso editis. Erat etiam inter quaestiones, quod gravi injuria adfecerit Calvinum, et in ipso laceraverit doctrinam Christianam. Quae secundo die repetita ipsum jam adeo in oculis Judicum adgravarunt, ut accusator, vade dato, fuerit e carcere dimissus: Servetus vero alia negavit, alia adfirmavit. Quibus tertio die repetitis, alia sunt ab accusatore addita, qui et secum in judicium duxerat adjutorem, *Germanum Colladon*, Gallum, Serveto antea in Gallia notum. Sed, cum totum processum per partes enarrare, nimis longum sit, apud autores citatos legendum, nonnulla contentus ero observasse.

§. CCCCLXXI. 1. Ipse Calvinus tertia actione judiciali cum ipso egit, nulla ab utraque parte observata modestia. Dicit utique in epist. ad Farellum, *proterve mihi conviciatus est — — — ego, ut dignus erat, eum excepi.* 2. Duos mox in principio dedit Servetus ad Judices libellos supplices, notatu dignos: in quorum *priore* luculenter deducit, contra Divinum esse et humanum jus, propter dogmata

 fidei

fidei accusari capitis, se adhuc magis injuste detineri, quia dogmata non sparsit, petiit quoque advocatum; sed ne id quidem inpetravit: in *altero* de duro nimis carcere effudit acerbas querelas, quodque nihil habeat, quo se contra vim aeris, nuditatem, et pulices, possit munire, licet satis habuerit nummorum. Unde factum est, ut, aliquos Procerum nactus fautores, mitius fuerit tractatus. 3. Magistratus Viennensis, a Senatu Genevensi certior de ipsius captivitate factus, cum ipsum sibi tradendum vellet, ut sententiam, ante latam, executioni mandaret, ipse, hoc audito, ad Judicum pedes provolutus, illud cum lacrymis est deprecatus, mitiora a Senatu Genevensi sperans; non quidem sine ratione, sed nullo effectu, cum poena capitalis haereticorum adhuc inter ipsos Reformatos vigeret, nec hac parte Antichristianismus plene esset abolitus. Confessus etiam est, se, metu compulsum, frequentasse missam Viennae, et in eo peccasse. 4. Processu judiciali dein per scripta instituto, Calvinus triginta octo propositiones ex ejus scriptis excerpsit; quae 15*to* Dec. ipsi traditae sunt. Reperiuntur inter opuscula Calvini, sub hoc duro titulo, *sententiae*, vel *propositiones*, *excerptae ex libris M. Serveti*, *quas ministri Ecclesiae Genevensis*, *partim inpias*, *et in Deum blasphemas*, *partim profanis erroribus et deliriis refertas*, *esse adserunt* etc. Brevi responso a Serveto dato, quod ibidem exstat, fusius scriptum opposuit Calvinus, ibidem obvium, quo acerbius tractat Servetum, qui, propterea irritatus, in notis, hic illic additis, praeter quas nihil reposuit, injuriose admodum in Calvinum invectus est, quod ipsi haud parum nocuit: praeterquam, quod saepe dixerit, *mentiris*, eum nominavit *Simonem Magum*, propter decretum praedestinationis, a quo maxime abhorrebat Servetus, *inpostorem*, *Sycophantam*, *nebulonem*, *perfidum*, *inpudentem*, *murem ridiculum*, *cacodaemonem* etc.

§. CCCCLXXII. 5. Cum in Senatu Genevensi clam esset decretum, capitale supplicium de eo esse sumendum, a Calvino etiam, praejudicio ejus temporis adhuc laborante, ad

proba-

probatum, licet atrox noluerit, ipso teste in epist. 152. ad Farellum, ubi dicit, *spero capitale saltem fore judicium, poenae vero atrocitatem remitti cupio*, esset tamen haec res magni inter Reformatos momenti, Servetus etiam ad exteros provocasset Theologos, consulti a Senatu sunt Pastores et Theologi Helvetiae, Tigurenses, Basileenses, Bernenses, et Scaphusiani, missis etiam documentis necessariis, cum petitione, ut pie et cordate de hac causa judicium expromerent. Consenserunt omnes in responso, licet Tigurini severius, *detestandos esse Serveti errores*, faciendumque, ne veneni contagio per eum latius serpat, et *coercendum* esse hominem. Nullam quidem mortis fecerunt mentionem, nihilque de modo coercendi statuerunt, sed cum capitalis haereticorum poena adhuc vigeret inter Helvetios, et injusta ac terribilis illa juris canonici lex nondum esset abrogata, ut varia docent exempla, nescio, an, per *coercitionem* ipsos eam intellexisse poenam, inde colligi non debeat, licet modus ejus non fuerit definitus. Quorum omnium ignarus Servetus, quod 6. notandum est, libellos supplices iterum dedit, unum 22. Sept., alterum 10. Octobr. In *priore*, se ab errore de inmortalitate animae, ac Christi incarnatione, sibi inputato, liberat, imo, si vera foret accusatio, se vel maxima poena declarat dignum; sed et, quod singulare est, petit, ut Calvinus ipse secum incarceretur, donec lis esset dijudicata, addidit praeterea articulos aliquos accusatorios contra eum, petiitque, ut interrogetur, num non autor incarcerationis suae Viennae fuerit, et mortis fuisset, nisi aufugisset. Tandem, eo sese temeritatis abripi passus est, ut quatuor protulerit rationes, quare mortis reus sit Calvinus, 1. quia criminalem capitis causam fecit de materia fidei, 2. falsus fuit accusator, 3. per futiles et calumniosas rationes opprimere conatus est doctrinam euangelicam. 4 magna parte sequitur doctrinam Simonis Magi. In *posteriore* libello acerbe est conquestus de justitia denegata, et miseria in carcere.

§. CCCCLXXIII. 7. Sententia tandem, cum a Judicibus ferenda eſſet, de ipſo *lenti ignis ſupplicio comburendo*, intravit curiam fautor ejus, et Calvini hoſtis, Amadaeus Gorreus, qui triduo fuerat abſens, ut eum poena liberaret, petens, ut ad *ducentorum virorum* cognitionem cauſa deferretur, ſed nihil inpetravit. Hic autem Gorreus, quem Calvinus *Caeſarem comicum* adpellare ſolet, primum fuerat generalis populi Capitaneus, dein, tanquam per ſeptem annos profeſſus falſam doctrinam a Calvino accuſatus, et ob alia facinora, munere privatus, ac e Senatu motus, denique reſtitutus, hoc tempore *Syndicatum*, ſeu ſummum dignitatis gradum, gerebat. Cenſetur quoque, cum aliis Calvini hoſtibus, incitaſſe Servetum, ad dura illa in Calvinum dicta. Nec defuerunt alii Genevae inter Senatores, et verbi Divini Miniſtros, qui hanc poenam noluerunt, ſed potius vel exilium, vel perpetuam incarcerationem. Borrhaus Cellarius, celebris Theologus, in ullius haeretici necem conſentire noluit. Mortis tantum genus Calvinus mutare voluit, teſte epiſtola ejus 161. Sententia vero Judicum, quod 8. notari meretur, quam autores, ſaepe citati, recenſent integram, *α*. errores ejus memorat circa Trinitatem, et Filium Dei, non niſi per incarnationem factum, nec veram habuiſſe e Maria carnem, verum creatam ex ſubſtantia Patris, unde tria accepit elementa, unum tantum e Maria, circa paedobaptiſmum, tanquam inventum diabolicum. Sed nulla fit inmortalitatis animae negatae mentio, aut aliorum atrocium ejus errorum, aut injuriarum in Moſen; licet inter capita accuſationum fuerit productum, quod Moſi reſpectu fertilitatis Cananaeae contradixerit in Ptolemaeo ſuo; acſi Moſes fuiſſet *vanus praeco:* quod per conſequentiam inde elicuit Calvinus. *β*. Calumnias refert in Trinitatem, quam *cerberum* tricipitem adpellavit, ejuſque confeſſores, quos Trinitarios et Atheos nuncupaſſet, denique in religionem Chriſtianorum hodiernam, eſſe eam ſine Deo et fide, ac pro uno Deo habere *cerberum tricipitem*. Plura ejus in

Trinitatem

Trinitatem horrenda dicta protulit autor in Bibl. Brem. class. I. y. causas condemnationis tradit, quod doctrina ejus sit falsa, et penitus haeretica, ipse vero incorrigibilis haereticus, quodque doctrinam illam per inpressos libros divulgaverit, et schisma intenderit facere, seseque Deo et Trinitati opposuerit. Damnatus itaque est propterea in primis, quod professus sit haereticus; adeoque terribile ejus supplicium pro *haereticidio* habendum est.

§. CCCCLXXIV. Sententia ipsi die 25. Octbr. praelecta, *nunc adtonito similis haerebat*, verba sunt Calvini, *nunc alta suspiria edebat*, *nunc instar lymphatici ejulabat*, *tandem Hispanico more reboabat*, *misericordia! misericordia!* Sed alii, apud Mosheimium, narrant, ipsum de erroris sui levitate disseruisse moderate, et gladium petiisse. In carcerem reductus, et ad se reversus, de injuriis in Calvinum doluit, et ab ipso, in carcerem accersito, veniam petiit, duabus fere ante mortem horis, ut narrat Calvinus, qui addit, se regessisse, ut a Deo, quem tanta adfecerat injuria, peteret veniam, sed hac parte nihil se ab eo obtinuisse. Executioni tandem horribilis haec sententia data est, ipso illo die, quo pronunciata fuit. Ductus in locum extra urbem, dictum Champel, comitem habens et monitorem Farellum, Novocomensium Pastorem, et amicum Calvini, satis celebrem in historia Reformationis, qui eo tempore venerat Genevam, ac *lento igni combustus est*. Quo modo infelix hic vir se gesserit, et quae fuerit locutus, varie, ut fieri adsolet, narratur. Nonnulla etiam in Calvini invidiam ficta sunt, ut, quod, cum eum videret duci ad supplicium, *subriserit*, *vultu sub sinu vestis leviter dejecto*, quod temere est ex rumoribus divulgatum, et ultimo ejus cum Serveto in carcere colloquio adversatur. Fictum etiam est, quod longum habuerit Servetus sermonem *de vera Dei et Filii ejus cognitione*, cum esset comburendus, quem prolixe recitat Lubienicius in hist. reformat. Poloniae l. II. c. 5. Illud verius, eum perpetuo exclamasse: *o Deus, serva animam*

meam, o Jesu fili Dei aeterni! miserere mei! Exspiravit post dimidiae horae cruciatus. Mortuus autem est in fide sua constans, et a plurimis habitus *martyr*: sed quo eum non esse dignum elogio disputat Calvinus, conquestus etiam, quod haud pauci Itali memoriam ejus caram et sanctam habeant. Vid. *brevis refutatio errorum Serveti* in *opusculis* Calvini. *Vita Serveti*, inquit inter alia, *fuit magis dissoluta, quam ut suspicari liceat, errore ad turbandam Ecclesiam fuisse compulsum*. Profert etiam manifesta *inpietatis*, ut ipse adpellat, indicia. Adjungit, in *morte ejus adparuisse belluinam stupiditatem, unde judicium facere liceret, nihil unquam serio in religione egisse ipsum*. Ceterum Servetum eo ipso, quo dixi, anno 1553. et die hoc modo esse e vita ablatum, et non alio anno aut die, ut nonnulli tradiderunt, certum est. Vid. Beza in vita Calvini, qui et causam supplicii jam reddidit a. 1554.

§. CCCCLXXV. Peperit, quod facile praesumitur, singularis, et terribilis, hic casus varia hominum judicia, inter Pontificios aeque ac Protestantes. Illi quoque his passim hoc supplicium objecerunt, de haeretico quippe sumtum, et criminationes eorum retorserunt. Inter Protestantes licet nonnulli adprobarint, ipse Melanchton in *consiliis et judiciis Theologicis*, a Pezelio editis, et H. Bullingerus, qui etiam in epist. ad Polonos, quae in *prima centuria* Epistolarum, ab Ecclesiae Helveticae Reformatoribus scriptarum, editore Fuisslino, est LXXXII., adfirmat, Servetum a Tigurinis, qui Christum et veram religionem annunciant, fuisse exstimatum *non inique capitis supplicio adfectum*, passim tamen damnarunt, et in Calvinum etiam culpam conjecerunt. Quare Calvinus librum in sui defensionem non tantum, sed et, quod pejus est, ut, haereticos jure gladii esse coercendos, probet, in lucem emisit a. 1554. Cujus brevi prodiit refutatio, autore, sive Laelio Socino, sive Castellione. Quem librum Utenbogardus, Sandius, et alii, postea citarunt, sub nomine *dialogorum inter Vaticanum et*

Calvi-

Calvinum, et fec. XVII. denuo ediderunt, vigentibus difputationibus Arminianis, ut invidiam facerent Calvino, cum nonnullis etiam additamentis. Ex hoc etiam libro *hiftoria Serveti* eft, manu Preciffii, Sociniani, exarata, quam publicavit Utenbogardus. Quam fi admittamus, 1. Calvinus pro autore capti Serveti Viennae erit habendus, per litteras Gulielmi Try, Lugdunenfis, tunc Genevae verfati, ad amicum quendam Lugdunenfem, quibus inter alia fcriptum effet, *nos non fovemus haereticos, cum vos patiamini Michaelem Servetum, hominem maxime haereticum — — — is nunc eft Viennae in tali domo* etc. 2. Servetum, die dominico Genevam adpulfum, et Calvinum pro concione audientem, ab ipfo recognitum et delatum fuiffe. 3. Servetum, ne alia fupra memorata repetam, *vifo igne, ita horrendum exclamaffe, ut univerfum populum perterrefecerit, cum diu langueret, fuiffe e populo, qui fafciculos confertim conjecerunt; ipfum* porro, *horrenda voce clamantem, Jefu, Fili Dei! miferere mei, poft dimidiae fere horae cruciatum exfpiraffe.* 4. Multa crimina in eo facinore fuiffe, a piis reprehenfa, ex. gr. quod *a.* Genevae aliquis fuerit ob religionem fupplicio capitali, *b.* tam crudeli, adfectus, *c.* ipfi libri concremati fint *d.* Calvini opera effectum fit, qui et accufatorem fubornavit; denique *e.* ipfe poft mortem fuerit publice pro concione ad aeternum condemnatus fupplicium, et Calvinus in eum detonare perrexerit in libris. Sic, in *refutatione errorum Serveti*, eum inter alia *obfcoenum canem* adpellat, *falfarium Scripturae, et perfidum nebulonem.* Contra hunc autem Calvini refutatorem fcripfit Beza infauftum librum de *haereticidio:* uti notum eft. Renovatae vero funt hae difputationes maxime in regionibus Belgicis fec. XVII., quando, invito licet et repugnante Epifcopio, uti in litteris, a Limburgio editis, prodiit liber Serveti de *erroribus Trinitatis*, a. 1620. lingua Belgica, autore Regnero Vitellio: quae accurata eft verfio, et mentem auctoris clarius exhibet, quam ipfe fecerat.

§. CCCCLXXVI. Moderatius fuit, nec adeo ſpernendum, Tom. Tenniſoni de *Idololatria*, apud Rochium, hac de re judicium: *quantum mihi ex libris, quos vidi, licuit intelligere, dignior erat, qui vinculis et cuſtodiae, tanquam amens homo, et motae mentis, committeretur, quam qui flammis combureretur.* Facinus utique Genevenſium vix excuſari, neutiquam imitandum, nec cum reformatorum principiis conciliari poteſt. Ipſi Genevenſes, progreſſu temporis, condemnarunt Majorum ſuorum geſta, ſicut omnes faciunt moderati, et qui recte ſapiunt. Nec defendendi ſunt Calvinus et Beza, quod pro *haereticidio* diſputarint, quod ipſum pro gravi crimine verius, quam juſto judicio, habendum eſt. Vid. Saurinus de *conſcientia*, Juriaeus *hiſt. Papiſmi*, et ex Lutheranis J. Fechtius, in *adparatu* ad Epiſtolas Morbachianas. Dicitur quidem aliqua cum ſpecie, ad excuſandos Genevenſes, legem Papiſticam de *haereticidio* adhuc viguiſſe Genevae, et Judices eam non potuiſſe migrare: ſed quare eam non abrogarunt, et cum Papatu quoque Antichriſtianiſmum, cujus character eſt perſecutio, non proſcripſerunt? aut quare cauſam ad Senatum *ducentorum* non retulerunt? qui id facere poterat, quodque Servetus in libello ſupplice petiit, et Syndicus Gorreus quoque urſit. Nec tamen Genevenſes ſoli fuerunt, qui fatales illas leges de haereticidio tenuerunt tempore Reformationis, ſed haec ſeculi haud levis labes fuit, quae omnes fere Proteſtantium terras adhuc infecit. Jus Canonicum, reſpectu autoritatis et poteſtatis Papalis, quidem fuit abolitum, nec inquiſitores, proprie ſic dicti, admiſſi ſunt, ſed ea poteſtas, aeque male, eſt ad Magiſtratus et poteſtates politicas tranſlata. In eodem luto plurimi etiam Theologi Reformati adhuc haeſerunt, in primis Calvinus et Beza, ut ex eorum ſcriptis manifeſtum eſt. Odio itaque Calvini in Servetum, quantopere etiam fuerit per convitia irritatus, non tam, quam perverſo ejus zelo imputandum eſt, quicquid in hac cauſa egit ad ipſum perdendum. Quid autem egerit, ex ſuperioribus conſtat. Detulit

[illegible]sulit ipsum ad Magistratum, processum quidem non direxit, [illegible]t ipsi inputatum est, sed et ab ipso refutatum, attamen [d]omesticum suum subornavit accusatorem, *fateor*, dicit ipse, [e]*x me prodiisse accusatorem*, ipse etiam saepe cum Serveto [e]git, sed a Judicibus requisitus, et, pro istius temporis mo[r]e, adprobavit etiam mortis poenam, eamque omnino vo[l]uit, quare causam ad supremum Magistratum referri in[p]robavit, et ipsi, teste Epistola ejus ad Farellum, supra ci[t]ata, tantum genus mortis durius est visum: ex quo au[t]em convictus est Servetus, *nullum se de poena verbum fecisse*, dicit l. cit. Illud tamen parodoxum est, quod in [e]*xpositione* etc. *errorum Serveti*, de se dicit, *hoc tantum in prae[s]entia testatum volo, me non ita capitaliter fuisse infestum, quin licitum fuerit, vel sola modestia, nisi mente privatus fo[r]et, vitam redimere, sed nescio quid dicam? nisi, fatali vesania fuisse correptum, ut se praecipitem jaceret.* Quae excutere nolim; illud hinc collegisse contentus, injuriosa ejus dicta in Trinitatem, et fidem Christianam receptam, ut et in Calvinum, et fidei professores, multum ad ejus condemnationem contulisse: licet tanquam *manifestus haereticus*, ut sententia habet condemnatoria, fuerit combustus.

§. CCCCLXXVII. Refectis erroribus ejus aliis, ut, quod unice restat, haeresin Servetanam paulo adcuratius exponam, de quibus ex dictis satis constat, et quos Calvinus in *refutatione* eorum recenset, duos tantum circa *Deum*, et *Trinitatem*, in clariore ponam luce. De *Deo* ita loqui videtur Servetus, ut universum pro totidem Dei partibus habere, et totum esse Deum, ac Deum in toto, statuere, censeri forte debeat, utique si dicta ejus premantur, nec mollius explicentur, quod Spinosismum, postea exortum, redoleret. Articulus 29*nus*, a Theologis Genevensibus, ex libris et scriptis [illegible]s excerptus, [illegible]d Calvinum habet; *in Dei substanti*[illegible] *esse, et* [illegible], *non eo modo, quo in creaturis*, [illegible]*dum disp*[illegible] *distrib*[illegible]*nem, ita ut in Spiritu*[illegible] *cujus* [illegible] *sit* [illegible] *praeterea, ubi adfirma-*

adfirmavit, Spiritus nostros substantialiter ab aeterno fuisse; *subjungit, illos esse consubstantiales et caeternos: et tamen alio loco fatetur, Spiritum, quo illuminati sumus, exstingui posse.* Ad quem articulum respondit Servetus, ibid. apud Calvinum, *vera sunt omnia, eo excepto, quod Spiritus Dei in se non dicitur exstingui, sed quodammodo exstinguitur in nobis, quia, quum nos exstinguimur, ipse recedit.* Articulus 34tus habet: *in omnibus creaturis Deitatem constituit, etiam substantialem:* respondit Servetus: *in omnibus est Deus per essentiam, praesentiam, et potentiam, et omnia ipse sustentat.* Videtur Deum forte concepisse per omnia diffusum, instar Spiritus, seu animae, mundi, et statuisse, Spiritus regenitorum esse Deo consubstantiales, ac aeternitatem habere, seu participationem aeternitatis Spiritus Christi, cum spiritus illius substantialem habeant portionem, seu substantialem habitum: sic et in libro *dialogorum*, in Bibl. Brem. l. cit., ubi addit, *non solum vero Spiritus justorum, sed et aliorum hominum, et rerum omnium, lucidae formae sunt ab aeterno in Deo, ut de ideis mox dicemus.* Quae ideis Platonicis, in Deo substantialibus, videntur propius respondere. Denique, ne plura congeram, *generale suum principium* dixit, apud Calvinum l. cit., *ex traduce Dei orta esse omnia, et rerum creaturas esse substantialem Dei Spiritum; esse ex propria Dei substantia omnes creaturas.*

§. CCCCLXXVIII. Quod ad *Trinitatem* adtinet, realem personarum distinctionem in Deo sustulit, et tres modos Deitatis, seu repraesentationes, statuit, quas *personas* adpellavit. Sicut *Spiritum S.* dixit *divinam in hominis animo agitationem, sic quae agitando illustrat Deus et illustrando sanctificat, nec exigitur hic definitio quidditativa, nam de genere motus est vox Spiritus, quasi actio, inpetus, et halitus; et quia, sic movendo, Christo credentes sanctificat Deus, ideo dicitur Spiritus in homine sanctus, et ex fide Christi*: quae ejus verba sunt apud Buddeum Instit. Theolog. l. II. c. I. Vid. et Calvinus l. cit. De Christo, Filio et verbo Dei, quid senserit,

serit, in lucem egregie protraxit autor, qui est Sam. Crellius, in Bibl. Brem. cl. I. Conf. etiam Lubienicius hist. reform. Poloniae, et Sandius Bibl. Antitrin. Christus ipsi 1. est verus homo, qui ante Mariam non exstitit. 2. quem ipsum esse, et dici, *filium* Dei statuit ex Maria natum, sed 3. ab eo esse *verbum Dei* distinctum, esse enim *verbum* illud aeternum, et in Dei substantia, nec aliud quid esse, ac repraesentationem Christi in mente Divina ab aeterno, verum in tempore manifestam factam per modum, quo Deus sese creaturis manifestavit: manifestabat autem se in forma humanae simili, ut hoc modo futurum illum hominem Christum praefiguraret, praeformaret, et exhiberet: esse porro illam formam non distinctum quid a mente Divina, aut Dei Patris hypostasi, sed ipsum Deum Patrem, se ita manifestantem. Cujus personam aliquando gerentes Angeli, etiam Christum, humanam formam adsumentes, adumbrabant, et praefigurabant. Ita rem exposuit Crellius l. cit. Articulus vero Genevensium 27mus ita habet, *ut intelligatur, qualem aeternitatem Christo tribuat, sicut,* inquit, *res omnes nunc sunt in Deo, ita eodem ordine ante creationem erant in eo, et primus omnium Christus.* Item; *Deus ratione sua aeterna corporalem sibi et visibilem Filium aeternaliter decernens, talis speciei substantia se ipsum visibilem praebet per Sermonem.* Quae omnia agnovit Servetus. Hujus autem virtutis Divinae, in Christo habitantis, respectu, dixit, *omnia per ipsum esse creata, et ipsum esse verum Deum.* Sed quod ipsum de omnibus fidelibus, secundum ejus systema, dici poterat, et ipse etiam, ut modo vidimus, fassus est. *Generatio* vero *aeterna* ipsi est generationis et cogitatio, et exhibitio; *incarnationis* modus est, quod ab ipso Mariae utero sumta sit materia carnis, sumtus sanguis purissimus, pura creatura, adeo ut terrena materia, terrenum elementum, sit in Christo a matre; sed paternum semen Verbi substantialiter continebant aquae, aeris, et ignis, elementarem substantiam, quale et in nobis paternum nostrum semen. Quo

 enim

enim modo generatur homo per semen maternum et paternum, eodem etiam Christus per semen Mariae, et Verbi, locum paterni seminis supplentis: *omnium, est terra mater, et terreum elementum semper a matre: nihil est a patre terreum, quod geniti hominis compositionem intrat. Sicut nec in Christo fuit: si quid est in paterno nostro semine terreum, contenti Spiritus est custos, et in membranae illius, quae dicitur χωρίον, externam abit incrustationem.* Verba recensui Serveti ex libro *dialogorum.* Unde clare constat, eum non magis Christi humanitatem negasse, quam aliorum hominum omnium. Eadem fere habet articulus 19*nus* apud Calvinum, sed inde conclusum est, *Christum non habuisse corpus nostro simile, id quod perinde est,* ita additur, *ac redemtionem nostram delere.* Sed proferuntur ibid. mox Serveti verba, quibus dixit, *in nobis solum esse elementa creata, et substantiam Spiritus Dei, ipsi carni substantialiter communicatam.* Respondit Servetus, *corpus Christi est nostro simile, excepta peccati ratione, excepto item, quod ipsum est particeps Deitatis.* Articulus 20*mus* habet, *rorem illum caelestem virgini obumbrantem, et semini ejus, et sanguini, sese inmiscentem, transformasse in Deum humanam materiam:* sed respondit, *transformatio est ibi glorificatio et illustratio.* Ad haec accedit, eum, ut supra habuimus, protestatum esse, sibi male inputari, quod circa incarnationem non recte sentiret.

§. CCCCLXXIX. Denique de lapsu Adami, peccato originali, et redemtione per Christum, rectius Socino credidit, ut ibid. in Bibl. Brem. docetur. Adam, dixit, *mortem in nobis causavit, reos nos nasci fecit, et in nobis inpressit, ut adulti amplius peccemus: causa hujus est, quod serpentem diabolum nobis intrusit, serpenti potestatem sui faciens.* Sic et ibid. *morborum omnium causas cacodaemoni* adscribit, peccatum, quod in nobis omnem operatur concupiscentiam, est diabolus ipse. Articulus vero 37*mus* fert, *non committi peccatum mortale ante annos viginti:* quod agnovit, *ut vero homo servetur,* ita pergit in Bibl. Bremens., *oporteret, homine majorem*

jorem ibi satisfacere, et morte mortis satisfactionem fieri; quae mors justum est illius a morte redemtionis pretium. Haec autem fuit mors pretiosissima Filii Dei, pretium alterius mortis dignissimum, grata Deo redemtio, inmensa compensatio — — Quicunque filius Adami salvatus unquam est, per passionem Christi salvatus est, per eamque ab inferno liberatus, passionem, inquam, Christi, aut jam exhibitam, aut ad id a Deo praevisam. Subjungo postremo, inputari quidem ipsi dogma de *animae mortalitate*, sed ipsum illud studiose a se avertisse in libello supplice, supra memorato. Articulus 38*vus* et ultimus apud Calvinum habet, *animam redditam esse mortalem per peccatum, sicut caro mortalis est, non quod in nihilum anima redeat, sicut nec caro; sed mori, quando cum dolore vitalibus actionibus privatur, et in inferno languens detinetur, quasi non amplius victura: deinde concludit, regenitos aliam habere animam, quam ante, propter substantiam innovatam, et novam Deitatem ei adjunctam.* Respondit Servetus; *locus, quem contra me citas, docet, te perfide agere; nam ibi dico, animam veluti mori, et in inferno languentem detineri: ergo si languet, adhuc vivit — — — alia quodammodo dicitur in regenitis anima; sicut propter accidentia nova dicitur res nova.* Sufficiunt, ni fallor, haec speciminis ergo; ut quid senserit Servetus, et qua ratione cum eo sit actum, intelligatur, et dijudicetur.

VALENTINUS GENTILIS.

§. CCCCLXXX. Cum tragica Serveti sorte nec finitae sunt infelices illae circa Trinitatem, seu personam, essentiam, et consubstantialitatem Patris, Filii et Spiritus S., quaestiones, nec leges Ecclesiasticae de haereticis persequendis cessarunt, sed nova utriusque rei data sunt Genevae, et in Helvetia, specimina, valde deploranda. Cum in Ecclesia Italica Genevae, ex Italis, qui, reformationi dediti, eo, persecutionis vitandae ergo, se contulerant, constante, quaestiones

nes de vocibus οὐσίας *essentiae*, ὑποστάσεως *substantiae*, Trinitatis, et ὁμουσίας *consubstantialitatis*, primum agitarentur clanculum, et nonnulli ad Arianismum vergerent, quorum praecipui erant, Matthaeus Gribaldus, ICtus, Georgius Blandrata, Medicus, Paulus Alciatus, vir militaris, et Valentinus Gentilis, Ecclesia illa Italica, ut malum in herba opprimeret, confessionem fidei concinnavit a. 1558., orthodoxam fidem clare complexam, quae in operibus Calvini, a. 1568. exstat, decrevitque, ut omnes ad eam Ecclesiam pertinentes ei subscriberent, ea cum severitate, ut, qui secus ageret, disputaretve, perfidus et perjurus haberetur, et tractaretur: quod si ejusmodi subscriptionis necessarium foret, ut vulgo putatur, consequens, periculosae plenum opus aleae a multis forte haberetur. Fecerunt etiam illud Valentinus Gentilis, et Alciatus, sed et fidem fefellerunt: unde et sibi varia conciliarunt mala, et multos concitarunt, ibi et alibi, graves motus.

§. CCCCLXXXI. *Valentinus Gentilis*, ut ab eo ordiar, patria Consentino-Campanus regni Neapolitani, ejus Ecclesiae membrum Genevae, cum, non obstante modo memorata confessione, renovare eos errores, et clam spargere, instituisset, detectus, a Senatu Genevensi, causam illam suscipiente, in carcerem est conjectus, tum ob haeresin, vel, ut loqui amant, haereticam pravitatem, seu blasphemiam, tum ob perfidiam. *Auditus est*, inquit Calvinus ibid. *in splendido gravium et doctorum hominum coetu. Quum ejus objecta*, ita pergit, *refelleremus, uno effugio usus est, se disputandi artificium non tenere: ita rationibus eum urgere, ac premere, nihil profuit. Postea farraginem, quam diu meditatus fuerat, scriptam obtulit Senatui, quae confessionem fidei continet*, et scriptum ad ministros Genevenses. Exstat ibid. apud Calvinum cum responso Pastorum ad illud, satis virulento. Mox enim in principio dicunt, se ex eo scripto ipsum deprehendisse *perversi ingenii hominem, et fastus intolerabilis, et virulentiae deditum, et maligno Spiritu inbutum, denique haereticum*

ticum pervicacem. Quo accepto responso, et exemplo Serveti adterritus, se ad preces convertit, inquit Calvinus, ac *poenitentiae simulationem*, revocavit errores, Senatus gratiam inploravit, et, veram professus fidem, errores, ac perfidiam, execratus est, in laudes quoque Calvini se effudit. Ministri Genevenses, quamvis nihil sinceri et constantis ab eo exspectarint, *noluerunt tamen*, inquit Calvinus, *Judicum clementiae intercedere*, *ipsisque quiescentibus* lata est sententia, recitata prius, pro more, actionis summa, in qua habetur, *eum non tantum inpietatem adseruisse*, *sed et convitia ac blasphemias addidisse*, *dicendo*, *Christianos fingere quaternitatem in Deo*, *duos Patres*, *et Deum Turcarum.* In sententia vero dicitur, *ipsum non solum perjurio se inplicasse*, *sed et se declarasse apertum hostem et adversarium Dei*, *et Ecclesiae:* quod *crimen detestabile*, *et gravi poena dignum* pronunciatur, simul ipsum meruisse, *ut exterminetur e numero hominum*, *tanquam seductor*, *haereticus*, *et schismaticus:* sed, *poenitentiae ejus habita ratione*, *et clementia usi*, huic adjudicant poenae in exemplum, *ut exutus usque ad camisiam*, *pedibus nudis*, *et capite discooperto*, *facem accensam manu tenens*, *genibus in terram flexis*, *veniam a Judicibus et justitia deprecetur*, *fatendo*, *se inpie et scelerate sparsisse falsam*, *et haereticam*, *doctrinam*, *tum scripta propriis manibus in ignem ibi accensum injiciat*, *tanquam perniciosis mendaciis referta. Denique*, *ut ad clangorem tubae ducatur per omnia urbis compita in hoc habitu*, *cum prohibitione egrediendi ea urbe.* Quae de *actione*, sic dicta, *fidei*, in Inquisitionis tribunali, nondum inter ipsos Reformatos penitus cessante, testantur. Quibus omnibus rite peractis die 2. Sept. 1558., venia a Senatu petita et inpetrata, dimissus est e carcere.

§. CCCCLXXXII. Sed, fide de non egredienda urbe mox violata, clam aufugit ad Matthaeum Gribaldum, in pagum Fargiarum, haud procul a Genevensi territorio, sed praefecturae Gaiensis, et Bernensium sub dominio, ubi dein a Praefecto Gaiensi in carcerem detrusus, sed, data fide, se

tranquille victurum, brevi dimissus est. Quando se Lugdunum in Gallia proripuit, inquit Calvinus, et *blasphemum illum adversus Athanasii symbolum libellum edidit.* Quem cum ipsi Praefecto dedicasset, iram ejus in se concitavit, quia is eo ipso in suspicionem haereseos venerat; quod postea pessime cessit Valentino. Lugduni denuo incarceratus, sed et post 50 dies dimissus, quod odium praetenderit in Calvinum, et in eum scripturum promiserit, per varias terras vagatus in Poloniam venit, a Blandrata et Alciato vocatus. Tandem post biennii moram, diffidentibus secum sociis, et Rege Poloniae a. 1566. haereticos illos edicto fugante, per Moraviam et Austriam, inprudenter repetiit antiquam Praefecti regionem. Denuo enim captus a Praefecto, et melius custoditus, Bernam est ductus, ac per multos dies, a 5. Aug. ad 9. Sept. examinatus, ad capitis supplicium damnatus est, et eo adfectus a. 1566. Quam tragoediam fuse descripsit Benedictus Aretius, Theologus Bernensis, in *historia damnationis ejus*, qui nihil peculiare ab ipso, die supplicii dictum, memoriae mandavit: alibi tamen tradit, ipsum de se et scripsisse, et locutum esse, *se esse patronum summi Patris eminentiae, et adsertorem gloriae Patris*, cujus nemo ante ipsum hucusque fuisset Martyr.

§. CCCCLXXXIII. Refert, ut haereseos ejus aliquem intellectum praebeam, ex Budzinii Chron. MSS. Lubienicius l. cit., Valentinum in Synodo Pintzoviana a. 1561., hanc edidisse confessionem, *Deum in latitudine aeternitatis creasse Spiritum quendam excellentissimum, qui postea in plenitudine temporis fuerit incarnatus.* Aretius vero capita doctrinae ejus, ex ipsius libris excerpta, haec exhibet. *Trinitas est merum commentum humanum, Catholicis symbolis incognitum, cum euangelica veritate e diametro pugnans. Solus Pater est unus ille Deus, qui in Scriptura unus et solus verus Deus dicitur. Filius a se ipso non est, sed a Patre, cui ut essentiatori subordinatus est. Pater, Filius, et Spiritus S., non solum quod ad personas adtinet, sed etiam quoad οὐσίαν*, essentiam,

divisi

divisi sunt. Filius a Patre genitus est secundam οὐσίαν essentiam, ut subordinatus Spiritus, differens a Patre. Tres sunt aeterni Spiritus, quorum quilibet per se Deus est: qui tres distincti sunt ordine, gradu, et proprietate οὐσίας essentiae. Addit vero Aretius accessisse, praeter juramenti Genevae facti violationem, et pervicaciam in errore, *inaudita maledicta et horrendas blasphemias, in Dei Filium, et Trinitatis mysterium:* rectius, si verum, ex ejus opinione in receptam, et a Catholicis creditam, hypothesin de Trinitate. Censeri itaque ex hisce deberet, ipsum Arianorum, vel Semi-arianorum, errores renovasse, et tres statuisse essentias, aeque ac personas distinctas, et inaequales. Sed, cum addidit, Patrem esse *essentiatorem, Filium et Spiritum S. essentiatos*, propius videtur ad opinionem de trium illorum *unitate*, ut dicitur, *specifica* accessisse. Quod ex confessionibus ejus et scriptis apud Calvinum ulterius confirmatur. Rejicit Arii errorem diserte, et Deum semper fuisse Patrem agnoscit, praeterea verbum esse *verum ac naturalem filium unici Dei Patris omnipotentis*, denique, *Patrem esse ipsam unicam essentiam; Verbum autem splendorem gloriae Dei et expressam imaginem substantiae ejus; et hac ratione a Patre distinctum, quod Pater est solus verus Deus essentiator, hoc est informator individuorum, verbum vero est Filius, simul et verus Deus, neque tamen duo Dii, sed unus idemque Deus.* Ex quo simul elucescit, quo fundamento ipsi Tritheismus fuit inputatus, non majore quam olim sec. VI. Johanni Philopono, qui fictae haeresios Tritheitarum autor habetur. Ceterum, ut illud obiter subjungam, a Catholica hac parte fide maxime est alienior factus, quod *essentiam* putaverit, secundum eam, statui cum *tribus personis*, adeoque non Trinitatem, sed *Quaternitatem;* ut ex iisdem patescit scriptis.

MATTHAEUS GRIBALDUS.

§. CCCCLXXXIV. Ejusdem plane sententiae fuit *Matthaeus*

thaeus Gribaldus, qui in scripto quodam, teste Lubienicio l. cit., adserit, *se tres aeternos Spiritus, non confusos Spiritus, sed gradu numeroque distinctos, pia mente complecti, Deum Filium, et Spiritum S. uni summo Deo et Patri, rerum omnium autori, ita subordinari, ut omnis ratio Deitatis et Filii et Spiritus S., aliorumque coelestium Spirituum omnium, ad unum illum solum Deum Patrem, origine carentem, et a se ipso Deum, tanquam ad unicum fontem, et caput omnis essentiae, et divinitatis, merito referatur.* Fuit autem ICtus Patavinus, haud incelebris illa in Schola Professor, qui Francisco Spirae, forensi et causidico in oppido Venetiarum Citadella valde exercitato, in desperabundo ejus statu, ob veritatem euangelicam agnitam, et metu mortis abjuratam, adfuit familiaris, et historiam ejus quoque, lectu dignam, dedit in lucem. Vid. etiam Sleidanus l. XXII., qui Francisci Spirae fatum quoque enarrat. Dein sese, fidei reformatae caussa, Genevam contulit, et Ecclesiae Italicae ibi adjunxit, inde praeterea rus secessit, in Fargiarum pagum, ubi ad eum venit Valentinus, cujus erat patronus, ut modo narravi. Deinceps Tubingae, favore Vergerii introductus, jurisprudentiam ingente adplausu docuit: sed per Hieronymum Gerhardum, Principis Wurtenbergici consiliarium intimum, tanquam male sanam fovens opinionem detectus, inde Bernam aufugit, ubi captus, sed simulata abnegatione liberatus, ad ingenium reversus, ac peste correptus, *paratum sibi in terra supplicium antevertit*; ut ipsis verbis inquit Beza in vita Calvini. Ex quo colligere licet, quod Lubienicius tradit, par supplicium ipsi fuisse Genevae paratum, eundemque Spiritum ibi adhuc regnasse. Nonnulla etiam de *ipso habent* Ephemerides Halleri in Mus. Helvet. p. V., ubi quoque habetur, eum per Calvinum, et Ministros Genevenses, fuisse apud Ducem accusatum. Varios scripsit libros Juridicos, quorum titulos exhibet Sandius, in Biblioth. *Antitrinit.*

JOH.

JOH. PAULUS ALCIATUS.

§. CCCCLXXXV. Reliqui duo, Ecclesiae Italicae Genevensis socii, Alciatus et Blandrata, ulterius a Catholica doctrina deflexerunt, et Samosatenianam haeresin adoptarunt, ac propagarunt, in primis per Poloniam, de quibus verbo absolvam. *Johannes Paulus Alciatus*, Nobilis Italus, Mediolanensis, vir militaris, Genevam ob fidem reformatam profugus, unus eorum Ecclesiae Italicae, qui circa Trinitatem suscitarunt motus, Genevensium severitate deterritus, sese cum Blandrata contulit in Poloniam, et ad Samosatenianismum deflexit. Ex epistolis enim ejus ad Gregorium Pauli a. 1564. et 1565., apud Lubienicium et Sandium, patet, eum diserte negasse, Christum ante nativitatem e Maria substitisse; addit Sandius, plura de simili materia ab ipso esse scripta. Narratur vulgo, eum postea ad Muhammedanismum defecisse, quod a Calvino, et aemulis ejus, inventum dicit Lubienicius: et ex Martini Ruari epistola ad Calovium a. 1640. Gedano scripta, cujus etiam meminit Sandius, ubi male legitur *Martini Buceri*, et aliunde, jam refutavit Baelius in Lexico in *Alciato.* Traditur enim ea in epistola, et testimoniis probatur, Alciatum Gedani tandem per aliquot annos vixisse *ritu Christiano, et singulari cum pietate, et moriturum animam Christo servatori commendasse.* Putat autem Ruarus, originem fabulae ex epist. 81*ma.* Bezae originem habuisse, qua narrat, Valentinum Gentilem, socium Alciati, de ipso interrogatum, respondisse, *factus est Muhammedanus, et a longo nihil cum ipso commercii habui.* Quod, si vel verum, parum probat, cum Valentinus cum ipso jam in Polonia, propter dissensum in fide, ruperit commercium, et inde propterea discesserit, quique, ejus jam adversarius, Samosatenianismum ejus invidiose cum Muhammedanismo comparaverit, eoque sensu eum ad Muhammedanos se vertisse suspicari potuerit. Addit quidem Baelius, eum securitatis ergo Turciam petiisse, antequam Dantiscum venit,

nit, et inde famam esse ortam; sed nescio, quo fundamento. Ceterum Alciatus fuit, judicio Calvini *in libro adversus Valentinum, homo non stolidi tantum et vesani ingenii, sed plane phreneticus ad rabiem usque:* nec aliter de ipso loquitur Beza epist. 81ma.

GEORGIUS BLANDRATA.

§. CCCCLXXXVI. Fuit *Georgius Blandrata* Pedemontanus, e Marchionatu Saluciae, Medicus professione, quam artem etiam in Polonia et Transsylvania exercuit, antequam venit Genevam, quo metu persecutionis tetendit, postquam religioni Pontificiae renunciasset. Turbavit autem Ecclesiam ibi Italicam per quaestiones de Trinitate, qua super re cum Calvino varia habuit colloquia, a Calvino dein abrupta, hominis intellecta pervicacia, cui in faciem dixit: *vultus tuus detestabile mihi monstrum ostendit, quod in corde occultum foves.* Persecutione dein novorum Arianorum ibi instituta, ut supra in Valentino Gentili narravi, Blandrata sese inde a. 1558. subduxit, et, in Poloniam redux, Arianismum magno cum successu ibi propagavit cum Alciato, et Valentino Gentili: de quo modo egi. Senior quoque Ecclesiarum districtus Cracoviensis factus, et dein a. 1560. adsessor Crucigeri Superintendentis illarum, cum amico suo Lismanino; non obstantibus persecutionibus Calvini, qui, litteris ad Ecclesias Polonicas haereticam ejus opinionem ipsis notificavit, imo per Principem Radzivilium, Calvino ob illas accusationes iratum, commendatus est a. 1561. Synodo Pinczoviensi, cui, edita confessione, se adeo comprobavit, ut laudabili ab ipsa fuerit ornatus testimonio. Exstat confessionis, in specie orthodoxae, summa apud Wingerscium in *historia Sclavoniae reformatae*, qua profitetur Blandrata, *se credere in unum Deum Patrem, in unum Spiritum S., quorum quilibet est essentialiter Deus: Deorum pluralitatem se detestari, cum unus nobis sit tantum Deus essentia indi-*

indivisibilis; *fateri se, tres esse distinctas hypostases, et aeternam Christi divinitatem ac generationem, et Spiritum S. verum ac aeternum Deum, ab utroque procedentem.* Vid. etiam Lubienicius, qui addit, illa in Synodo fuisse decretum, quod notatu dignum est, *ut ministri abstineant a modis loquendi Philosophicis de Trinitate, de essentia, de generatione, de modo procedendi, quae omnia sunt extra verbum Dei, sed ut quilibet se contineat intra terminos Prophetarum, Apostolorum et Symboli Apostolici.*

§. CCCCLXXXVII. Quae cum minus observarentur, nec Blandrata, Calvino litteris suis rem urgente, hic diutius degere posset tranquille, lubens suscepit vocationem Johannis Sigismundi Principis, ac in Transsylvaniam secessit a. 1563. ubi cum ipsius, tum deinceps Stephani et Christophori Bathoriorum, Transsylvaniae Principum, imo et Stephani, ad regnum Poloniae evecti, *Archiatrum, ac consiliarium intimum* egit, ut Sandius refert. Promovit itaque ab eo tempore Samosatenianismum cum Francisco Davidis, de quo mox, et Socinianismi jecit fundamenta, autoritate Johannis Sigismundi munitus, qui eam haeresin professus est ad mortem usque a. 1570. Francisco porro Davidis in eam prolapso sententiam, *Christum non esse adorandum*, Blandrata ex Helvetia evocavit Faustum Socinum, ut sibi in hac haeresi profliganda adesset, a. 1578. Vid. Wissowatii narratio compendiosa in Bibl. Anti-trin-Sandii. Denique, ut Stephani, regis Poloniae facti, retineret favorem, partibus unitariorum nuncium misit, imo *omni verae ac sincerae pietatis studio valedixit, solis pecuniis congerendis intentus*, ut de ipso conqueritur Socinus in libro adversus Vujekum, addens, *justissimo propterea Dei judicio necem ipsi fuisse conciliatam ab eo, quem suum haeredem fecerat.* Quod Socinus cum a. 1592. scripserit, Blandrata jam tunc fuerit e vivis sublatus, necesse est, suffocatus autem narratur a fratris sui filio in lecto jacens. Ceterum varia scripsit, sive solus, sive una cum Francisco Davidis, et aliis, quae in Bibl. Sandii

recensentur: inter quae sunt contra Georgium Majorem, ubi Trinitatem ex lacunis Antichristi esse haustam adseritur, nec non libri duo de *falsa et vera unius Dei Patris, Filii, et Spiritus S. cognitione, nomine Ministrorum consentientium* in Sarmatia et Transylvania a. 1564. editi. In quibus, inter alia, temeraria et horrenda Papistarum simulacra, Trinitatem repraesentantia, in lucem protracta sunt, potius aeterna sepelienda oblivione.

FRANCISCUS DAVIDIS.

§. CCCCLXXXVIII. *Franciscus* Hungarus fuit, et Ecclesiarum Unitariorum in Transylvania Superintendens, socius primum Blandratae in Samosatenianismo illis in oris promovendo, autor etiam thesium, haeresin eam complexarum, in Synodo Varadiensi exhibitarum, aliarumque propositionum eandem in mentem, ad disputationem a. 1569. apud Lampe l. cit. Sed deinceps a veritate longius, etiam a sociorum, et Blandratae, opinionibus deflexit, imo ad Judaicas de Christo sententias, variasque cum Blandrata et Fausto Socino, a Blandrata ad se Basilea evocato, disputationes habuit ab a. 1573. ad 1579. in conventu vero, a Stephano Bathorio Claudiopoli indicto, theses Francisci cum antithesibus Blandratae propositae, et priores condemnatae, sunt, ibid. apud Lampe. Convictus vero de thesibus, tanquam suis, nec emendari se passus, ad aeternos carceres damnatus est, et *Devam transportatus, ubi irrequietae conscientiae oestro excitatus, fractis jam partim senio, partim solicitudine, viribus, et horribili modo exagitatus per triduum, sine respiratione horrendum ululans, communi sensu et ratione privatus, inter adsidua spectrorum terriculamenta, visis etiam, quos itineris comites adpellabat, diabolis, dum frustra latebras quaereret, miserabili exitu vitam finiit* a. 1579. Ita utique narratur apud Lampe: Thuanus quoque narrat lib. LXVI. a. 1578. eum, *ex conscientiae morsu in amentiam incidentem, inter adsidua*

fidua spectrorum oculis obversantium terriculamenta, excarnificatum, dum latebras frustra quaerit, miserabili exitu anxiam vitam finivisse. Ipsi Samosateniani eum pro haeretico non tantum, sed et inpio, ac Christiano nomine indigno, habuerunt. Smalcius disputat. IX. contra Frantzium tradit, *eos pro ipso excommunicato intercessisse apud Principem, ut infelicis hominis misereretur, cum alii instarent, ut vita privaretur.* Ceterum Socinum *in ejus exitu ab omni culpa abesse, nec tamen invidiam effugisse*, refert Przipcovius in *vita Socini.*

§. CCCCLXXXIX. Peculiares ejus theses, in conventu Claudiopolitano exhibitae a. 1579., ob quas ab ipsis Samosatenianis tam duriter tractatus est, fuerunt sequentes, valde paradoxae 1. Christum non e virgine, sed ex semine Josephi fuisse conceptum. 2. per Spiritum S. quidem, sed non propheticum esse locutum, adeoque non omnia, quae locutus est, censenda esse ex ore Dei processisse. 3. Illius et Apostolorum verba ad legis Mosis, et Propheticorum oraculorum normam, expendenda esse, cum Mosis et Prophetarum doctrina sit unica morum, vitae, et cultus divini norma. 4. Nullam esse inter Vetus et Novum foedus, quo ad doctrinam et promissa, differentiam, nisi quod in Vetere sit *litterae*, et in Novo *Spiritus* administratio. 5. Novum foedus viguisse tantum usque ad Hierosolymae excidium, nec postea locum, nisi ex parte, habuisse, nec habiturum, donec iterum ad nos redierit Christus, et Hierosolyma instaurata, ibi, ut ceteri Reges terrae solent, sed justissime et sanctissime, regnaverit 6. Regem itaque esse Jesum, *destinatione* tantum, cum aliud ac terrenum non sit habiturus regnum. 7. Missum quidem fuisse, ut regnum statim capesseret, sed a Judaeis repudiatum, et interemtum, a Deo vero sublatum, et in locum translatum, ubi tuto *in Dei protectione quiescit:* quod est *sedere in coelis ad dextram Dei.* 8. Eum autem ibi exspectare tantum, donec omnes inimici subjiciantur, nihilque interea agere. 9. Deum

ergo amplius dici non posse, sicut poterat fortasse, officii ratione, cum in mundo versaretur, a quo nunc plane cessat. 10. Pessime igitur facere, qui eum nunc absentem adorant; cum ne quidem praesens, sine maxima Dei offensione, aliter quam civili et humana quadam ratione, adorari potuerit. 11. Ipsi itaque nec servire, nec cultum aliquem praestare alia ratione, quam ei obediendo, ejusque praecepta observando, aut posse nos aut debere, 12. neque illi confidere, nisi quatenus dicta ejus credamus esse vera, et promissa, nomine Dei, ab ipso facta, firmiter speramus accepturos esse. 13. Illum itaque invocare, auxilium et opem ejus inplorare, idem esse, ac si quis Mariam, aliosque sanctos mortuos inploret. 14. Imo nequidem invocari posse, ut pro nobis oret, non magis, quam praedictos sanctos mortuos, quia mediatoris officio non amplius fungitur. Quod vero pro nobis adhuc interpellare scribatur, hoc tantum sibi velle, quod preces, hic in terra pro nobis fusae, efficaces et nunc maneant, 15. Sacerdotium ejus, si modo sacerdos unquam fuit, in cruce finitum esse, nec nobis prodesse oblationem ejus, nisi quod efficacia ejus duret, quo sensu aeternus dicitur sacerdos. Denique 16. a Christo nos nihil juvari posse, sed tantum ad Deum confugiendum esse, donec ad nos, regnum suscepturus, redierit, et vere Christus Dei fiat, in hoc mundo corporaliter praesens, nos Dei virtute foveat ac sustentet.

§. CCCCXC. Quam absurdae etiam hae fuerint hypotheses, nactus nihilominus est adseclas, quorum nonnullos praecipuos recensebo. *Johannes Somerus*, Pernensis Misnicus, primum Lutheranus, dein, Graecae linguae non inperitus, a Francisco evocatus, et scholae Claudiopolitanae praefectus, brevi post, cum uxore et socru, peste sublatus est. Successit ipsi in eo munere *Matthaeus Glirius*, quem aliqui Polonum faciunt, sed fuit Johannis Sylvani et Adami Neuseri socius, et persecutionis eorum in Palatinatu particeps, ut habet Biblioth. Anti-trinit., praeterea *Jacobus Palaeologus*,

Graecus,

Graecus, ex insula Chio, et Inperatorum Graecorum prosapia, Rector primarius scholae Claudiopolitanae, senex postea Romae combustus ob dogmata sua, a. 1585. Denique, acutior contra Socinum disputator *de non invocando Christo* fuit *Christianus Francken;* qui eum invictis ursit argumentis, aut Christum esse fatendum *Deum*, aut religiosam ei non competere invocationem: ad quod misere respondit Socinus, Philosophiae etiam et rationi dicam scribens. Fuit autem Germanus, et olim Jesuita Romae, postea Rector scholae Chmielnicensis in Polonia. Sed retractasse narratur opinionem de Christo non adorando, Claudiopoli quoque Lectoris munere functus ad a. 1590. Antiquiores sunt Simon Budnaeus, et Stanislaus Budzinius, qui etiam male sanas abjecisse dicuntur opiniones. *Prior* fuit Mazovius minister Ecclesiae Klecensis, sub Radzivilii Palatini Vilnensis protectione, et dein hyperaspistes Judaizantium illorum Christianorum in Polonia, et propterea ab Unitariis excommunicatus a. 1584., sed *Budzinius*, Polonus, Johannis a Lasco, et Francisci Lismanini amanuensis, dein Quaestori Cracoviensis Palatinatus adfuit in teloniis exigendis. Denique Ecclesiae reconciliatus a. 1588. scripsit, inter alia, *historiam reformat. Poloniae*, sed Polonice, et MSS. Vid. Bibl. Anti-trinit. Alios mitto.

JOHANNES SYLVANUS, ET ADAMUS NEUSERUS.

§. CCCCXCI. Missis multis aliis, sive Arianis, ut Petro Gomelio, et N. Farnovio, acerrimis Arianismi contra Samosatenianos propugnatoribus, nec non Erasmo Johannis, Rectore primum scholae Antverpianae, dein, cum ibi ob Arianismum degere non posset, pastore Claudiopolitano, sive Samosatenianis, ex Lubienicio et Sandio facile repetendis, de duobus in Palatinatu Arianis, Johanne Sylvano, et Adamo Neusero, nonnulla strictim videntur dicenda, ob triste

eorum fatum inter ipsos Protestantes. Vid. autores citati. *Sylvanus*, praeceptor primum Frederici Electoris, et optime de eo meritus, dein, non quidem, ut Lubienicius narrat, Superintendens Heidelbergensis, quod refutavit la Croze in diss. histor. mox citandis, sed inspector Ludenburgicus, Arianismi occultus fautor et promotor, non ideo tantum, sed et, ut tradit Hoornbekius in *adparatu ad controversias Socinian.*, ob perduellionem, et propositum ad Turcas abeundi, utique instigante Maximiliano in carcerem conjectus, et secundum Hoornbek. capite mulctatus, secundum Lubienicium vivus combustus, est, a. 1572. Prius confirmat Alting. in hist. Palatinatus, et verius est. *Adamus Neuserus*, Pastor Heidelbergensis, una cum Sylvano eadem de causa incarceratus, post aliquam in duro carcere moram, mirabili modo liberatus, ut ex Budzinio refert Lubienicius, Galliam et Belgium peragravit, sed nusquam tutus, odiis et bellis sacris flagrante orbe, in Poloniam venit, et denique, quia nec ibi securus erat, in Transylvaniam, indeque, cum a Caesaris exploratoribus sibi periculum inminere rescivisset, CPolin confugit, ut narrat Lubienicius, addens, *nihil amplius, quod sciam, de ipso proditum est.* Sed Hoornbekius ex hist. Eccles. Mss. Altingii, citante Maresio adversus Dudithium, narrat, eum ad Muhammedanismum defecisse, suscepta circumcisione, et inter horrendos clamores ac mugitus misere esse mortuum, ita ut Turcae dixissent, *se nullius hominis magis tragicum et abominabilem exitum* vidisse. Ceterum refert illud H. Altingius in hist. Eccles. Palatin., a Cl. Misinck a. 1718. in lucem edita, ex relatione Baronis Wenceslai Badowiz, qui eo ipso, quo Neuserus obiit, anno fuit CPoli, quo profectus fuerat cum oratore Caesareo, qui id auribus suis a Neusero audivisse testatur.

§. CCCCXCII. Constant et alia ex hac Altingii historia de Neusero et Sylvano, memoratu digna. 1. Neuserum e Suevis Lutheranis transiisse ad Palatinos, 2. motus cum Erasto concitasse contra excommunicationem, et disciplinam

Ecclesiasticam

Ecclesiasticam, et propterea ex parte ministerio esse motum. 3. Ipsum et Sylvanum omnino cum Arianis in Transylvania communicasse, nominatim cum Blandrata per litteras. 4. Occasione comitiorum Spirensium, quibus Legatus Waiwodae Transylvani intererat, ut foedus cum Inperatore, et Ordinibus iniret, detecta fuisse perniciosa consilia de Turca in Germaniam evocando, a Neusero et sociis agitata. Venerant illi ad Legatum, eique litteras in Transylvaniam deferendas dederant; inter quas erant Neuseri ad Inperatorem Turcarum, quibus significabatur, nihil magis in votis esse Arianae factionis hominibus, qui plures erant in Germania, quam ut Turcae via in Inperium sterneretur. Cum vero Caesar negaret, se foedus pangere posse cum Transylvanis, qui divinitatem Christi, et personarum Trinitatem, negarent, regessit Legatus, tales quoque esse in Germania plures, et ad fidem faciendam has ipsas litteras Inperatori tradidit, qui illud significavit Electori. Unde eorum exorta est incarceratio, et, chartis eorum excussis, veritas rei clare est deprehensa. Convicti praeterea sunt cum de Arianismo, et controversiis disciplinariis eo scopo motis, ut Arianismum rectius propagarent, tum de conspiratione cum hoste Christianismi capitali, quodque hac doctrina conjunctioni cum Turca viam laborassent parare. Litteras vero illas, ex Antiquitatibus Palatinis ex Archivis Heidelbergensibus, exhibet Anonymus, seu la Croze in *dissertat. histor. de variis materiis*; lingua Gallica. 5. Neuserum, fuga elapsum, et Ambergam retractum, carcerique mancipatum, post sex septimanas, custodum negligentia, aut perfidia, e turre arcis postea fune se demisisse, et ita evasisse: quo spectat, quod ex Lubienicio modo narravi. 6. Denique, Turcam factum, cum ex Alcorani fabellis nihil percepisset solatii, omnem religionis sensum, et Numinis reverentiam abjecisse, contracto vero e libidinibus morbo, scatentemque vermibus, Deo, et omnibus religionibus, maledixisse, et ita inter horrendos clamores ac mugitus exspirasse: uti narravi.

Stephanum Gerlachium, concionatorem Legati ad Turcam, tunc CPoli degentem, insuper traditur, in Neuserum incidisse, et hoc ab eo accepisse vanum dictum, *qui timet ne fiat Arianus, caveat ne fiat Calvinianus.*

BERNARDINUS OCHINUS.

§. CCCCXCIII. *Bernardinus Ochinus*, de quo, praeter autores citatos, legi meretur Baelius in Lex., qui valde accuratus est, et errores ab aliis commissos castigavit, aliis *Ocellus*, quae vocis Ochini est in lingua *Italica* significatio, Senensis Italus, primum Capucinus fuit, non quidem, ut Wowerius in Annalibus Capucinis demonstrat, fundator Ordinis, sed Generalis, summae existimationis per vitam austeram, et exemplarem, simul eloquentiam, adeo ut, quae verba Bzovii sunt ad a. 1542., *unus optimus totius Italiae concionator haberetur, ut qui admirabili quadam cum actione, tum linguae facundia, auditorum animos, quocunque vellet, raperet, ac tanto magis, quod doctrinae vita resonaret.* Fueritne Pontifici Romano a sacris confessionibus, et concionibus, quod Lubienicius fidenter, Sandius *ut quidam memoriae prodiderunt*, refert, mihi non constat. Quo in munere et existimatione cum continuasset, ab a. 1534. ad 1542., incidit in commercium cum ICto Hispano, Johanne Valdesio, Neapoli, qui Lutheri, Buceri, et Anabaptistarum libros secum Neapolin adduxerat, indeque principia Reformatorum contra religionem Pontificiam hausit, utique, ut Bzovius habet, *nova et secus dicta pro concione tunc effudit.* Addunt alii, eum, praesente Papa et aula ejus, velut ex opinione Lutheranorum, *aulae Romanae Pontificiam adrogantiam, et tyrannidem Antichristianam* perstrinxisse, nulla adjuncta refutatione. Quod suo relinquo loco. Utique suspectus factus, et Romam citatus, veterem suum amicum, Petrum Martyrem Florentiae in itinere offendens, decretum, inito consilio, cum eo formavit discedendi in loca tutiora: ut

ex

ex vita Petri Martyris, a Josia Semlero ex ejus memoriis confecta, constat. Ochinus itaque sese mox Genevam, Petrus Martyr paulo post in Helvetiam, se contulit. *Genevam adpulsus*, inquit Spondanus, *apologiam de fuga sua ad Pontificem Paulum* III. *scripsit, maledicentiis et calumniis in sedem Apostolicam, et Ecclesiam Catholicam, refertissimam.* Quae verba a Catholico prolata recte interpretabitur Reformatus. Respondit ei Petrus Caraffa, Cardinalis, postea Paulus IV. Addit Spondanus, *ejus apostasia adeo animum Pontificis fuisse perculsum, ut de universo Ordine exstinguendo tractaverit, vixque placari potuerit, cognita Ordinis innocentia.* Ceterum ingenue in praefatione confitetur Ochinus, se Ordini non fuisse renunciaturum, si, sine vitae periculo, concionari licuisset, ut aliquandiu *fecerat, sed, se ad mortem sponte obeundam non satis firmum esse, deprehendisse, et propterea se subduxisse.*

§. CCCCXCIV. Genevae parum moratus, Augustam petiit, et aliquot vulgavit sermones, editos Germanice, et Latine versos ab Hochstetero a. 1545., qui Protestantium doctrinam de praecipuis capitibus complectuntur, absque ut, num ita sint in Italia habiti, constet. Inde a Cranmero, Archiepiscopo Cantuariensi, evocatus, una cum Petro Martyre, in Angliam tetendit a. 1547., sed brevi post, mortuo Eduardo Rege, et rerum facie ibi plane mutata, discesserunt ambo a. 1553. Argentoratum; sed Ochinus Basileam a. 1555. profectus, et mox eodem anno Tigurum, vocatus ad ministerium sacrum in Ecclesia Italica, quae ibi ex profugis, fidei causa, formari coepit, ei, confessione Tigurina, etiam cum subscriptione, adoptata, usque ad a. 1563. inserviit, usus quoque amicitia Bullingeri. Sed, cum eo anno in lucem prodiissent *Dialogi* ejus triginta, Italice quidem conscripti, sed Latine versi a Castalione, in quibus, praeter alios errores, censitus fuit docere polygamiam, urbem, et agrum Tigurinum, jussu Magistratus, deserere debuit. Sententia vero ita habet: *quoniam Ochinus, contra*

legem et edicta Magistratuum librum publicavit, quem satius erat supprimi, et cujus nomine Ecclesia et Respublica male audit, ideo se velle et jubere, ut quam primum ex urbe et agro Tigurino discedat. Petiit quidem commendatitias a Bullingero litteras, sed non inpetravit. In dialogis autem illis nec Trinitatem diserte negavit, nec polygamiam adseruit, sed pro, ut dicitur, et contra disputavit, nihil adfirmando, ita tamen, ut erroribus anti-trinitariis se favere, et a polygamia licita non abhorrere, insinuaverit: licitam docuit polygamiam, non absolute, sed, si quis uxorem habeat sterilem, aut quacum vivere nequeat, nec donum continentiae, post serias etiam preces, inpetrare possit, eum statuit posse sine peccato instinctum suum, quem a Deo habet, sequi. Contulit quidem sese Basileam, sed nec ibi licuit consistere. Pastoribus supplicavit, ut a Magistratu moram pro illa sola hyeme inpetrarent, declarans, se ab ipsis in doctrina dialogorum nihil sentire diversum, seque paratum esse accuratam edere fidei confessionem, modo per hyemem ibi morari queat, sed votorum non est compos factus. Discedere itaque coactus fuit, licet, teste Petro Perna apud Sandium, 76 annorum senex esset, *asperrima hyeme*, ut epistola Duditii ad Bezam habet, *viis omnibus glacie ac nive inpeditis*, una cum liberis. Quam inclementiam Protestantibus objecit Duditius ad Bezam, qui ad eam respondit: ipse Ochinus etiam Tigurinis dicam scripsit, sed et illi ipsam retuderunt; qui tractatus integer exstat apud Hottingerum hist. Eccles. hujus seculi p. V. In Polonia, quam petierat, cum refugium quoque non inveniret, propter edictum, a Nuncio Commendone inpetratum, contra omnes haereticos peregrinos, perrexit in Moraviam, ubi Slacisoviae brevi post est defunctus, postquam liberos in itinere perdidisset peste. Alias narratiunculas de ejus obitu lubens omitto. Librorum ejus catalogum qui velit, adeat *Biblioth. Antitrinitariam.* De fide, et opinionibus, ejus varia exstant judicia, nec mirum, cum magis Socratice, quam adfirmative, solitus fuerit dissegere;

rere; in Polonia narratur palam oppugnasse hypostasin Spiritus S., indeque se in Moraviam ad Anabaptistarum conventicula recepisse, in vita Bullingeri, autore Semlero. Alii ipsum in genere fecerunt Antitrinitarium et Samosatenianum. Imo in articulo de *satisfactione Christi* praelusisset Socino, ut, ex Gregorio Zarnevicio, Polono, in praefatione libri de satisfactione Christi, refert Hoornbek. l. cit. Sed contradicit Sandius, eo in primis, non satis solido, fundamento, quod Faustus nullum, praeter Laelium patruum, habuerit in Theologicis magistrum. De polygamia modo dixi.

SOCINIANISMUS.

§. CCCCXCV. Ejus antequam pertexam historiam, autores, duo Socini, Laelius et Faustus, patruus et nepos, sunt paulo adcuratius depingendi, aut describendi; quorum vita praecipue est petenda ex Fausti vita, ab Equite Polono Przipcovio conscripta, et operibus Socini praemissa. Addendi sunt alii, ut Sandius in Bibl. Antitrin., Hoornbekius in *adparatu* controvers. Sociniani, et Baelius in Lexico. Fuerunt ex illustrissima, eruditione aeque ac nobilitate et dignitate, familia, Papis, Cardinalibus, et Principibus arcta necessitudine conjuncta. Laelius et Alexander Socini, ille Fausti patruus, hic ejus Pater, filii fuerunt Mariani Socini junioris, cujus avus fuit Marianus Socinus senior; omnes illi ICti celeberrimi in Italia, et scriptis quoque clarissimi. *Laelius*, Senis in Hetruria natus a. 1525., ad studia Jurisprudentiae destinatus, *humanarum rerum scientiam ex ipsis Divini juris fontibus hauriendam* ratus, Scripturam S. diligentius evolvit, eique recepta dogmata in multis adversari facile deprehendit, maxime postquam linguarum, Hebr. Arab. et Graecae, scientiam probe inbibisset: *fuit enim*, ipso Zanchio in praefatione libri de *tribus Elohim*, teste, *bene Graece et Hebraice doctus*. Ea autem illustratus luce, sive, *ut*

credi potest, inquit Eques Polonus in vita Socini, *periculi metu, sive exactiori purioris Theologiae, et linguarum, studio incensus, cito ex Italia in Helvetiam atque Germaniam concessit* a. 1547., natus tantum 21 annos. Narratur quidem in *Biblioth. Anti-trinitaria*, ipsum cum sociis Italis supra quadraginta, inter quos fuerunt Bernardinus Ochinus, et Valentinus Gentilis, collegia et colloquia instituisse in ditione Veneta a. 1546. de religione, *in quibus potissimum dogmata vulgaria de Trinitate, et Christi satisfactione hisque similia, in dubium revocabant:* eaque re palam facta, gravi persecutione eos fuisse obrutos, quibusdam etiam capite plexis, et ita dispersos: sed quorum veritatem praestare non ausim: de Ochino utique, qui a. 1542. Italiam jam deseruit, illud falsum est, nec de Socino societatis membro aliquid constat. Nec tamen, societatem aliquam eruditorum, ad reformationem spectantem, ibi fuisse, inprobabile mihi videtur.

§. CCCCXCVI. *Proximo quadriennio*, ex quo Italia discessit, inquit autor vitae Socini, *Galliam, Britanniam, Belgium, Germaniam universam, ipsam quoque Poloniam, emensus apud Helvetios Tiguri sedem fixit.* Carus Principibus fuit, et cum multis Theologis amicitiam contraxit, ac litterarum habuit commercium, ut Calvino, Melanchtone, Bullingero, Musculo, Zanchio, Beza, Castalione, aliis, opiniones suas privas prudenter tegens, nec nisi interrogando et disputando, *quasi doceri cuperet*, ut inquit Zanchius. Qua ratione se illis quidem suspectum, nondum tamen odiosum, reddidit. Calvinus etiam eum serio admonuit, eo cum fructu tantum, ut circumspectior fuerit factus, litteris ad eum datis, quarum meminit autor vitae Socini, quibus eum reprehendit, et inter alia dicit; *quod pridem testatus sum, iterum moneo, nisi hunc quaerendi pruritum mature corrigas, metuendum esse, ne tibi gravia tormenta accersas.* Scriptae sunt litterae a. 1552. Qua occasione Eques iste Polonus hanc prudentiae regulam inculcat, *sciant, quos nimia veri libertas in pericula saepe intempestiva praecipitat, ipsam illam, quam propugnant, veritatem,*

veritatem, in circumspecta prudentiae lenitate, quam in effraeno zelo, plus habere praesidii. Mansit utique Laelius, ut ibid. addit, *inter capitales suae sententiae hostes integer et inviolatus*, nec minus, quin magis, propagavit opiniones suas quaquaversum, praecipue per Italos profugos fidei causa, et per multas Germaniae ac Poloniae regiones sparsos, quos ipse in primis erudierat. Specimen quoddam instituti, quod tenuit Laelius, et alii Orthodoxi cum ipso, ad eum erudiendum, et quaesita seu dubia tollenda, capi potest ex litteris Laelii, et insignis alicujus doctoris responsoriis, apud Hottingerum hist. Ecclef. sec. XVI. part. V.

§. CCCCXCVII. In Poloniam prima vice profectus a. 1551., pro paucis mensibus, innotuit plerisque Nobilibus, seseque praebuit acceptum, Francisco quoque Lismanino Corcyraeo, Bonae Sfortiae Reginae confessionario, et fratrum minorum Provinciali, abjiciendae cucullae acerrimus autor fuisse perhibetur: qui ipse postea etiam in sententiam de *Minoritate Filii* incidit, ope potissimum Blandratae. Altera vice a. 1556. eo tetendit, post mortem Patris Bononiae, unde, litteris Poloniae et Bohemiae Regum commendatiis munitus, ipso Melanchtone eum hac in re adjuvante, teste Zanchio l. cit., Venetias et Hetruriam petiit, a. 1558. et 1559. ad paternam haereditatem cernendam; *summis quoque studiis in ejus causa apud Ludovicum Priulum Venetianum, et Cosmum Hetruriae, Duces, certatum fuit.* Concussa enim tunc fuerat universa Socinianorum domus, iisdem opinionibus ab ipso infecta, et propterea infestata, Fausto etiam inde elapso. Tigurum redux brevi post obiit a. 1562. natus tantum annos 37. Quando mox eo advolans Faustus totam ejus bibliothecam sibi vindicavit. Inter Laelii scripta, quae in Bibl. Antitr. recensentur, eminent 1. Dialogus inter Vaticanum et Calvinum a. 1559., contra hujus librum de *haereticis gladio puniendis.* 2. de haereticis capitali supplicio non adficiendis, sub nomine Mini Celsi Senensis; licet alii ejus autorem putent fuisse Faustum; minus pro-

 babi-

babiliter. 3. Paraphrasis in initium Euangelii Johannis, sed quae latet.

§. CCCCXCVIII. *Faustus Socinus*, Laelii ex fratre nepos, e Patre Alexandro ICto, et Agnete, filia Borgesii Petruccii, Senarum Principis, natus, eoque nomine pluribus Italiae Principibus, Magnatibus, et Papis Pio III. et IV. ac Paulo V., sanguine junctus, lucem a. 1539. vidit; adeoque Patruo Laelio 14 tantum annorum junior. Parentibus cito orbatus, parum in studiis profecit. Utique ipse, quod auctor vitae ejus agnoscit, profitetur, se *levissime, et omni Praeceptore destitutum, artium studiis operam inpendisse, Philosophiam non didicisse, nec Scholasticam Theologiam unquam adtigisse, et ipsius Logicae artis non nisi rudimenta quaedam, idque valde sero degustasse.* Dixit quoque in disputatione cum Puccio, se *Graecos fontes leviter degustasse, Hebraeos vix dum adtigisse.* Qua ratione usque ad annum vigesimum tertium trivit aetatem, nisi quod haeresios semina, a Laelio inter familiam sparsa, jam tunc hauserit. Quare, manus in eam domum injiciente Inquisitione, fuga se subduxit Lugdunum; unde, cum patrui obitum a. 1562. intellexisset, cito se Tigurum contulit, ejusque haereditatem ac scripta sibi adseruit: ut modo narravi. In Italiam dein redux, et in regiam Francisci, magni Ducis Hetruriae, adscitus, totos annos duodecim, flagrantissima gavisus gratia et dignitate, consumsit in aula Florentina, et juvenilis aestus simul cum aetate deferbuit, quo indoles ejus vehementibus olim animi motibus aestuavit.

§. CCCCXCIX. Desiderio itaque veritatum salutarium penitius cognoscendarum, et propagandarum, totus flagrans, patriam, amicos, opes, et spes omnes abdicavit, et in voluntarium secessit exilium, nec unquam, saepius licet per aulicos et amicos invitatus, revocari potuit. Tetendit vero a. 1574. Basileam; ibique biennium, et quod excurrit, Theologiae inpendit studio, Scripturae lectione, et Patrui scriptis usus, illudque concinnavit systema, quod postea in publicum misit.

misit. Edidit itaque Basileae a. 1578., sed tacito nomine, librum de *Jesu Christo servatore*, nec non disputationem de *statu primi hominis*, seu *immortalitate*, ante lapsum, contra Franciscum Puccium, Florentinum, quo cum eo anno disputaverat Tiguri. Prior vero liber dein a. 1594. ab Elia Arcissevio, Polono, praefixo Socini nomine, quod in nullo ejus libro antea factum erat, publicatus denuo est. Continet doctrinam Socini de *satisfactione Christi*, *peccato originali*, et aliis capitibus. Disputatio vero cum Puccio, a. 1579. conscripta, et Ecclesiis Transylvanicis exhibita, lucem non vidit, nisi diu post, a. 1595.

§. D. Evocatus dein in Transylvaniam a Blandrata, ut opinioni Francisci Davidis, de Christo non invocando, fortius obviam iretur, eo quidem venit a. 1579., sed et mox eodem anno discessit, propter morbum ibi grassantem, quem colicam vocant, ut autor vitae ejus dicit, et in Poloniam jam quadragenarius migravit, seseque Ecclesiis, quae *solum Patrem Domini Jesu summum Deum agnoscunt*, *publice adjungi ambivit*, *sed cum dissensionem*, ut autor iste adserit, *in quibusdam dogmatis non premeret*, *satis acerbe ac diu repulsam est passus*. Inter capita dissensionis etiam erat, quod baptismum requirebant istae Ecclesiae in iis, qui sacram coenam participarent: quem Socinus, ut minus necessarium, repudiabat, ut ipse in Epistola ad Sophiam Siemickoviam tradit. Operam nihilominus his Ecclesiis, non obstante repulsa, praestitit scriptis suis ad eas defendendas. Primus autem ejus liber in Polonia editus est contra *paraenesin* Andreae Volani a. 1579., de *Christi*, *Filii Dei*, *natura*, *et expiatione peccatorum per eum*, quem postea recognovit, et emendavit, a. 1588., addita altera responsione ad Volanum. Qua occasione, rogatu Nemojevii, explicuit VII*mum* caput Epistolae ad Romanos, sub nomine *Prosperi Dysidaei*; cujus postea a. 1595. defensionem publicavit. Contendit, Paulum ibi de se ipso jam regenito non loqui. Scripsit dein librum contra Jacobum Palaeologum, cujus supra mentionem feci, cui

titulus, *defensio verae sententiae de Magistratu Politico* etc. Quem hostes ejus adripuerunt, ut de seditione contra Magistratum ipsum accusarent apud Stephanum, tunc Poloniae Regem, quo Cracovia compulsus est emigrare, falsa licet fuerit criminatio, cum Socinus in Magistratu defendendo vix modum teneat. Omnia enim arma, quacunque de causa, a populo contra Principem sumta condemnat, ipsos etiam foederatos Belgii Ordines, quod in Philippum, licet tyrannum, insurrexerint. Quam sententiam, de armis contra Principem non sumendis, tenent etiamnum Sociniani, a bello quoque gerendo alieni.

§. DI. Secessit itaque in Viri Nobilis Christophori Morstenii, Parolikovii Domini, rus suburbanum, paucis passuum millibus Cracovia distans, et sub ejus tutela triennium trivit, qualicunque beneficentia cumulatus, ducta quoque Nobili filia in uxorem, ex qua filiam suscepit Agnetem a. 1587., quae dein Wiszowatio, Equiti Polono, nupsit, unde nepotes et neptes adhuc supersunt, inquit autor vitae ejus. Uxore vero eodem a. 1587. morte amissa, ingente correptus est inde luctu, corporisque aegritudine: aucta adhuc lugubri casu, de bonorum ejus fructibus in Italia, quos inde quotannis carpebat, tunc per mortem Francisci, Magni Ducis Hetruriae, qui ipsi semper erat patrocinatus, penitus ipsi ereptis. Scripsit autem hoc in secessu librum contra Gabrielem Eutropium Sadecium, Canonicum Posnaniensem, *constanter illius Ecclesiae*, inquit autor vitae ejus, *famam et causam propugnans, a qua iniquissimo praejudicio multa insons indigna jugiter pertulerat.* In quo libro, qui ipsi semper valde placuit, Socinum *se ipsum superasse*, judicavit Hieronymus Moscorovius. Migravit dein rursus Cracoviam, et sectam suam insigniter promovit, maxime post disputationem ab ipso habitam in Synodo Bristensi, in finibus Lithuaniae a. 1588., de *morte, et sacrificio Christi, justificatione nostra, corrupta hominis natura*, et cum Davidianis ac Budneistis de *Christi invocatione*. Quo ipso

anno

anno coetui Luclaviciano praefectus est Petrus Stoinius, Petri Statorii Thonvillani filius, *judicio acer*, ut autor vitae Socini ait, et *promtus eloquio*, qui Socini hypotheses plane adoptavit. Fuit Statorius ille Thonvillanus Gallus, Bezae discipulus, et in Poloniam adpulsus a. 1559. Rector scholae Pinctoviensis factus est, ac ad Blandratae opiniones defecit, sed et Spiritus S. divinitatem ac invocationem in dubium inter primos vocavit, eam esse donum Dei, et virtutem ab eo datam, dictitans: quam sententiam postea deseruit, vel, ut ipse dixit, nunquam habuit, ut Lubienicius tradit. *Ante Stoinium non paucos e praecipuis*, verba sunt autoris vitae Socini, *privatim in partes suas traxerat Socinus, et suffragantium sibi non exigua indies fiebat accessio. Primus autem Securinius sententias Socini propugnasse palam est ausus. Secuti mox alii: quos inter grande partibus momentum addiderant Andraeas, Stanislaus, Christophorus, tergemini fratres Lubienecii, splendidi natalibus. Addebantur certatim alii e Pastorum ordine, praesertim e junioribus, quos minus morabatur inveteratae opinionis atque autoritatis praejudicium.* Momentum porro addidit memorabilis casus in Synodo Lublinensi a. 1589. in qua sententia Socini de cap. VII. ad Romanos est agitata, quam defendebant alii, et alii plures oppugnabant. Inter posteriores strenue contra Socinum cum disputasset Nicolaus Zitinius, is ad verba Pauli, quibus Deo pro liberatione gratias agit, adeo haesit attonitus, ut, mente mutata, disputaverit pro Socino.

§. DII. Creverunt interea pericula Socini Cracoviae, et, libro de *servatore*, typis denuo, sed sub nomine ejus, evulgato, *recruduerunt*, inquit autor vitae ejus, *inimicorum odia. Itaque*, sic pergit, *commota per Scholasticos* a. 1598. *infimae plebis faece aeger tunc extrahitur e cubiculo seminudus, et per forum ac celeberrimas plateas, deposcentibus ad supplicium plerisque, contumeliose raptatur, aegre* ereptus tandem a M. Vadovita, Professore Cracoviensi. Direpta etiam est ejus supellex, et scriptorum quorundam jacturam fecit

irreparabilem, quam *vitae inpendio sese redemturum fuisse*, saepe professus est. Migravit itaque inde Luclavicias, in pagum, novem circiter milliaribus Cracovia dissitum, mensa et aedibus viri Nobilis Abrahami Blonsici usus, et vicinus Stoinio vixit: qui duo, *mutuam sibi operam navantes*, ut idem tradit autor, *universam illam Ecclesiam ad unanimem in omnibus sententiis consensum pene redegeret*. Cui operi intermortuus est Socinus a. 1604., natus fere annos 65., *ultima fuit morientis vox excepta*, inquit autor vitae ejus, *se non magis aevi, quam invidiae et molestiarum, saturum, laeta atque intrepida spe propendere in supremum illum fati sui articulum, qui missionem ab aerumnis simul et laborum stipendium ostenderet*. Secutus ipsum est vitae et laborum socius, et funeris laudator, sequente anno mortuus Petrus Stoinius, vix quadragenarius. Opera Socini, junctim edita, prostant in Bibliotheca *fratrum Polonorum* tom. I. Ceterum autor vitae ejus, qui merita Socini summopere extollit, inter alia dicit, *eum sententias de Dei ac Christi persona, quas jam in Polonia vigentes deprehenderat, solidis argumentis confirmare, et a subtilibus cavillis atque sophismatis perite defendere, unum egregie docuisse*. Mox, *quasdam inpias alias profanas sententias, quarum exitiabile virus furtim in Ecclesiae gremium irrepebat, felicissime exstinxisse: neminem acrius Judaizantes repressisse: eundem Chiliastarum opinionem, et multa praeterea alia fanatica somnia, explosisse: errores autem, qui a Reformatis Ecclesiis hausti magno adhuc numero in ea Ecclesia regnabant, mira felicitate exstirpasse: talia erant*, dicit autor, *de justificatione, de placanda justitia Dei, de praedestinatione, de servitute arbitrii, de peccato originis, de coena quoque Domini: de baptismo, et alia sinistre intellecta dogmata. Denique* — — — *superstitiones plurimas circa res indifferentes exterminasse: ex hoc genere fuit nimia vilis vestitus ambitio, deinde capessendi Magistratus, aut etiam, citra vindictae studium, sui juris persequendi religio, et si quos similes naevos primi fervoris inconsideratior zelus adsperserat*. Quibus verbis hic locum dedi,

ut, quanti apud suae sectae homines habeatur, et quae summa sit haeresios Socinianae, elucescat.

§. DIII. *Socinianismi*, cujus paulo fusiorem notitiam dedisse non fuerit alienum, duplex est conspectus, alter *proprie*, alter *inproprie*, sic dictus; prior sicut in Socini scriptis, et primo catechismo, est expressus, posterior, uti in hoc emendato, et adseclarum scriptis, exstat. Qui posteriores in nonnullis a Socini opinionibus desciverunt, nec Sociniani, sed *unitarii*, adpellari volunt, teste Slichtingio in *vindiciis confessionis*. Prima catechesis eorum editio est *Racoviensis* a. 1604. Polonice et Germanice, fuitque major et minor, major Polonice, et minor Germanice: cujus utriusque autor fuisse videtur Valentinus Smalzius. Fundamenta feruntur jecisse Socinus et Petrus Statorius supra memoratus. Utique catecheseos Racovianae reformatio ipsi cum Statorio fuit demandata, ut in epist. ad Valentinum Radecium, a. 1603. scripta, testatur: sed quid praestiterint, non constat, nec multum potuerunt, cum uterque brevi post defunctus sit. Videtur autem Racoviana illa catechesis, cujus reformatio Socino est demandata, autore Gregorio Pauli concinnata; estque omnium prima. Fuit autem Cracoviensis Pastor, et senior, dein, inde pulsus, Racoviam secessit, ubi grandaevus obiit a. 1591. Vid. Biblioth. Anti-trin., ubi etiam narratur, quod, ipso Cracoviae a. 1562. contra receptum dogma Trinitatis concionante, ipso festo Trinitatis, et in Templo ejus nominis, fulmen circa meridiem percusserit Templum, et globum in apice ejus dejecerit. Exstat tamen religionis Christianae institutio per interrogationes et responsiones, adeoque ad formam catechismi in operibus Socini, sed inperfecta, seu fragmentum catechismi, qui in Cracoviensi rerum ipsius direptione periit, sed multum a Catechismo Racoviensi distat: utilis nihilominus est ad summarium Socinianismi intellectum. Smalcio vero opem tulisse fertur Hieronymus Moscorovius, Eques Polonus, qui in linguam Latinam transtulit, et Jacobo Bri-

tanniae Regi dedicavit a. 1609., sed deinceps a. 1653. decreto Parlamenti ibi est flammis traditus. *Secunda* Catechismi editio, multum aucta et emendata, autores habet Johannem Crellium, et Jonam Schlichtingium a Bucowice; sed post eorum mortem publicata, curantibus Andrea Wissowatio, et Joachimo Stegmanno juniore, a. 1665. *Tertia* denique, denuo recognita, et M. Ruarii, aliorumque, notis illustrata, lucem vidit a. 1680., subjecta Crellii Ethice, et seorsim. Vid. Bibl. Anti-trinit., ubi et aliae editiones in aliis linguis recensentur. Tandem vero a. 1684. iterum in lucem venit recognita et emendata, accedente etiam cura Benedicti Wissowatii, et anonymi F. C., forte Floriani Crusii. Exstat quidem his omnibus antiquior catechismus, Craconviae a. 1574. editus, qui ex parte reperitur in operibus Ursini, cum ejus refutatione, sed non est Socinianorum, quippe, ante Socini adventum in Poloniam concinnatus, sed Anabaptistarum et Samosatenianorum in Polonia, adeoque usui in Socianismo explicando esse in omnibus nequit. Praeter hos catechismos utile est ad Socinianorum, vel Unitariorum, systema plenius intelligendum, *compendiolum doctrinae Ecclesiae Christianae, nunc in Polonia potissimum florentis*: quod MSS. Ostorodii et Voidovii, manibus eorum excussum, Amstelodami a. 1598., deinceps a Cl. Cloppenburgio, cum ejus refutatione publicatum exstat in ejus operibus tom. II., praemissa praefatione historica Socinianismi per annales satis exacta. Autorem vero compendioli esse Conradum Vorstium, nemini non notum, qui e Socinianorum scriptis illud concinnasset, traditur in Bibl. Anti-trinit. Denique consuli omnino merentur *Johannes Volkelii*, Misnici, Ecclesiae Philippoviensis, dein Smiglensis, in Polonia Pastoris, libri de *vera religione*, a Crellio aucti et absoluti.

§. DIV. Cum vero quaestiones Socinianae in Theologicis institutionibus quotannis tractari soleant, adeoque hic prolixe recensuisse inutile foret, totius systematis generalem et succinctum dedisse conspectum, secundum *compendioli*,

dioli, modo memorati, ductum, ipsis passim conservatis verbis, scopo nostro suffecerit. 1. Unum esse credunt aeternum a se ipso Deum, Patrem Domini nostri Jesu Christi, quem esse hominem illum docent, a Spiritu S. conceptum, et natum ex Maria Virgine, extra vel ante eum nullum esse, aut fuisse, Unigenitum Dei Filium, esse autem talem Filium, tum ratione conceptionis a Maria Virgine, tum propter sanctificationem et missionem in mundum, tum denique exaltationem ad dextram Dei; esseque Dominum ac Deum nostrum factum, divino honore ac cultu a nobis adficiendum. Spiritum S. esse virtutem illam seu efficaciam Dei, qua res aliquo modo sanctificantur, in primis Christus, ejusque fideles; non vero esse personam aliquam subsistentem, licet per prosopopoeiam saepe ut persona introducatur. 2. Primum hominem docent a Deo creatum bonum quidem, et absque vitio, nec tamen cum aliqua originali justitia, cum haec sit perfectio voluntaria, non naturalis, quam poterat acquirere, si voluisset: creatum autem fuisse mortalem, imaginem, ad quam conditus est, in dominatione illa supra reliquas creaturas fuisse sitam. Spem vitae aeternae ipsi non fuisse promissam, imo nec ulli ante Christi euangelium; probabile tamen esse, Deum daturum fuisse homini, si in obedientia perseverasset, coelestem et perennem vitam, intercedente, vel morte, vel saltem mutatione, fuisse quoque ejus vitae aeternae symbolum, sed obscurum, *arborem vitae*. 3. Per lapsum hominis contractum esse reatum aeternae, ac necessariae, mortis, ita scilicet, ut deinceps necessario omnibus sit in morte manendum, absque tamen aeternis cruciatibus, nisi ex gratia Dei contingat liberatio. Quem reatum agnoscunt in omnes Adae posteros transiisse, nulla ipsorum propria culpa interveniente: sic tamen, ut hic reatus respectu posterorum nullam habeat poenae rationem, sed tantum necessariae conditionis, cum ipso genere naturaliter attractae, nec esse naturae corruptionem aliam, quam quae frequentibus vi-

de infantibus, itemque iis adultis, quibus euangelium non praedicatur, Deus statuerit, id negant nobis inquirendum esse, nisi quod liberam Dei potestatem agnoscant in servandis illis simpliciter, si velit, his vero propter qualemcunque praestitam obedientiam. Praedestinationem esse generalem, non certarum personarum ex praevisione fidei, nisi quod Christum, caput electorum, et fortasse paucos alios, qui reliquorum exemplaria et duces essent, simpliciter ad vitam ac ad fidem, sive obedientiam, elegerit. Negant porro, Deum certo praescivisse, quomodo victurus esset homo, cum contradictionem involvat, ut futura contingentia cadant sub infallibilem scientiam, negant etiam Deo omnia esse praesentia.

§. DVI. 7. De justificatione primum docent, justificari nos, cum a peccatorum reatu absolvimur, proinde tum demum reapse peragi justificationem, cum a morte liberati in vitam aeternam adducimur, quod beneficium hic spe tantum obtinemus. Porro justificat nos Deus ex pura misericordia, absque ulla compensatione, vel satisfactione, sive nostra, sive Christi: per Christum tamen, sive ejus mortem, ac obedientiam, peccata nobis condonat, quatenus Christus per ea, quae jussu Dei propter nostram salutem fecit, et passus est, tum cognitionem tum effectum justificationis in nobis producit. Meritum tamen Christo non derogant, quatenus sua obedientia sibi gloriam et potestatem coelestem, ac consequenter nobis credentibus aeternam salutem, obtinuit, ac velut mercedem laborando comparavit, sic tamen, ut meritum gratiae Dei non opponatur, sed subordinetur. Postremo docent, non nisi per fidem et poenitentiam obtineri; cum sub hac conditione promissa sit peccatorum remissio. Definiunt autem *fidem* fiduciam in Deo per Christum collocatam, qua nos ei sub spe salutis promissae obedimus. Hanc fidem dicunt nobis inputari ad justitiam, hoc est, nos gratis a Deo justos reputari, eo quod tali simus praediti fide, non autem justitiam aut obedientiam Christi

nobis inputari: hanc vero fidem opponi operibus *legis*, hoc est, in lege divina praescriptis, quibus videlicet perfecta et perpetua obedientia continetur.

§. DVII. 8. De resurrectione mortuorum, et ultimis hominum, docent, fideles in die novissimo resurrecturos esse, non autem inpios, inde ab initio mundi mortuos: dein negant resurrectionem carnis, seu hujus corporis, quod carne et sanguine praeditum est, etsi fateantur, corpora resurrectura esse, seu homines fideles, qui tunc novis corporibus coelestibus induendi sunt. Praeterea tenent, peracto judicio, inpios, qui tunc vivi erunt, in ignem aeternum una cum diabolo iri detrusum, ut semel omnes illo igne absumantur. Negant itaque, cruciatus inpiorum et diabolorum duraturos esse in aeternum, absurdum enim esse, Deum irasci in aeternum, et peccata creaturarum finita poenis infinitis mulctare. Mundum etiam hunc autumant penitus interiturum esse per incendium illud generale, et rationem vivendi prorsus inmutatum iri, ita ut novus mundus a Deo sit proditurus. De statu animarum post mortem sentiunt, hominem morte penitus dissolvi, ita ut nihil plane sit, nisi quod ejus Spiritus, uti et bestiarum, instar alicujus venti, redeat ad Deum, qui ipsum dedit, esse enim Spiritum illum virtutem et efficaciam quandam Dei; hoc autem interesse inter animam hominis et bestiae, quod illa rationalis est, et spem habet vitae aeternae: unde colligunt, animas post mortem nihil sentire, aut agere, imo nequidem in se reipsa subsistere, velut personas; unde tandem efficiunt, nec purgatorium esse, nec sanctorum invocationem, nec orationem pro mortuis habere locum, cum mortui nihil sint.

§. DVIII. 9. De Ecclesia censent, eam nobis non esse conspicuam, cum constet ex vere credentibus, et Spiritu Christi praeditis; adeoque non opus esse disputare de notis Ecclesiae, ubi et apud quos sit? cum satis constet, eos omnes esse Christi oves, qui vocem Christi audiunt, Ecclesia porro ex veritate cognosci debet, non veritas ex Ecclesia.

10. *Sacra-*

10. Sacramenta docent esse signa foederis, et tesseras confessionis nostrae. Paedobaptismum rejiciunt ut inutilem, et Christi institutioni minus convenientem, cum infantes nec credere, nec fidem profiteri, possunt. Sunt tamen inter ipsos, qui fere putant, adiaphorum esse, si modo alicui aedificationi inservire possit. Sed et sunt, qui putant, ipsum baptismum jam non amplius urgendum esse, tanquam necessarium, cum Christi mens fuerit tantum circa initium Ecclesiae Christianae ritum hunc suis praescribere. S. coenam docent, tantum ad commemorationem mortis Christi esse institutam, ita ut beneficia, ab ipso accepta, sint illic recolenda et celebranda solenniter, non autem, ut in ea aliquid novi accipiamus, neque etiam, ut aliquid in ea nobis obsignetur. Repudiant autem opiniones de praesentia ac perceptione corporis Christi ac sanguinis in coena, sive corporalis ea fingatur, sive Spiritualis.

§. DIX. 11. Christiano quidem permittunt gerere Magistratum, modo non utatur gladio ad fundendum sanguinem; extra Ecclesiam statuentes esse usum gladii: deinde non licere fratribus docent coram Magistratu contendere, nisi altera pars sit extra Ecclesiam, et si animus absit ulciscendi. Poenas capitales licet non inprobent, in omnibus delictis tamen, ut in furibus, minime admittunt: quos alia poena leviore adfici volunt. 12. Juramenta aliqua licita esse concedunt in Novo Test., quae fiunt de rebus praeteritis, ad Dei gloriam pertinentibus, in quibus falli non possumus, nec res nostras spectamus. 13. Bellum, sive offensivum sive defensivum, gerere Christiano quidem negant licitum esse, sed fas esse concedunt arma gestare, non modo contra bestias, sed et ad incutiendum hostibus terrorem. Dubitant etiam quidam, num non liceat latronem, si admonitus desistere nolit, occidere? hanc enim esse inculpatam vitae nostrae tutelam. 14. Usuras non simpliciter damnant, modo aequitatis et charitatis regula non violetur. Ludus aleae et chartarum apud eos omnis prohibitus est, ut et saltatio,

et potatio ebriosa, quae etiam excommunicatione punitur. In vestibus etsi luxum prohibent, tamen Nobilibus, et qui in Magistratu sunt, aliquid indulgent. Matrimonium contractum apud eos non proclamant, sed post initum contractum solennis benedictio, vel copula, fit in Ecclesia, vel et in loco convivii, ubi occasionem captare solent suam doctrinam aliis instillandi. In coetibus Ecclesiasticis fere nullos ritus usurpant, praeter ritum S. Coenae, nam baptismum adultorum foris in publico aliquo flumine administrant. In jejuniis, eleemosynis, et precationibus sese graviter exercent, atque ita vitam instituunt, ut ipsi de se testantur, ut pietatis nomine aliis fere omnibus sectis praeferantur. Quod multum veri habet respectu virtutis exercitii. Testantur enim omnes historici, vivendi rationem Socinianorum esse honestam valde et laudabilem, in omni genere virtutis, et officiorum ejus; quae per disciplinae accuratam observantiam multum adjuvatur, nec parum ad sectam promovendam contulit: legi etiam cum fructu a perito potest *Ethica Christiana* Crellii.

§. DX. Quibus si addidero, Socinianos, licet, ne Dei quidem existentiam ex sola ratione demonstrari, scilicet ad convictionem usque, posse inficias eant, Scripturam S. quidem solam, inprimis Novi Test., fidei et vitae normam agnoscere, attamen explicitam, secundum rationis dictamina, *contra* quae non tantum, sed nec *super* quae, quicquam divinitus doceri, aut doceri posse in usum nostrum, contendere: sufficientem me Socinianismi dedisse conspectum, autumo; ex quo facile dijudicatur, quid de hac secta, inter omnes fere Christianos ita odiosa, habendum sit. Duo autem sunt, quod probe adverti velim, quae eos characterizant, tanquam ipsis priva, unum, Christum esse nudum hominem, qui ante nativitatem ex Maria non exstitit, alterum, Christi obedientiam ad mortem nullam ad justitiam Dei vindicativam, ut adpellatur, pro credentibus habere relationem, nec hac parte pro iis, ad peccatorum remissionem, satisfecisse.

§. DXI.

§. DXI. Sed silentio non est involvendum, posteriores Socinianos in nonnullis, etiam capitalioribus, capitibus aliquatenus a Majoribus suis discessisse, et paulo propius fuisse visos ad receptas aliorum Christianorum moderatiorum sententias adcessisse. Ipsi in praefatione confessionis auctae et emendatae adserunt, eam aliquo modo quidem eandem esse, ac quae a. 1609. publicata, et Jacobo Brittanniae Regi dedicata est, sed jam pluribus in locis auctam et locupletatam, quin correctam et inmutatam, *non enim erubescendum esse, si Ecclesia nostra*, dicunt, *in quibusdam proficiat.* Proferam nonnulla specimina. 1. In Catechesi aucta sect. I. c. 3. habetur simpliciter, Scripturam S. ita esse interpretandam, ut nihil statuatur, *quod ipsi sanae rationi repugnet, seu contradictionem involvat.* 2. Mortalem quidem fuisse hominem ante lapsum, sed *per peccatum, et propter illud, demum morti fuisse obnoxium, etiam in aeternum duraturae* sect. II. c. 1. 3. Christus sect. IV. c. 1. non tantum merus et vulgaris homo non dicitur, sed et *divinae naturae particeps, quatenus Spiritus S. in eo, naturae ejus humanae individuo nexu conjunctus, habitavit, et mirabilis suae in eo non vulgaris praesentiae effectus dedit.* Agnoscunt etiam *Spiritum S., ex quo conceptus est, in ipso, inde a conceptione, perpetuo habitasse, licet majorum donorum copia perfusus sit post baptismum.* 4. Donum Spiritus S. perpetuum dicitur ibid. sect. VI. c. 6. est *ejusmodi Dei adflatus, quo animi nostri vel uberiore rerum divinarum notitia, vel spe vitae aeternae certiore, atque adeo gaudio ac gustu quodam futurae felicitatis, aut singulari gloriae divinae pietatisque ardore complentur.* Vid. et cap. 10. Sed ad credendum Euangelio Spiritus S. interiore dono opus non esse dicunt, donum enim Spiritus S. nemini, nisi credenti euangelio, conferri. Verum ab hoc Spiritu S. distinguitur Spiritus, omnibus credentibus communis, quo reguntur, et opera carnis mortificantur, qui ex agnito Christi euangelio, et per fidem suscepto, in animis eorum credentium oritur, quem qui *non habet, Christi* non est.

§. DXII. 5. Christum pro peccatis nostris esse passum, etiam tanquam *victimam piacularem*, agnoscunt ibid. c. 8. Sed ita, ut *a.* peccatoribus hac ratione jus certissimum fecerit remissionis peccatorum, et vitae aeternae, adeoque non dubiam fidem. *b.* Omnes peccatores ad ipsum traherentur, in hoc, et per hunc solum, peccatorum remissionem quaerentes. *c.* ut Deus hac ratione inmensam suam charitatem hominibus testaretur, et eos sibi penitus conciliaret. *d.* Denique ipse, tanquam mercedem aliquam, acciperet potestatem dandi vitam aeternam credentibus. *e.* Addunt c. 8. Christum recte dici peccata nostra tulisse, quatenus eorum causa passus est, et sic eorum quasi poenam suscepit, ut nos vera eorum poena exsolveret, omnia peccata, et eorum poenas a nobis auferendo. Tantum negant, Christum *aequivalentes pro peccatis nostris poenas persolvisse*, *et obedientiae suae pretio inobedientiam nostram exacte compensasse.* Dei ac Christi mandatis inmorigeros, in ultimo judicio resuscitatos, poenis esse adficiendos, eos statuere adfirmat Benedictus Wissowatius in nota ad sect. VIII. Addatur postremo 7. baptismum ritum dici sect. VI. c. *semper in Ecclesia observandum*; sed adjungitur, per *inmersionem* faciendum.

§. DXIII. Cum his, quae in medium adtuli de Socinianismo, conferri omnino meretur *confessio fidei*, nuper Caesareae Majestati ab Unitariis in Transylvania oblata, quae et MSS. ad manus meas pervenit ab aliquo eorum socio, postea etiam typis expressa, digna, quae, cum clara et brevis sit, hic tota inseratur, cum ad justum de hodiernis *Unitariis* ferendum judicium forte aliquid conferre possit.

CON-

CONFESSIO
Fidei Chriſtianae

SEcundum Unitarios inter quatuor in Tranſylvania Religiones receptas numerata, Fundamentalibus Patriae iſtius Legibus, Diplomatibus, variiſque Reſcriptis CAESAREIS, verbis REGIIS, Capitulationibus PRINCIPUM approbata confirmata.

Inter quatuor in Tranſylvania *Religiones receptas numerata.* Approb. Conſt. Part. 1. Tit. 1. §. 2, 3. Part. 3. Tit. 1. §. 1.

Fundamentalibus Legibus Appr. Conſt. Part. 1. Tit. 1. §. 2. Part. 3. Tit. 1. §. 1.

Diplomatibus. Sacri Diplomatis Divi LEOPOLDI Tranſylvaniae dati §. 1. §. 2, et 3.

Variis Reſcriptis Caeſareis, Verbis Regiis. Divi LEOPOLDI Nomine Statibus Tranſylvaniae dati *Reſcripti* a. 1686. 28. Jun. §. 6. Sic Anno 1688. 17. Junii. Anno 169[illegible]. 9. Apr. §. 1. Divi CAROLI VI. Viennae Auſtriae. Anno 1713. 13. Mart. Reſcripto Inclytae tunc Deputationi Tranſylvaniae dato.

Capitulationibus Principum. SIGISMUNDI RAKOTZI, GABRIELIS BATHORI, GABRIELIS BETLEN, CATHARINAE BRANDEBURGICAE, GEORGII RAKOTZI Senioris, FRANCISCI RAKOTZI, App. Conſt. Part. 2. Tit. 1. et 2. ACHACII BARTSAI, GEORGII RAKOTZI Junioris, MICHAELIS APAFI Compil. Conſt. Part. 2. Tit. 2. approbata confirmata.

Fontes *S. S.* Ex Quibus Praesens Confessio ac fides est desumpta.
Unus tantum est Deus *Marc:* 12. 29, 32.
Omnipotens 2 *Cor:* 6. 18.
Spiritus *Joh:* 4. 24.
Conservator *Joh:* 17. 11.
Creator 1 *Mos:* 1. 1. *Act:* 4. 24.
Rector 1 *Par:* 29. 11, 13.
Pater 1 *Cor:* 8. 6. *Joh:* 20. 17.
Dator Vitae *Rom:* 2. 6, 7.
Remunerator *Heb:* 11, 6.
Bonitatis Auctor *Matth:* 19. 17.
Fons Sapientiae *Sir:* 1. 1. *Jac:* 1. 5.
Cordium inspector *Psal:* 7. 10.
Diligendus *Marc:* 12. 30.
Adorandus *Joh:* 4. 23.
Timendus *Apoc:* 14. 7.
JESUS quis *Luc:* 1. 31.
Idem Christus *Act:* 2. 36. 1 *Joh:* 2. 22.
Praecognitus 1 *Pet:* 1. 20.
Exhibitus *Gal:* 4. 4.
Conceptus *Mat:* 1. 20.
Natus *Mat:* 2. 1.
Filius Dei Patris 2 *Joh:* 3.
Unigenitus *Joh:* 3. 18. 36.
Proprius *Rom:* 8. 32.
Imago DEI *Heb:* 1. 13.
Deitatis plenitudo *Col:* 2. 9.
Per quem cognoscitur Pater *Joh:* 14. 6.
Cujus voluntatem revelavit *Joh:* 1. 18. *Joh:* 15. 15.

CRedimus Unum tantum esse DEUM ***Omnipotentem***, Qui ***Spiritus*** est, Rerum cunctarum visibilium et invisibilium, ***Conditor***, ***Conservator*** ac ***Rector***. ***Pater*** omnium, super et per omnia, et in nobis omnibus; adorandus in Spiritu et Veritate. Quem agnoscimus esse ***Datorem***, cum praesentis, tum futurae, vitae. Est enim ***Remunerator*** eorum qui per fidem accedunt ad Eum, et quaerunt Eum. Hunc diligimus tanquam omnis bonitatis ***Auctorem***, et ceu Sapientiae fontem, Cordiumque inspectorem timemus.

JESUM CHRISTUM Praecognitum ante jacta Mundi *fundamenta*, exhibitum autem ultimis temporibus propter nos, conceptum ex Sancto Spiritu, natum è Castissima *Virgine*; Credimus esse DEI *Patris* Unigenitum et proprium Filium, *Imaginemque* Invisibilis DEI, in quo omnis plenitudo *Deitatis* habitat, per quem cognoscimus *Patrem*. Is enim summi Genitoris voluntatem revelavit, *et* confir-

confirmavit, ut *Propheta* et *Mediator* inter DEUM et humanum genus. In hujus sanctissimo nomine, tanquam maximi nostri Sacerdotis, invocamus *Patrem*: nam nullum aliud sub Coelo hominibus datum est nomen, per quod servari nos oporteat. Hunc ceu aeternum *Regem*, ac *Dominum* nostrum (Cui à DEO *Patre*, qui Eum à mortuis excitavit, data est omnis in Coelo et in terra potestas) supplices divino cultu adoramus, et invocamus. Et ab eo salutem aeternam praestolamur, ut à *Judice* Vivorum et mortuorum. Nec enim Pater quenquam judicat, sed omne judicium *Filio* dedit, ut omnes Filium honorent, quemadmodum Patrem honorant, Qui *Filium* non honorat, Patrem non honorat, qui Eum misit.

Credimus SPIRITUM SANCTUM a DEO et Filio ejus manantem, *Vim* esse Altissimi, nostrum autem *Consolatorem*: Cujus inspiratione precamur, et efficacia regeneramur. Is, sine

Et confirmavit *Act*: 10. 39.
Propheta *Act*: 3. 22.
Mediator *Heb*: 12. 24.
1 *Tim*: 2. 5.
Maximus Sacerdos *Heb*: 6. 20.
In hujus nomine *Joh*: 16. 24.
Invocandus Pater *Joh*: 15. 16.
Datum ei nomen *Phil*: 2. 9.
Rex *Apoc*: 19. 16. *Luc*: 1. 33.
Dominus *Act*: 2. 36.
Excitatus à Patre *Gal*: 1. 1.
Data ei omnis potestas *Mat*: 28. 18.
Adorandus *Joh*: 5. 23.
Invocandus *Act*: 7. 59.
Vitae aeternae dispensator *Joh*: 5. 26.
Ac Judex *Act*: 10. 42.
Nec enim Pater quenquam judicat etc. *Joh*: 5. 22.

Spiritus Sanctus
Est DEI *Mat*: 3. 16.
Ephes: 4. 30. *Job*: 33. 8.
A Patre et Filio manat *Luc*: 11. 13. *Joh*: 15. 7.
Vis Altissimi *Luc*: 1. 35. *Act*: 10. 31.
Consolator *Joh*: 14. 26.
Ejus inspiratione precamur *Rom*: 8. 15. 26.
Efficacia regeneramur *Joh*: 3. 5. *Tit*: 3. 5.
Is Dei Filio datur sine mensura *Joh*: 3. 34. *Heb*. 1. 9.

Nobis per eundem communicatur *Act:* 2. 32. ut donum *Ibidem* 38.
Et pignus aeternae haered. *Eph:* 1. 14.
ut in nobis bona opera operetur *Eph:* 5. 18.
Et ducat nos in veritatem *Joh:* 17. 13.

mensura à DEO Filio ejus Unigenito datus, nobis per eundem, ceu *Donum* ejus, et pignus aeternae haereditatis communicatur; ut in nobis omnia bona opera efficiat, atque in omnem nos deducat veritatem.

Ecclesia S. Christi est congregatio Electorum 1 *Tim:* 3. 15.
Hujus Caput Christus *Eph:* 1. 22.
Ibidem Cap. 5. 23.
Norma Doctr. Apost. *Gal:* 1. 8. 9.
Hanc verb: Dei guber: *Heb:* 4. 12.
Spiritus S. ducit *Eph:* 1. 17. 18.
In hac versandum *Heb:* 10. 25.

Credimus *Sanctam Christianam Ecclesiam*, omnium electorum DEI (à Constitutione ejus, ad finem usque mundi) Congregationem, cujus Caput est Dominus et Servator Jesus Christus, Norma verò, Doctrina sanctorum ejus Apostolorum. Hanc verbum DEI gubernat, Spiritus Sanctus ducit, in ea sinceri Christiani omnes versari tenentur.

Reges, Principes, et Magistratus à DEO *Rom:* 13. 1. 2.
Pro iis orandum 1 *Tim:* 2. 2.
iis parendum 1 *Pet:* 2. 13. 14.
Nam glad: gestant *Rom:* 13. 4.

Reges, *Principes*, *Magistratus*, confitemur à DEO esse. Ideoque pro iis ante omnia, coram ejusdem Divina Majestate, quotidiana devota *fundimus* Vota: tanquam pro *Ministris* ejus, quibus parendum est. Nam gladium gestant, ut innocentes tueantur, et sontes puniant. Propterea honorem eis deferre, tributaque persolvere, tenemur. Non solum supplicii

plicii metu, sed etiam propter conscientiam. Nullus autem ab hac obedientia sese eximere potest, si modo Christianus dici velit, Jesu Christi Domini et Servatoris nostri exemplum sequens; Is enim tributum persolvit; nec Jurisdictionem Dominationemve temporalem usurpavit, in statu illo humiliationis, gladium Verbi coelestis exerens.

Christus solvit tributa *Mat:* 17. 25, 26, 27.

Credimus *Aquam in Sancto Baptismo*; quem peragimus in nomine *Patris*, *Filii*, et *Spiritus Sancti*; esse signum externum et visibile, nobis repraesentans illud, quod Virtus DEI intus in nobis operatur. Nempe Spiritus renovationem, et carnis nostrae mortificationem in Christo Jesu. Per Sanctum enim *Baptismum* Christo initiati, Ecclesiae membra efficimur, et per eum Fidei nostrae professionem et Vitae emendationem declaramus.

Aqua Baptismi *Act:* 8. 36, 37, 38, 39.
Est signum externum et visibile *Rom:* 6. 3, 4, 5, 6.
Baptisandum est in nomine Patris, Filii, et Spiritus S. *Mat:* 28. 19.

Sanctam Mensam, vel Coenam *Domini* nostri Jesu Christi, cre-

Coena Domini *Mat:* 27. 26.

 dimus

Sacrum memoriale, et Gratiarum actio, in Coetu piorum, in fide, Charitate, sui probatione, celebranda 1 *Cor:* 11. 23. ad 33.

dimus esse sacrum memoriale, et gratiarum actionem, ob beneficia per Christi mortem nobis collata: in Coetu piorum, in fide, charitate, suique ipsius probatione celebrandam. Et ita sacrum *Panem* et *Poculum* benedictum sumendo, Christi Corpori, et sanguini, communicare, unitatemque nostram declarare: sicuti in Sacris Scripturis edocemur.

Panis sacer, et Pocul: benedictum, Communio corporis et sanguinis Jesu Christi. Declaratio nostrae unionis 1 *Cor:* 10. 16, 17.

Humanum genus fuisse sub peccato *Gal:* 3. 23. *Rom:* 3. 9.

Et peccatis obnoxios esse 1 *Joh:* 1. 8.

Justificari ex merà Dei gratia *Rom:* 3. 24.

Qui vult omnes salvari 1 *Tim:* 2. 4. 2 *Pet:* 3. 9.

Non ex Legis operibus, sed per fidem in sanguine Filii ejus Jesu *Gal:* 2. 16.

Credimus et Confitemur, totum humanum genus *sub peccato fuisse*, et nos porrò peccatis obnoxios esse, justificari autem ex DEI (qui omnes homines servari vult, et ad Veritatis cognitionem venire) mera gratia et misericordia: non ex operibus legis, multo verò minus nostris propriis, sed per fidem in sanguine Filii ejus Jesus Christi. Quae Fides à DEO imputatur nobis in Justitiam: ita ut per eam, ex gratia Dei, per Jesum Christum *Remissionem peccatorum*, ac proinde et aeternam Salutem consequa-

ſequamur. Nam Chriſtus, pro nobis et peccatis noſtris mortem cruentam paſſus, factus eſt Victima et Propitiatio. Exemplum autem nobis reliquit, ut veſtigia ejus ſequamur, imitando ejus modeſtiam, charitatem, patientiam, caeteraſque Virtutes, quae potiſſimum in cruce ejus eluxerunt. Omnibus ergò, qui remiſſionis peccatorum et Regni Coelorum compotes fieri volunt, vera et ſeria praeteritorum delictorum agenda eſt poenitentia, fructuſque eâ digni ex viva fide manantes proferendi, nam Fides ſine operibus mortua eſt. Praeceptis igitur DEI (quae gravia non ſunt) obtemperandum eſt, quorum ſumma in eo continetur, ut DEO et Proximo debitam charitatem exhibeamus. Fides enim per charitatem debet eſſe operans. Curandum ergo, ne in caſſum accipiamus gratiam DEI, quae cunctis hominibus illuxit ſalutifera, et erudit eos, ut impietati, mundaniſque cupiditatibus vale dictô,

Chriſtus pro nobis et peccatis noſtris mortem cruentam paſſus *Rom*: 5. 8.

Factus eſt Victima *Heb*: 9. 14.

Exemplum reliquit ut eum ſequamur 1 *Pet*. 2. 21.

Omnibus penitentia agenda *Act*: 3. 19.

Fructus eâ digni proferendi *Mat*: 3. 8.

Manantes ex Fide viva *Gal*: 5. 6. *Philem*: 5.

Fides ſine operibus mortua *Jac*: 2. 20. *ibid* 29. 2 *Pet*: 1. 5. *ad* 11.

Praecepta Dei gravia non ſunt, iis obtemperandum 1 *Joh*: 5. 3.

Summa Dei praeceptorum *Mat*: 22. 40.

Fides per charitatem operans *Gal*: 5. 6.

Curandum itaque ut in omnibus eam bonam oſtendamus, et doctrinam Salvatoris noſtri Dei ornemus. Apparuit enim gratia *Tit*: 2. 10—14.

tò, temperanter, justè, pièque vivant, in praesenti seculo, exspectantes speratam beatitudinem, adventumque gloriosum Magni DEI et Servatoris nostri Jesu Christi: qui se ipsum pro nobis dedit, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et purificaret sibi ipsi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum.

Credimus et speramus fore *Carnis resurrectionem*, cum justorum tum injustorum. Veniet enim Christus Dominus de Coelis, in Patris sui et sua gloria, et cum cunctis Sanctis Angelis, ut judicet vivos et mortuos, qui omnes coram Tribunali ejus comparebunt, et tunc unicuique reddet juxta facta ipsius. Impii quidem et injusti, perenni destinati supplicio, conjicientur in ignem aeternum, Diabolo ejusque angelis paratum. Pii verò ac justi, mortalitate depositâ, et glorioso corpore induti, transferentur in locum a Christo Domino eis para-

Erit Carnis Resurrectio 1 *Cor:* 15. 12. 22.
Justorum et injustorum *Act:* 24. 15.
Veniet enim de Coelis Christus *Mat:* 24. 30 *Apoc:* 1. 7.
Ad judicandum 2 *Tim:* 4. 1.
Et omnes coram eo comparebunt *Rom:* 2. 6, 7.
Unicuique reddet *Mat:* 25. 31.
Impii conjicientur *Apoc:* 21. 8.
Pii mortalitate deposita 1 *Cor:* 15. 53.
Glorioso corpore induti 1 *Cor:* 15. 43. *ad* 54.
Transferentur 1 *Thes:* 4. 17.
In lòcum à Christo Domino paratum *Joh:* 14. 1, 2, 3, 4.

paratum, ubi Thronus ipsius et DEI Patris est: ut ita DEI faciem intuentes, sanctis Angelis ejus aequales facti, ineffabilis gaudii et aeternae felicitatis participes, semper sint cum Domino.

Ubi Thronus ipsius et Dei Patris *Apoc:* 22. 3.
Faciem Dei intuebuntur *Apoc:* 22. 5.
Angelis aequales *Mat:* 22. 30.
Ineffabilis gaudii *Apoc:* 21. 4.
Et aeternae felicitatis 1 *Joh:* 3. 2.
participes
Semper erunt cum Domino 1 *Thes.* 4. 16. Amen.

HAEc est brevis et simplex à Majoribus nostris, (qui eam variis perpessionibus, imo et propriô sanguine sigillare haud dubitarunt) edita *Fidei Confessio.* In qua si alicui quidpiam desiderari videbitur, hunc ad fomem, ex quo haec hausta sunt, *Sacrosanctam* nimirum *Scripturam*, remittimus. Regulam enim unicam Fidei nostrae, quam planam et plenam esse, et cuncta ad salutem necessaria continere, agnoscimus: tanquam normam credendorum, sperandorum, et faciendorum. Vetus et Novum *Testamentum* toto corde amplectimur, et ore profitemur, *Symbolumque Apostolicum* summa prosequimur veneratione. Quisquis verò dixerit, nos aliam profiteri doctrinam, longè eum falli, et fallere, omni loco et tempore, DEO juvante, demonstrare parati sumus.

F I N I S.

§. DXIV. Restat de *ortu* et *progressu* Socinianismi quaedam subjungam. Autor vitae Socini, ipseque quoque Faustus Socinus in disputatione cum Erasmo Johannis, a. 1594. publicata, si audiatur, Laelius alium non habuit, a: Scripturam S., et Spiritum S. doctorem. Dicit utique Faustus,

Laelium sententiam de *origine Christi* multis precibus a Christo inpetrasse, et multa alia, prorsus tunc incognita, a Deo ipsi esse patefacta. Sed secundum Lubienicium l. cit., qui illud ex commentariis MSS. Budzinii, ac ipsius Laelii vitae curriculo, se habere testatur, plures Itali, inter quos ipse Laelius, operam in agro Veneto, aliisque urbibus, a. 1546. dederunt veritati indagandae, eoque fine colloquia et collegia instituerunt, pertractaruntque praecipua fidei Christianae capita, *unicum* scilicet esse Deum altissimum, Creatorem et Conservatorem omnium, et Filium ejus unigenitum esse Jesum Nazarenum, hominem verum, at non simplicem, utpote, virtute Spiritus S., in casta virgine genitum: hunc a Deo Patribus promissum, tempore definito missum, mysterium euangelii salutaris hominibus adnunciasse, viam vitae aeternae, non indulgendo carni, sed pie vivendo consequendae monstrasse, ex paterna voluntate vitam parandae et sanciendae peccatorum remissioni inpendisse, ab eo resuscitatum et exaltatum esse; credentes in Christum, eique morigeros, justificari a Deo — — hunc solum populi sibi subjecti esse caput et Dominum, hunc omnium vivorum et mortuorum constitutum Judicem, in ultimo die ad nos venturum: interea regnum mille annorum recuperaturum, et obtenturum, ad ultimum Deo Patri regnum traditurum, eique subjectum iri, ut Deus sit omnia in omnibus. Ceterum dogmata, vulgo recepta, de Trinitate, de Christo Dei, qui sit ipse Deus creator, idem Deus qui Pater, de Spiritu S. Dei, qui Deus pariter sit, de justificatione vel per opera meritoria, vel per fidem solam. meritum Christi sibi adplicantem, aliaque his similia, esse opiniones per Philosophos Graecos introductas. Qua patefacta societate, gravi persecutione sunt obruti, et, quibusdam capitis supplicio adfectis, dispersi sunt in varias oras, nonnulli etiam in Turciam, inter quos fuit Leonardus, Abbas Busalis, qui vitam arte sarcinatoria Damasci sustentavit, et finiit. Sintne haec omnia vera, praestare non possum: de quo supra jam monui.

nui. Illud insuper constat, in articulo de Trinitate, ac persona Christi, Sabellianismum, ac Samosatenianismum, et Photinianismum recoctum, de peccato originali, libero arbitrio, et gratia Dei, Pelagianismum renovatum esse: tantum in articulo de satisfactione Christi singularis maxime est.

§. DXV. Qua ratione in principio non fuerit ab Unitariis in communionem admissus Faustus Socinus, fataque ejus systema habuerit varia, cum supra narraverim, nonnulla de sede Socinianismi in Polonia, et conatu eum per alias regiones propagandi, hoc seculo, in medium adferam, quantum nostro convenit instituto. Inter Unitarios, seu Antitrinitarios, aliquandiu concordes, communi hoc sub nomine, schismate orto, autoribus Petro Gonesio et Nicolao Farnovio, acerrimis Arianismi zelotis, de quo vid. Lubienicius l. cit., res suas agere coeperunt Sociniani, et apud plerosque praevaluerunt, sedibus etiam fixis Racoviae, quae probe est a Cracovia distinguenda, et a Johanne Sieninio, Palatino Podoliae, fundata est a. 1569. in Sindomiriensi Palatinatu, a gentilitio stemmate uxoris *Rak* h. e. *cancer*, nuncupata: ad quam multi undiquaque, loci commoditate, et benevolentia Patroni, adlecti, confluxerunt, et ubi postea a. 1602. egregiam erexerunt scholam. Vid. Lubienicius l. cit. Ecclesiam vero Socinianam ibi gubernarunt viri inter eos celeberrimi, Christophorus Ostorodus, Petrus Statorius, Smalcius, Stanislaus et Christophorus Lubienicii, Johannes Crellius, Jonas Schlichtingius, alii. Hinc etiam propagatus est Socinianismus per Poloniam, aliasque regiones, ipsum nostrum Belgium. De quo verbum est dicendum.

§. DXVI. Primus, qui hanc, vel potius Arianam, haeresin in Belgium conatus est invehere, memoratur Erasmus Johannis, Rector Collegii Antverpiensis; qui librum, tacito suo nomine, edidit a. 1585., cui titulus, *antitheses doctrinae Christi et Antichristi, de uno vero Deo*: quem refutavit Zanchius, in cujus operibus exstat. Postea aufugit in Transyl-

vaniam, et Arianismum palam docuit in coetu Claudiopolitano, quocum Socinus aliquando disputavit. Vid. etiam de ipso Antonius van der Linde, in praef. systematis Theolog. Secundus traditur fuisse Cornelius Daems, ICtus Mechliniensis, qui sese Ultrajectum contulit, ut MSS. Socini libros eo melius publicare posset: sed detectus, et ad Magistratum delatus, libris relictis, citó se proripuit: libri tamen postea, mutato Magistratu, ad manus ejus redierunt. Sed majore conatu id deinceps adgressi sunt Christophorus Ostorodus et Andreas Waidovius. Fuit Ostorodus Goslariensis Saxo, filius Pastoris Lutherani, et Rector Scholae Sluchoviensis in Pomerania, inter Lutheranos. Quo munere, ob errores Socinianos, privatus secessit in Poloniam a. 1585., ubi Smiglae, et dein Gedani, functus est Pastoris munere. Vid. Bibl. Anti-trin., ubi etiam scripta ejus recensentur. Alter, Andreas Voidovius, fuit Polonus, Pastor Lublinensis, dein Racoviensis, et jam ab a. 1583. floruit. Hic, cum nobiles quosdam Polonos a. 1597., studiorum causa, Lugdunum Batavorum deduxisset, eorum visitandorum gratia vel praetextu, anno sequente, una cum Ostorodo, rediit in Hollandiam, secum variis libris, sive MSS. sive excusis, sumtis, quos lingua Belgica in vulgus emittere tentarunt. Detecti vero a Magistratu Amstelodamensi, et libris privati, discedere jussi sunt. Libris dein ad Facultatem Leidensem missis, et ab ea non solum condemnatis, sed tanquam blasphemam, inpiam, fereque Turcicam, doctrinam comprehendentibus declaratis, jussu Ordinum, praesentibus Ostorodo et Voidovio, sunt flammis traditi, ipsique intra decem dies has oras deserere jussi, etiam sub poena, si postea in Provinciis fuerint deprehensi, arbitraria, aliis in exemplum. Vid. praeter Hoornbek. in adparatu ad controvers. Socinian., et Voetium disputat. tom. III., Cloppenburgius in *praefatione Socinianismi confutati*, ubi copia rescripti Facultatis, et sententiae Ordinum, etiam recensetur. Tanto licet zelo in hanc sectam insurrexerint ipsi libertatis conscientiae, et religionis,

vin-

vindices, inpediri non potuit, quin doctrinae Socinianorum semina radices egerint in Belgio. Discesserunt, inquit Sandius in Bibl. Antitrinit., *doctrinae unitariorum seminariis* jactis. Reliqua ad sec. seq. pertinent.

§. DXVII. Ostorodo et Voidovio alii Socinianismi fautores, ac statores, qui et tempore Fausti Socini, et postea, floruerunt, verbo sunt addendi: ubi sese primo Andreas Duditius, Hungarus, offert anno 1533., Budae in Pannonia natus, et a. 1589. Uratislaviae in Silesia defunctus. Vir fuit, secundum Lubienicium, ut *natalium sorte*, ita *cunctis animi dotibus*, *meritorum excellentia*, *dignitatum sacrarum ac civilium splendore*, *adfinitate*, *vita*, *et morte pia*, *praecipuis in orbe viris*, *et heroibus Christianis accensendus.* Vid. etiam Thuanus Hist. lib. XCVI., qui insigni etiam ipsum ornat elogio, et inter alia praeclara dicit, ipsum inter Catholicos et Protestantes fluctuasse, et, *in eo fluctuationis salo haerentem*, *hoc temperamentum servasse*, *ut*, *nemini*, *qui viam veritatis et salutis pectore non ficto*, *aut ambitiose rimaretur*, *gravius succensendum putaret*, *neque eos*, *qui in Religionis quaestionibus*, *hodie tantopere exagitatis*, *erroneam opinionem tuerentur*, *modo turbulenta abesset pertinacia*, *poenis atrocioribus dignos censeret.* Ipse Episcopus ultimo fuit Quinqueeclesiensis in Pannonia, trium Inperatorum, Ferdinandi, Maximiliani, et Rudolphi, consiliarius, Cleri quoque Hungarici in Synodo Tridentina Legatus, in qua duas etiam habuit de *communione sub utraque*, et *sacerdotum conjugio*, orationes admodum disertas. Celebratur enim tanquam orator valde Ciceronianus, qui, teste Thuano, Ciceronem ter propria manu descripsit. *Visis vero Romanae Ecclesiae arcanis in illa Synodo*, *cum religio ea ipsi displicuisset*, *Reformatis se adplicuit*, inquit Sandius, nobili etiam ducta puella Sophia Gonicella, in *quam singulari modo inciderat*, inquit Hoornbek. l. cit., *in Poloniae Regis aula*, quum a Maximiliano missus legationem ibi obiret, a. 1565. Vid. etiam Thuanus l. c. *Qua mortua*, ut Sandius, *Zborovii Castellani Cracoviensis*, *filiam*, *Comitis Tarnovii viduam*, *matrimonii*

nexu copulavit sibi, atque ex ea filiam, Reginam nomine, Hieronymi Moscorovii conjugem, procreavit. Deserto vero Papatu, et dignitatibus nuncio misso, Papae meruit indignationem, Romae etiam in imagine exustus; nec tamen Ecclesiae Reformatae sese palam adjunxit, *fluctuatus, et in religione melius quid fugiendum sibi esset*, verba sunt Hoornbekii, *quam quid sectandum vidit.* Cum vero Ecclesiam Calvinianorum frequentaret, ut ex Budzinio narrat Lubienicius, eorumque odia et injurias in dissentientes animadverteret, ab iis abalienatus, et Socino, ejusque sociis propius adsociatus est. Testatur vero ipse, se ex Transylvanorum scriptis, a Blandrata et Francisco Davidis vulgatis, sententiam de uno Deo hausisse, apud Sandium. Habuit dein cum Socino ab a. 1580. commercium litterarum, unde liquet, in eandem haeresin ipsum incidisse. Nomen quidem Ecclesiae Socinianorum non dedit, ut Lubienicius fatetur, attamen ejus fautor fuit, et in oppido majoris Poloniae Smigel, cujus erat Dominus, Ecclesiam et Scholam erexit Socinianam, seseque patronum praestitit. *Nuper autem*, inquit Weismannus in hist. Eccles., *vir quidam Doctissimus, et historiae Ecclesiasticae peritissimus, scripsit: fuit Duditius vir candidissimus, et abreptus fuisset specie, qua Sociniani Biblia tractabant, nisi animadvertisset gravissimos errores, qui mox se prodebant; tunc vero eos deseruit.* Quod quo fundamento nitatur, me latet. Scripta ejus, in Bibl. Antitrin. recensita, sunt maximam partem Epistolae, inter eas Socini editae; quarum una, de haereticis non persequendis, etiam adjuncta est Mini *Celsi* Senensis, qui Laelius Socinus putatur, libro de eadem materia.

§. DXVIII. Inter eos, qui, post Socinum, pro Socinianismo multa scripserunt, praecipuum tenet locum Valentinus Smalcius, Gothanus Thuringus, Scholae Smiglensis primum Rector, dein Pastor Racoviae, tum Lublini, denique rursus Racoviae, mortuus a. 1622., celebris in primis tum Catechesi Racoviana, quam praecipue concinnavit, tum multis

tis scriptis eristicis de Persona, vel Deitate, Christi, et ejus satisfactione, contra Smiglecium, Jesuitam Polonum, Philosophiae et Theologiae Doctorem Vilnae, celebrem Logicistam, contra Graverum Ravenspergerum, Franzium, et alios, tum denique moderatione in causa baptismi: sine quo ad communionem suam admitti voluit Socinus, sed indulgendum esse, et cedendum tempori, ursit Smalcius, propterea a Socino in litteris, quae ab a. 1593. ad ipsum exstant variae, reprehensus. Scriptorum ejus catalogum texuit Bibl. Antitrinit. Socius ejus in Catechesi Racoviana adornanda, et Jesuitis refutandis, licet Socino, testibus Socini epistolis, in baptismo abrogando faventior, fuit Hieronymus Moscorovius, eques Polonus, ex antiqua illustri prosapia Ducum Silesiorum de Suidna oriundus, gener Duditii, et Ecclesiae Czarnovianae fundator ac patronus. Cui Socinus librum contra Erasmum Johannis inscripsit. Diem obiit supremum a. 1625.

§. DXIX. Celebre etiam inter Socini adseclas nomen nactus est Georgius Enjedinus, Hungarus, Ecclesiarum Unitariorum, seu Socinianorum, in Transylvania Superintendens, et Gymnasii Claudiopolitani moderator, clarus a. 1587., et mortuus a. 1597. Scripsit inter alia *explicationem locorum Vet. et Nov. Test.* pro Trinitate adferri solitorum. Qui liber in Transylvania fuit prohibitus, multis etiam exemplaribus conbustis, sed in Belgio denuo postea est inpressus. Propensum vero ad Francisci Davidis opinionem, de non invocando Christo, ad saniorem mentem revocare conatus est Socinus, ad eum scripta epistola a. 1596. Desino in Johanne Volckelio, Gremmensi Misnico. Fuit Philippoviensis, et dein Smiglensis, Pastor. Qui, cum Socinum sibi non videri satisfecisse in errore Francisci Davidis, modo memorato, refutando, scripsisset, Socinus ei in epist. a. 1596. respondit. Sed nomen suum in primis celebravit per *libros de vera religione*, quibus Socinianismum primus retulit in systema aliquod, addidit dein Crellius librum *de Deo et ejus*

adtributis, eaque ratione in lucem emifit Volckelii opus poft ejus mortem Racoviae a. 1630. Quod deinceps typis Blavianis Amftelodami recufum, publice, juffu Magiftratus, eft flammis traditum a. 1642. Fabulofum vero eft, quod Stoupa *de religione Hollandorum* tradit, ipfum typographum id petiiffe, ut carius venderetur. Vid. Baelius in Lex. in Volckelio. Interea Belgice mox prodiit Roterodami a. 1649. Quid? quod ipfe Marefius Latine in lucem miferit, addita refutatione a. 1642. Eft vero utiliffimus liber ad fyftema Socinianum recte intelligendum.

ERRATA CORRIGENDA.

Pag. 13	Lin. 29	Leg.	Altenburgum excufet,
24	24		qua
87	17		detrectarunt
295	3 a fine		inftaurator
377	27		marem
508	7		redegerunt

INDICES
IN
HISTORIAM ECCLESIASTICAM
VIRI CL. H. VENEMA.

B. L.

PRaestantissimo huic et elimatissimo Historiae Ecclesiae operi, *non absque charta et calamo ad manus*, ut in consessu Virorum Doctorum, Vir quidam de omni Historia meritissimus, omnibus adstipulantibus, palam edicebat, *legendo*, indicem adjectum desiderabunt Lectores ejus longe plurimi. Jure quoque hoc desiderari, eoque magis hoc opus esse, patet, quod in hoc opere, prout id a Clar. Auctore digestum est, non ita facile quis, nisi in Historia Ecclesiastica, non dicam aliquatenus, sed vel probe versatus, haec illave reperire poterit.

Cum vero a Typographis, viris honestissimis, operis editionem curantibus, ut Indices adjiciantur operi, egregie quoque curatum sit, paucis Te, qui hoc in nos suscepimus operae, quomodo id praestitimus, in limine monere voluimus.

Primo quidem, quoniam exegetico studio, ac praesertim Veteris Instrumenti, multum ac praeclare opus hoc Historicum inservit, quod et exegesi nititur potissimum, voces

Hebraeas, quarum notiones primarias ac fecundarias ex dialectis Orientalibus paffim illuftrat et adftruit Cl. Auctor, phrafefque Hebraicas, quarum poteftatem ac ufum dexterrime perfaepe explanat, ordine alphabetico digerere voluimus; quoniam, quibus hoc ftudiorum genus in deliciis eft, fi opus hoc manibus terunt, gloffarii cujufdam inftar, ea vocum phrafiumque Hebraearum illuftratio haud raro lumen accendet, quod ad alia loca ufui venire quoque poterit.

Deinde, quoniam Hiftoria Sacra V. T. maximam partem in V. T. libris, ceu fonte, unde hic hauriendum, refidet, et longe plurima S. S. loca hic non allegantur folum, fed et obfervatis, mox prolixioribus, mox fuccinctioribus, quae ad eruendum eorum fenfum ex mente Cl. Auctoris faciunt, ditantur, confultum quoque duximus, eorum indicem adjicere: eoque magis, quod a recepta Maforethica lectione, vetuftiffimis verfionibus nixus, nonnunquam recedit, crifinque in textum fubinde, aut ex locis parallelis, aut ex ipfo locorum contextu, ad veram et genuinam lectionem eruendam, exercet; cujufmodi loca fedulo notavimus.

Tandem et rerum in opere hoc obviarum indicem, cui et Graeca vocabula notatu digna fuis locis adfcripfimus, oculis tuis fubjicere voluimus.

Primum vero et feorfim Indicem in Tomum I. et II., Hiftoriam Veteris Teftamenti Ecclefiafticam continentes, exhibemus, cui in reliquos Tomos, Novi Teftamenti Hiftoriam complexos, eodem modo elaboratos, Indices fubjicimus. Quibus fi quid, ad commodum tuum promovendum, praefliterimus, longe gratiffimum nobis erit.

INDEX VOCUM HEBRAEARUM ET PHRASIUM,

Quae Tomo I. et II. Historiae hujus Ecclesiasticae illustrantur.

א.

אמן pro-

 את nomi-

ב.

קדים effif.

ג.

 גלילים *fines*,

ד.

cendo, hinc indeque ducendo pecori aptas, passim Pag. denotat. . . . . . Tom. II. 85

דממה statum aëris nullo modo turbati, sed tranquilli complanati, 1 Reg. XIX: 12. exprimit. . 83

דר-משק, *Darmesek*, nomen proprium regionis, *habitaculum* notat *irriguum*. Derivatur enim a

דור *habitare*, et שקה, unde משקה, *locus irriguus*, vel *discursationes* notabit, a rad. שוק, aut שקק *discursitare*: ut sit planities, in qua commercii causa discurritur, *forum* quasi *gentium*, quale vere fuit Damascus. Proprium nomen est דר-משק, pro quo passim דמשק venit. 254



הוה, unde nomen Dei proprium.

יהוה, quod denotat *erit*, et ad promissa ipso facto praestanda respicit, ut idem sit ac *erit* qualis *erit*, seu se futurum pollicitus est. . . I. 150

In specie nomen hoc Deum Israelis notat, ac a reliquis aliarum gentium, sic dictis, diis, tanquam verum a falsis, distinguit. . . II. 159

הום et המם, unde מהומה, *contabefactionem magnam* innuunt, qua tabifica aegritudine, moerore et plagis quis consumitur. . . . . I. 378

הלל non furorem aut epilepsiam designat, sed *delirium*, seu etiam insaniam, qua quis sibi prae ebrietate, vel alia mentis commotione videre videtur diversos colores, imagines, et omne genus spectra. I. 425



פוך, unde 2 REG. IX. 30. verbum ותשם est derivandum, apud Arabes obvium, notat *stibio* oculos lacerare, vel acu, scalpellove supercilia scalpere, ad fucum rectius inspergendum. . . I. 130

ז.

ח.

חתם *obsignare*, unde Pag.
חותם תכנית, *obsignans exactam dimensionem*, EZECH. XXVIII. 3. periphrasis est illius, qui suprema cum auctoritate, quae nullam relinquit contestationem, definire potest ac determinare, sigillo quasi impresso. Tom. II. 250

ט

טוב nomen adjectivum, טובה substantivum, ut in טובה, itemque verbum in Hiphil, היטב nonnunquam adverbialiter adhibentur, et ad significatum intendendum faciunt, atque hinc in versionibus idem valent, quod *valde*, *vehementer*, *summopere*. II. 353

טחר, unde טחורים, quod in textu 1 SAM. VI. 11. legitur, at pro עפלים, c. V. 6. in margine substituitur: *mariscas* et ficos, seu tumoris ani *haemorrhoidas*, sub his vocibus passim intelligunt interpretes, quod a BOCHARTO est illustratum, cui טחור est *podex*, quia in ling. Syr. est σφιγκτὴρ, a rad. claudere, constringere. Sed sublestius est fundamentum, cui opinio illa innititur; si tamen vim *constringentem* contineat vox nostra, ulceris qualitates, aeque ac anum se constringentem, exprimit. I. 378 379

י

יפה *pulchrum*, *decorum esse*, unde יונה *columba*, in quam, ceu pulchram avem, thematis significatus aptissime quadrat. Hoc autem flexu vox haec a rad. יפה formata forte, ut ad formam יפן primum inde venerit יפנה, et ejus foemininum יפונה, et, elisa litera פ, יונה, *pulchra et decora*.

[illegible], תולדות, in phrasi, qua in primo suo libro frequentius Pag.
usus est Moses, *recensiones* notat, et ad schedas
vetustiores, ex quibus historiam hujus libri confe-
cit, manuducit. . . . Tom. I. 25

[illegible] et sororiae radices [illegible] et [illegible] propriam *emicandi* sig-
nificationem habent, unde
צואה *faeces* denotat, quae ex alvo egeruntur et emi-
cant. 125

יצב in Hithpahel התיצב *stationem* notat personis et rei
congruam, gradu et ordine decente. I. 318 54

ירושלם, si derivatur a ירש et שלם, *haereditariam possessio-
nem pacis* indicat, quod RELANDO visum; si ve-
ro idem sit ac ירא שלם, pro יראה, sensus nominis
erit, *videbit*, *procurabit pacem*, Jehova nimirum. I. 47

[illegible] *siderandi* significatum prae se fert, quae sideratio-
nis notio subitaneam vastationem quoque invol-
vit. . . . . . II. 8

כ.

כבול ex Arabica dialecto, secundum SIMONEM in *O-
nomast.* notat *in pignus acceptum*. Nomen est,
quod tractui, viginti urbes complexo, a Salomone
sibi dato, Hiramus imposuit. . . II. 28

כביר העזים *culcitra caprarum*, 1 SAM. XIX. 16. ex pilis
vel pelle caprarum, ut aliae hujus generis phrases,
notat, et ejusdem rad. vox מכבר 2 REG. VIII: 15.
culcitrae notionem adstruit. . . I. 41

כבש 2 CHRON. IX. 18. throni Salomonis *suppedaneum*
non notat, verum *caput prominens obductum*, ut ex
lingua Arab. colligi potest, et ex collato loco paral-
lelo, 1 REG. X. 18. liquet; est enim ibi ראש עגל
caput rotundum in posteriore suprema throni parte. II. 39

כהן *intimum regis ministrum*, aulicum, vicarium regis
etiam notat. . . . . . . I. 543

Perſarum

ס.

סבב *cingere*, *circumdare*, ad *ansam* et *occasionem* exprimendam facile se praebuit, veluti Pag.

סבה *causa*, *occasio* apud Arabes et in S. S. obvia. . . . . . Tom. I. 431 432

סגר verbum apud Arabes, inter alia, notat, *accenso igne clibanum effervescere fecit*, quod CLODIO observatum: inde

סגור aurum *clausum*, i. e. solidum, optimum, probe excoctum notabit. 1 REG. VI. 20. . . II. 24

סוך, cui aequipollet שוך, proprie notat *spinis obsepsit*, vel texuit, implicuit: unde סכסך non *miscere*, sed *spinosum esse*, horrere aculeis, quare in eo frequentatur, qui armis et telis undique horret.

שוכה potentiam denotat terribilem et inaccessam.

סוך sepimentum. . . . . . 252 sq.

סכות בנות, *succoth benot*, vix dubium videtur, quin *tuguriola* fuerint, vel tentoria *filiarum*, seu sacraria Veneris Milittae, in quibus filiae, vel puellae, Veneri sacrae, sese advenis prostituebant. . 191

סוף *A'ga* vel *juncus*, AEgyptiorum *sari*. Inde dictum

ים סוף *Mare suph*, apud LXX per *mare rubrum* expositum, non ab Edomo, sed ab algae copia ortum. I. 159

סנורים *caecitatem* notat, sive veram, qua nihil videtur, sive in visu illam mutationem, qua, scotomate ac stupore inmisso, aliter ut res sunt, et sub alia specie, eae obversantur oculis Vox Hebraea proprie *mutationem lucis* in pejus, ex שנה *mutavit*, etiam in deterius, et אור *lux*, composita. . 118

סעפים proprie *cacumen rei*, in specie *caput cordis* vel *venae* signat. Inde adhibetur de affectibus et amoribus quasi religiosis, quatenus totum cor occupant, et intime turbant. 80

סערה *turbo* procellosus *urens*, quali Elias est sublatus. . 101

 XXVIII.

פ.

re in aliquem, hostili nimirum animo et nocendi Pag.
ergo. . . . . . Tom. II. 12

פזז *levitatis* significatum fundit, et a levitate transiit ad *agilitatem*. Unde David dicitur מפזז, 2 SAM. VI. 16. i. e. *levem se fecisse*, agilem se praestitisse, saltui, ex gaudio ac pio adfectu, nimirum operam dans. . . . . . I. 482

פלץ originem habet in motu *tremulo* et vibrante, unde per metonymiam *librare* denotat, cui respondet Graec. παλλειν, unde *Phalli* epitheton, Priapo proprium fluxisse censetur, pro *veretro;* nisi quis a φαλος et φαω, *albo*, *splendido*, potius derivare velit, dicit enim lignum longum, decorticatum, et ita album factum. . . . II. 67

מפלצת, idoli nomen, *terriculamentum* notare putatur, et Priapi simulacrum fuisse videtur, sive a *terrore*, seu reverentia derivetur, ut Latin. *verendum* et *veretrum* sive ad rad. פלץ, quae hic praecessit. ibid

פנות *angulos*, extremas aedificiorum partes et latera, et inde, per metaphoram, *primores populi* notat, qui in comitiis primas habent. . . I. 318

פסח in *luxando* et *laxando* propriam suam potestatem habet, inde *claudicandi* usus, a luxato laxatoque membro, fluxit. . . . . . II. 80

פעם proprie dicit *tundere pede*, obculcare, inde vestigia inprimere, et motus heroicos inculcare in animum, uti de Spiritu Jehovae, quoad Simsonem, narratur. . . . . . . I. 358

פקע *effissionis*, eruptionis ac protuberationis notiones ex origine fundit. Inde

פקעים *colocynthides*, *cucumeres* agrestes, a fissione et stridore sic dictos, notat, amarissimi et perniciosi saporis ac effectus fructuum genus. II. 28 114

פרץ proprie *findendi* potestatem prae se fert, qua cum laceratione aliquid frangitur, ita ut apertura vel

צפה ſig·

ſ ſignificat proprie *ſuperficiem* adparentem, et quodam Pag.
nitore oculos ferientem, ſicut ubi aliquid aquis ſupernatat ac inminet. Hoc ſenſu thronus Salomonis eburneus, de quo hoc verbum, 1 REG. X. 18. adhibetur, non laminis aureis obductus, ſed auro ſparſim et per intervalla *interſtinctus* dicitur. . . . . Tom. II. 39

ק.

קד pro *ſcorto* et *proſtituto* publico, Priapo vel Veneri ſacro, venit: at per anticipationem a Moſe GEN. XXXVIII. 21, 22. hoc nomen adhibitum, cujus uſus ſuo tempore demum videtur invaluiſſe, ut DEUT. XXIII. 17. liquet. . . I. 22

קדשים *ſacrati*, ſeu Veneri ſacri, cynoedi. . . II. 67

קה, titulus, quo *Eccleſiaſt.* inſignitur, quoad ſenſum ex libri illius c. VII. 26. explicandus, cujus loci ſenſus eſt, libri ſcopum et argumentum eſſe; alterum cum altero comparare, et res ad ſe invicem *colligere*, ut inde ſapientiae *concluſio* formetur, quae c. XII. 13. traditur. קהלת itaque eſt *collectio*, aut *collectrix unius ad alterum.* . . . . I. 46

ק accepit tum *confluendi*, tum *recto* curſu aliquo *contendendi* ſignificatum, et apud Arabes in agmine viatorum longo filo iter facientium, teritur. Inde מקוה receptaculum aquarum, recta linea eo contendentium. Inde *locum defilationis*, vel defilationem ſive jus et privilegium ejus quoque notat. . II. 15

קיקיון ex themate קיה, קיא, quod reſpondet קוה, per reduplicationem literarum ortum, nomen eſt arboris vel fruticis, cujus umbra Jonae admodum profuit. Arabum eſt *Alkeroa* vel *Alcherſa*, niſi AEgyptiacum ſit nomen. . . . 161

, cui reſpondet קרע, proprie *diruptionem cum fragore*

 continet,

movere

movere poſſint: unde et ad conviciationem vox Pag.
tranſiit. . . . . Tom. I. 524

רדם, תרדמה in hiſtoria creationis Evae *ſomnium* non tantum *profundum*, ſed divinitus inmiſſum, et ab ordinario diſtinctum cum divina revelatione, ſeu viſione nocturna conjunctum, notat. . I. 30

רוח *Spiritus*, *flatus*, ſubinde ad exprimendam *iram*, ejuſque ſequelas et effecta, valet. . . 39

Altiores, quos quis gerit, Spiritus, ſuperbiam, arrogantiam et jactantiam hac voce paſſim denotari quoque videas. . . . . II. 37 ſq.

רוץ proprie eſt *quatere* terram, et inde *currere*. I. 341

רצים *curſores*, cuſtodes regis, ſatellites, ad aulam vel regis miniſterium pertinentes. . II. 134 136

ריק *ſalivavit*, ſalivam emiſit. Inde per metonymiam ad ſtultos, inſanosque vox tranſlata, qui nihil penſi habent, quibuſve periculis, inſanorum inſtar, temere ſe exponunt, temerarii et audaces, cujuſmodi hominum genus

אנשים ריקים, phraſi in hiſtoria Jephthae, JUD. XI. 3. obvia, denotatur. . . . I. 352

רכב propria verbi poteſtas τὸ *inpingere* adfert, unde eſt *equitare*, currui inſidere, pro currui, equo ſe adpingere— Priva phraſis eſt 2 REG. XIII. 16. *equitare facere manum ſuper arcu*, i. e. *tendere arcum*. II. 142

רפה proprie *flaccidum* et *pendulum eſſe*— Inde *manus flaccidae*, pendulae, ſeu remiſſae pavidi, et ſegnis emblema gerunt, quatenus is eſt conſternatus, mente perturbatus ac conſilii inops. . . I. 466

רעש proprie *turbido motu jactari* et irrequieto, unde ad hominem calamitoſum in genere transfertur. 406

רתם proprie *adligare*, *jungere* notat, inde nomen, *geniſta*, quod virgae ejus ad nexum, flexumque faciles, firmas praeſtent ligaturas. . . II. 82

ש.

ad

INDEX

INDEX LOCORUM S. S.

TOMO I. ET II. OCCURRENTIUM.

Cap.

Cap.

JOEL.

INDEX

INDEX RERUM PRAECIPUARUM,

TOMO I. ET II. OCCURRENTIUM.

A.

AEgyptio-

fines

C.

Chroni-

hunc

eorum

Habakuk,

Inter-

 offi-

INDICES

INDICES
IN
HISTORIAE ECCLESIASTICAE
TOM. III—VII.
SIVE
NOVI TESTAMENTI T. I—V.
LOCORUM S. S. ET RERUM.

 Cap.

A C T.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	3. T. III.	96, 98
	4.	ib.
	7.	96
	18.	85
II.	1, 2. sqq.	163
	4.	230
V.	28, 35.	274
VI.		275
	2. sqq.	264
VIII.	23.	247
	37.	137
XI.	15.	163
XII.		278
XIV.	13.	252
XV.	1. sqq.	220
	2.	221
	20, 21.	240
XVI.	6.	254
XVII.	11.	257
XVIII.	5.	259
	22.	260
	25, 26.	193
XIX.	1--5.	149
	1. sqq.	260
	5.	5
XX.	1.	261
	17--18.	199
XXII.	3.	268

R O M.

XII.	8.	202

1 C O R I N T H.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	11, 12.	242
II.	13.	152
XII.	8. sqq.	227
XII.	28. Tom. III.	202
XIV.	[illegible]	229
	12, 14, 15.	231
	29.	148
XV.	5.	95
	6.	98
	19, 29.	234
	32.	236

2 C O R I N T H.

V.	1--10.	226
X.	2--6.	228
XII.	2--4.	184

G A L A T.

I.	17.	179 sq.
II.	6.	152

P H I L I P.

I.	13, 25.	124
IV.	22.	ib.

C O L O S.

III.	3, 4.	236
IV.	16.	125

1 T I M.

I.	19.	232
II.	8.	146
IV.	14.	189
	16.	190
V.	17.	201

INDEX



INDEX RERUM PRAECIPUARUM,

TOMO III—VII. OCCURRENTIUM.

Mo-

Sta-

ratore Fride
fortuna habuit
reconciliatus cu
lenniter.
fabulosa ea de re
Callistum III. P
Pschalem III., a
habuit: ille pac
eo petiit.
Innocentium III
que, quem cepit,
legavit.
Concilium Later
III. habuit.
lites cum Henric
Angliae rege habuit
reliqua ejus acta re
sentur.
Consulta Alexandri
IV. P. R. sec. X
bellum contra Ec
num et Manfredum
vit.
sub eo Roma veli

Jurare



De Incarnatione
ejus non esse videtu
ut et historia Ariano
causae odii in eum
inquiruntur.
symbolum Athanasia
ejus non est.
I. Camelarius, Syro
cobitarum Patriarcha.
II. item eorum Patri
cha.
III. et IV. sec. VI.
sederunt. V. 3
Monachus, libri cont
Judaeos auctor.

Athenagoras sec. II. eru
ditus doctor et auctor
III
de libellis ejus diffe-
ritur. ib
Athon montem Monachi
a sec. X. incolunt. V.
ubi nobilissimum mo-

 ab

 pecu-

haere-

Blau-

BONI-

Boxsch[...]

Bucha

C.

Cantan-

Samarita-

nuptias

Congre-

in

 - - sec.

- - tyran-

qui

denuo

Thomas

Fran-

- Elec-

Generae

GULI-

HENRICUS.

- VIII.

Homi-

a Papa

Ibas

Isido-

Lambi-

us

O.

ejus

Philo-

Prae-

Primia-

Purga-

[redacted]

Tap.

ing

miraculis ei quaesitum subsidium.
nomen et dogma sancitum sec. XIII.
quibus tamen omnes non adstipulati.
modus Transsubst. bifariam definitus.
miracula, quin et asinus hostiam adorans, adhibita.
sancita est in Conc. Lateranensi.
sec. XIV. novis commentis ei prospectum.
Inde sec. XV. Laicis ereptus calix euchar. 450
sec. XVI. panis euchar. summo studio cultus.
ignorant autem eam Graeci.
nomine eo quis primum est usus?

per



... , armis eos pe
rejectus, pacifci de
Castracaro eos denuo
mit.
pace tandem fruunt
Saucensium fere plen
que pacata.
in terra nova et Cal
quaenam eorum con
tio? etc.
Waldus (Petrus) ejus hi
toria datur.

Wallis (*Joh.*) Arbor
tae dictus, auctor.
Walpurgis Willi
Wunnibaldi soror.
Walsingham (*Thom.*)
Historicus. VI.
Wamba, Hisp. Rex,
monachus factus.
Wandelbertus Martyro-
logus.
Waterlandi rigidiores
Mennoni...









